Tomus secundus.

Ex Libris Nowak Petri
auditoris Facultatis
Theologicæ in Univer-
sitate Cracoviensi

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ

SCHOLASTICÆ,

QUAS AD USUM SEMINARIORUM

E PROPRIIS SUIS PRÆLECTIONIBUS

Contraxit PETRUS COLLET, Presbyter Congregationis Missionis, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

TOMUS SECUNDUS,

Continens Tractatus,

I. *DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS.*

II. *Qui est Autoris, DE VERA RELIGIONE.*

III. *DE ECCLESIA.*

EDITIO NOVA

VILNÆ

TYPIS S. R. M. PENES ACADEMIAM.

Anno Domini MDCCLXXXV.

INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM ET DISPUTATIONUM.

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS.

TRACTATUS DE VERA RELIGIONE.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ.

DE ECCLESIA.

FINIS INDICIS

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS.

PRÆSENTEM Tractatum duas in partes diſtribuemus; hiſtoricam, quæ de variis circa gratiam erroribus diſſeret; & dogmaticam, quæ naturam, proprietates, effectus, aliaque id genus ad gratiam ſpectantia ſcrutabitur. Utrique præerit Diſputatio de notione & diviſionibus gratiæ.

DISPUTATIO PRÆVIA.

De notione, ac diviſione Gratiæ.

GRatiæ vocabulum ſumitur, 1°. pro benevolentia quâ quis alterum proſequitur: ſic Lucæ 1. Angelus Virginem alloquens ait *Inveniſti gratiam apud Deum;* 2°. pro beneficio gratis alteri conceſſo: quo ſenſu Pſalm. 63. dicitur: *Gratiam & gloriam dabit Dominus;* 3°. pro gratitudine de acceptis beneficiis: ſic L. II. Regum c. 2. David ait: *Et ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud.*

Gratiæ vocabulum ſecundo ſenſu intellectum, duobus adhuc modis accipitur, 1°. generatim & minùs propriè, pro quolibet dono gratis conceſſo, cujuſcumque ſit ordinis, ſive ſupernaturalis, ſive duntaxat na-

turalis. Hoc ſenſu aït Auguſtinus Ep. 177. *Quâdam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati ſumus homines . . . . qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus. Quia hæc non præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, ſed gratuitâ Dei bonitate donata ſunt*; 2°. ſtrictè & propriè pro dono ſupernaturali quod ad ſalutem æternam per ſe pertinet atque conducit: Et ſic Apoſtolus Rom. 5. aït *Abundantiam gratiæ . . . accipientes in vita, regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.*

Gratia hoc ſenſu, qui præſentis eſt Tractatûs, ſumpta, rectè definitur: *Donum ſupernaturale creaturæ intellectuali gratis á Deo conceſſum in ordine ad vitam æternam.*

Dicitur 1°. *donum*: quæ vox tenet locum generis; convenit quippe donis tum naturalis, tum ſupernaturalis ordinis.

Dicitur 2°. *ſupernaturale*: id eſt ſuprà naturæ exigentiam, quodque ad Deum ut autorem gloriæ ex natura ſua ordinatur: ſicque à bonis naturalibus gratia propriè dicta diſtinguitur.

Dicitur 3°. *creaturæ intellectuali*: quibus verbis deſignatur ſubjectum gratiæ capax; nimirùm Angelus & homo.

Dicitur 4°. *gratìs conceſſum*: quæ particula *gratis*, excludit omne debitum, tum ex parte dantis, qui nullá lege abſolutè tenetur ad gratiam conferendam; tum ex parte recipientis. Duplex enim debitum intelligi poteſt ex parte recipientis: unum *perſonæ*, quod ex merito bonorum operum provenit; aliud *naturæ*, quod naturalis conditio ità exigit, ut habitâ ratione divinæ juſtitiæ, bonitatis, &c. denegari non poſſit: puta quòd homo habeat rationem, quòd libero præditus ſit arbitrio, &c. Porrò particula *gratis* in allatâ definitione excludit, 1°. debitum *perſonæ* ex merito operum proveniens, juxtà id Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*; 2°. excludit etiam debitum *naturæ*: ſi enim gratia debita foret naturali hominis conditioni, eo ipſo ſupernaturalis dici non poſſet, ut liquebit ex dicendis.

Addunt aliqui gratiam eſſe donum à Deo conceſſum *intuitu paſſionis ac meritorum Chriſti*, *&c.* ut ſpecialiùs gratiam Chriſti Salvatoris exprimant. Ut pleniùs intelligatur prædicta definitio,

Quæres 1°. in quo præciſè poſita ſit ſupernaturali-

tatis ratio. R. supernaturalitatem essentialiter consistere, tum in excellentia supra quaslibet vires & exigentiam cujuscumque naturæ creatæ & creabilis; tum in speciali ad Deum ut autorem gratiæ & gloriæ relatione; tum demùm in eximia quadam cum ipso Deo, ut in se est, unione, seu *reali & physicâ*, qualis est hypostatica unio, seu *intentionali* proximâ & immediatâ, qualis est visio beatifica; seu tandem *intentionali* mediatâ, qualis est gratia sanctificans, virtutes theologicæ, ceteraque hujusmodi dona, quæ ad unionem hypostaticam, aut visionem beatificam ex natura sua ordinantur ac per se disponunt.

Prob. 1°. ex Scripturis: de gratia quæ donum est supernaturale, dicitur II. Petri 1. *Per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*: & I. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.*

Prob. 2°. Ens supernaturale illud est quod ordinatur ad Deum ut in se est, & ut in se immediatè attingitur: atqui Deus ut in se est, & per unionem hypostaticam aut visionem beatificam possidendus, profectò ordinem, exigentiam & quascumque vires cujuslibet creaturæ possibilis longè superat; ergo.

Quæres 2°. an & quid sit discriminis inter naturale, violentum, præternaturale, contranaturale, miraculosum, gratuitum, & supernaturale. R. *Naturale* est illud, quod intrà naturæ vires & exigentiam continetur. *Violentum* illud dicitur, quod est à principio extrinseco contra inclinationem agentis. *Præternaturale* strictè & propriè illud est, quod fit præter ordinarium solitumque cursum naturæ. Si verò istud sit aliquid rei perfectivum, nec tamen in ordine supernaturali, v. g. quod accidens existat sine subjecto, dicitur simpliciter *præternaturale*; sin autem per illud perfectioni rei detrahatur, v. g. quòd ignis non comburat, dicitur *contranaturale*. Illud verò præternaturale, vel contranaturale, vocatur propriè *miraculosum*. Jam *gratuitum* propriè, illud est, quod excludit tum debitum *personæ*, ex merito operùm proveniens; tum debitum *naturæ*, de quo supra. Tandem *supernaturale* illud est, quod ad Deum ut objectum & autorem gloriæ ex natura sua refertur, quodque ideò omnem omninò virtutem & exigentiam causarum naturalium superat.

Gratia dividitur 1°. in *increatam*, & *creatam*; seu quod idem est, in gratiam ex parte principii, & ex

parte subjecti. Prior, æternus est Dei erga homines amor, quo eos diligit in ordine ad vitam æternam; posterior, ea omnia generatim sunt beneficia, quæ ex illo supernaturali amore, ut effectus ex causa procedunt.

Dividitur 2°. gratia creata, de qua hic potissimùm quæstio, *in gratiam Dei*, & *gratiam Christi*. Hæc, non autem illa confertur intuitu meritorum Christi Domini; prior alio nomine dicitur gratia *sanitatis*; altera gratia *medicinalis*. Ità vulgò Theologi, qui cum S. Thoma existimant Adamo non peccante futuram non fuisse Verbi Incarnationem.

Dividitur 3°. gratia Christi, in *externam*, quæ extrinsecùs, & *internam*, quæ interiùs hominem afficit.

Dividitur 4°. gratia interna in gratiam *gratis datam*, & *gratum facientem*. Prior definitur, donum supernaturale, non in propriam recipientis, sed in aliorum salutem *per se & primariò* destinatum: de quo I. Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio spiritûs ad utilitatem*, scilicet aliorum. Posterior donum est supernaturale ad propriam uniuscujusque salutem *primariò & per se* gratis à Deo concessum. Per hanc gratiam homo Deo acceptus efficitur, sive *dispositivè*, si sit gratia actualis; sive *formaliter*, si sit gratia habitualis sanctificans.

Etsi verò gratia gratum faciens est verè gratia gratis data, hoc sensu quòd sine præcedentibus hominum meritis datur; meritò tamen gratiæ gratis datæ vocabulum ad eam gratiæ speciem restringitur, quæ ad aliorum salutem primariò ordinatur, tum quia Christus ejusmodi gratias Apostolis conferens, signanter admonet eas & gratis acceptas esse, & gratis concedendas, Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*; tum quia usu recepto, nomen generis ignobiliori speciei solet accommodari; unde brutum vocamus animal: gratia porrò gratis data, ignobilior est gratiâ gratum faciente; hinc Christus Matth. 10. *Multi dicent mihi in illâ die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo multas virtutes fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.*

Dividitur 5°. gratia gratum faciens in *habitualem* & *actualem*. Habitualis ea est quæ confertur per modum habitûs, seu qualitatis fixæ & permanentis. Hæc autem triplex est: scilicet gratia sanctificans, seu justificans, virtutes infusæ, & dona Spiritûs sancti. Gratia habitualis *sanctificans*, ea est quâ homo fit justus formaliter.

De ea Chriſtus, *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Joan. 14. *Virtutes infusæ* ſunt illæ quæ propriis naturæ viribus acquiri non poſſunt, ſed à Deo ſolo infunduntur. Dividuntur in *theologicas*, quæ ſunt fides, ſpes & charitas; & *morales infuſas*, inter quas quatuor ſunt præcipuæ ſeu cardinales, nempè juſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia. *Dona Spiritûs ſancti* ſunt habitus ſupernaturales, quibus homo diſponitur a Spiritu ſancto ad quaſdam præſtantiſſimas actiones. Hujuſmodi ſeptem numerantur, videlicet donum ſapientiæ, intellectûs, ſcientiæ, conſilii, pietatis, fortitudinis & timoris, quorum quatuor priora pertinent ad intellectum, tria poſteriora ad voluntatem.

Gratia actualis eſt ea quæ per modum actûs ſeu motionis tranſeuntis conceditur.

Dividitur 6°. gratia actualis in *gratiam intellectûs & gratiam voluntatis*. Prior eſt interna mentis illuſtratio, quâ intellectui verum ſupernaturale credendum, aut bonum ſupernaturale peragendum divinitùs proponitur. Poſterior eſt motio ſeu inclinatio quam Deus in voluntate operatur, ut eam ad bonum ſupernaturale provocet.

Dividitur 7°. gratia voluntatis, prout illuſtrationem ſupernaturalem in intellectu, & piam affectionem in voluntate complectitur, in *operantem*, & *cooperantem*; *prævenientem* & *ſubſequentem*; *excitantem & adjuvantem*. Cenſent porrò graves Theologi, 1°. gratiam operantem, prævenientem & excitantem omninò eſſe entitativè gratiam indeliberatam ſcilicet mentis illuſtrationem & voluntatis motionem; 2°. pariter gratiam cooperantem, ſubſequentem & adjuvantem, eandem omninò eſſe, concurſum videlicet ſupernaturalem quo Deus nobiſcum concurrit. In hac opinione gratia operans, præveniens & excitans rectè definitur: ſubitanea mentis illuſtratio & indeliberata voluntatis affectio, quas Deus in nobis ſine nobis operatur, ut benè velimus & benè agamus: cooperans verò, influxus ſeu concurſus ſupernaturalis, quo Deus nobiſcum concurrit ad omnes & ſingulos pietatis actus ſupernaturales ac liberos.

Dividitur 8°. gratia in *ſufficientem* & *efficacem*. Gratia purè & ſtrictè ſufficiens, prout opponitur efficaci, ea eſt, quæ voluntati veram & expeditam confert potentiam ad oppoſitam hic & nunc concupiſcentiam ſu-

perandam, & bonum operandum, cum quâ tamen voluntas minimè operatur. Gratia verò efficax, prout sufficienti opponitur, ea est, quæ suum certò ac infallibiliter semper assequitur effectum: si effectus semper & certò sequatur ex *interna ipsius gratiæ vi*, dicitur ex se & ab intrinseco efficax; si *ex congruitate circumstantiarum* dicitur congrua; si *ex prævisione Dei*, dicitur efficax ab eventu.

Denique gratia dividitur in gratiam simpliciter, & gratiam pro gratiâ. Prior conceditur à Deo ex meritis Christi, absque ullo ex parte hominum præcedente merito, etiam ex gratiâ. Posterior datur propter meritum præcedens, quod ex ipsa gratia oritur: Talis est vita æterna, quæ simul est & merces, quia meritis rependitur; & gratia, quia merita hæc ex gratia profluunt.

PARS HISTORICA.

De variis circà Gratiam erroribus.

ERrores circa gratiam spectant, vel necessitatem illius, vel ejus efficaciam, vel ipsius effectu, justificationem scilicet & meritum. De his omnibus agemus in hac parte, quam claritatis causâ in Disputationes septem distribuemus. I. erit de Pelagianis. II. De Semipelagianis. III. De Prædestinatianis quinti seculi IV. De Prædestinatianis noni seculi. V. De Wiclefitis, Lutheranis & Calvinianis. VI. De Baïo. VII. De Jansenio, ejusque defensoribus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Pelagianis.

PElagianis nomen inditum à Pelagio, natione Anglo, Monacho professione, viro juxtà Augustinum *fortissimi, celerrimi, & acutissimi ingenii*; doloso item ac versipelli, quique imperatâ feminis Scripturarum lectione, *Amazonas* sibi suas devinciret. Docuit is 1°. *Adamum & Evam, mortales à Deo creatos, nec quemquam posterorum suâ prævaricatione læsisse, sed sibi tantùm no-*

Hieron.

cuisse; 2°. *infantes qui nunc nascuntur, in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem*; 3°. *eosdem etiamsi non baptisentur, habere vitam æternam*; non tamen regnum cœlorum, quod propter id Christi, *Nisi quis renatus fuerit . . . non potest introire in regnum Dei*, distinguebat à vita æterna; 4°. liberum arbitrium æquè validum ad bonum operandum esse in Adami posteris, ac in Adamo ipso; 5°. hominem propriis liberi arbitrii viribus ad eam justitiæ perfectionem pervenire posse, ut absque inordinatis passionum motibus, & sine ullo prorsùs peccato viveret.

Joan. 3.

Cùm autem ad hæc opinionum portenta undecumque reclamarent Catholici, & gratiæ necessitatem subverti conquererentur: reclamavit ipse vafer Pelagius, statimque reposuit, se nullatenùs negare necessitatem gratiæ: Verùm gratiæ nomine subdolè intelligebat *ipsam naturam & liberum arbitrium*, quæ homo absque ullis suis meritis à Deo in sua creatione recepit. Ast urgente Augustino, ut gratiam à natura & libero arbitrio distinctam agnosceret, visus est quidem assentiri, sed nomine gratiæ, *legem atque doctrinam* fallaciter intelligebat. Pressus insuper, monitusque otiosam fore Christi mortem, si sufficeret exterior legis ac doctrinæ gratia; ut telum istud declinaret, tertium gratiæ genus excogitavit, nimirùm *Christi exemplum & imitationem*, asseruitque quòd sicuti Adamus primus obfuit nobis exemplo malo; ità Christus, Adamus secundus, profuit nobis exemplo bono. At cùm exterius illud Christi exemplum à lege & doctrinâ minimè distingui demonstrasset Augustinus; duo tandem hæc admisit novator, 1°. indigere hominem gratiâ, quâ *peccata præterita dimittantur, non autem futura vitentur, vel repugnantia superentur*; 2°. necessariam esse eidem interiorem illustrationis gratiam. Qualem verò hanc admiserit, paulò pòst expendam.

August. Serm. 26.

Augst. Lib. de grat & lib. arb. c. 73.

Potiores Pelagii discipuli fuêre Cœlestius & Julianus, Ecclanensis Antistes, qui maluit ex Episcopo Ludimagister fieri in ignobili vico, quàm errores suos ejurare.

Pelagianos præ ceteris insectatus est Augustinus ad afferenda gratiæ jura potenti ipsius gratiæ manu efformatus. Contra eosdem insurrexêre Episcopi complures in Conciliis viginti quatuor ab an. 412. ad an. 431. habitis. Hos & Constitutionibus suis proffigavêre Ro-

mani Pontifices Innocentius I. & Zozimus; cujus Decreto paruerunt Episcopi omnes, demptis octodecim, qui duce Juliano ad futurum Concilium appellavêre. Verùm hi nihilominùs *non solùm Imperialibus legibus, sed & Sacerdotalibus statutis depositi, atque exauctorati, ex omni Italiâ deturbati sunt*, uti scribit Marius Mercator Commonit. cap. 3.

His historicè prælibatis duo hîc expendenda; 1°. an Pelagius alicujus gratiæ interioris necessitatem aliquando tandem admiserit; 2°. quâ de gratiâ tandiu Augustinum inter & Pelagianos disputatum fuerit.

Circa primum quinque potissimùm quæruntur: 1°. an Pelagiani aliquam interiorem gratiam admiserint; 2°. supposito quòd sic, an illa fuerit vera & propriè dicta voluntatis gratia; 3°. iterùm supposito quod talem gratiam agnoverint, quo tempore id contigerit; 4°. utrùm gratia illa in eorum mente foret gratuita & simpliciter necessaria, non ad perfectionem duntaxat, sed etiam ad initium boni operis: 5°. quæ esset hujus gratiæ vis: an ex se efficax, aut etiam relativè ac necessariò determinans, ut placet Jansenio; an versatilis duntaxat, ut alii volunt. Sit.

CONCLUSIO I. Pelagius aliquando tandem interiorem illustrationis gratiam admisit, tum ex parte objecti meliùs propositi; tum ex parte intellectûs ad credendum divinitùs adjuti: eam tamen gratiam, non ut simpliciter necessariam, sed tantùm *ad faciliùs* exigit.

Prob. 1. pars, ipsissimis Pelagii verbis apud S. Aug. lib. de grat. Chr. c. 7. *Quam gratiam*, inquit hæresiarcha, *non ut tu putas, in lege tantummodò, sed & in Dei adjutorio confitemur . . . Adjuvat enim nos Deus per Doctrinam & revelationem suam, dùm cordis nostri oculos aperit, dùm nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Ibid. c. 24. manifestè supponit Aug. Pelagianos libenter agnovisse revelationes à Deo in cordibus productas: *Fateantur*, inquit, *operari Deum in cordibus hominum*, NON SOLUM VERAS REVELATIONES, *sed etiam bonas voluntates!* Et c. 41. *Ipsas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas opinatur* Pelagius, *nisi ut nobis doctrina etiam divinâ revelatione aperiatur.*

Ex his patet, Pelagium admisisse, 1°. *revelationes à lege & doctrinâ distinctas*; 2°. *revelationes internas*; 3°. *revelationes supernaturales & divinas*, quibus Deus *cordis nostri oculos aperit, nosque multiformi ac ineffabili*.

dono gratiæ cœlestis illuminat: atqui hæc omnia designant veram illustrationis gratiam, tùm ex parte objecti, tùm etiam ex parte potentiæ; ergo.

Prob. 3. pars ex S. Aug. lib. de grat. c. 26 ubi de Pelagio sic loquitur; *Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omninò nihil boni sine illa, quoad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodò iste* (Pelag:) *qui cùm dicit, proptereà dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur*, FACILIUS *impleatur, satis ostendit, quòd etiam sine illa, etsi* MINUS FACILE, *fieri tamen quod divinitùs præcipitur.*

Obj. contra I. part. id S. August Lib. de grat. Chr. c. 7. & 10, *In his omnibus non recessit Pelagius à commendatione legis & doctrinæ:* ergo teste S. Doctore, interiorem illustrationis gratiam non agnoscebat Pelagius. R. neg. conseq. Namque munus legis est docere, illuminare, ostendere quid faciendum sit; non autem vires subministrare voluntati ad illud perficiendum, ut fusè docet ibid. August. atqui revelatio interior tantummodò docet, & illuminat; non autem juvat & corroborat voluntatem ad agendum, ut ibidem sæpiùs inculcat S. Doctor; ergo interior hujusmodi illustratio rectè revocatur ad legem & doctrinam: ac proinde meritò asseruit S. August. Pelagium non recessisse à commendatione legis & doctrinæ. Hanc esse S. Doctoris mentem clarè indicant ea quæ continuò addit; *In lege namque & doctrinâ futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo: ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur.*

CONCLUSIO II. Pelagius antequàm condemnaretur à Zozimo, internam voluntatis gratiam nusquam admisit ad opus bonum, sive inchoandum, sive etiam perficiendum.

Prob. 1°. ex S. Aug: lib. de grat. Chr. qui à S. Doctore exaratus fuit an. 418. quo tempore Pelagiana hæresis à Zozimo decretoriè damnata fuit. Cap. 41. hæc habet S. Doctor: *Nullum auxilium gratiæ credunt Pelagiani, quâ naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrinâ; ità ut ipsius quoque orationes, ut in Scriptis suis apertissimè affirmat* Pelagius, *ad nihil adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divinâ revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.* Ecce hîc respuit Pelagius omnem gratiam, qua voluntas movetur ac juvatur ad bonum peragendum.

Prob. 2°. ex ipsis Pelagiani systematis visceribus: Scilicet suprà contendebat Pelagius, 1°. nullum dari peccatum originale; 2°. nullam proinde in voluntate relictam ex peccato originali infirmitatem; 3°. liberum arbitrium æquè sanum esse in Adami posteris, ac in Adamo ipso: atqui ex his manifestè sequitur, necessum non esse ut voluntas per gratiam ad bonum operandum corroboretur, sed sufficere, sicuti & in Adamo, meram intellectûs illustrationem.

CONCLUSIO III. Post decretum Zozimi Julianus Pelagiam hæresim utcumque temperavit internam voluntatis gratiam admittendo: sed & in hoc multipliciter lapsus est.

Prob. 1, pars ex S. Augustino L. de gr. & lib. arb. ubi sic cap. 14. *Sed cùm fuerint convicti . . . . quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur: cùm ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Unde sic: gratia per quam *benè operamur*, per quam *lex impletur*, & *natura liberatur*, per quam fit *ut peccatum non dominetur* profectò vera voluntatis gratia: atqui testatur S. August. Pelagianos tandem compulsos fuisse hujusmodi gratiam confiteri; ergo. Unde citato loco totus est S. Doct. in debellando isto Juliani effugio, *gratiam secundùm merita nostra dari.*

Prob. 2 pars. Julianus & alii cum ipso docebant, 1°. gratiam illam, non ad inchoanda, sed ad complenda duntaxat bona opera, necessariam esse. Ità testatur S. Aug L. 2. ad Bonif. c. 8. his verbis: *Isti volunt, in ipso homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni;* & L. 4. contra Julianum c. 30. *ergo divinitùs adjuvatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem, quod ipse posuisti, utique volens intelligi, eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia:* 2°. docebant iidem, gratiam hanc secundùm quid duntaxat, seu *ad faciliùs* non autem simpliciter necessariam esse ad perficienda bona opera. Errorem hunc Juliano non semel affirmatè exprobrat S August. *Quærentibus à vobis,* inquit, *quare mortuus sit Christus, si natura vel lex efficit justos, respondetis, ut hoc ipsum faciliùs fieret, quasi posset, quamvis difficiliùs, fieri tamen, sive per naturam, sive per legem:* 3°. demum

afferebant gratiam non esse gratuitam, sed secundùm merita nostra dari, quod testatur S. Aug. L. 1. contra Julian. c. 3. 4. 19. *Hæc est*, inquit, *intentio quâ gratiam destruere moliuntur, ut eam dari secundùm merita nostra contendant.* Hæc autem merita, quibus posteriores Pelagiani gratiam volunt justitiæ titulo debitam esse contendebant, fuêre in eorum opinione boni cupiditas, fides & oratio ex solis naturæ viribus elicitæ, prout tradit S. Aug. lib. de grat. & libero arb. c 14.

Conclusio IV. Gratia voluntatis à Juliano ceterisque Pelagianis tandem admissa, non fuit ex se efficax, aut etiam relativè ac necessariò determinans, ut contendit Jansenius, sed merè versatilis, & quoad usum aut non usum libero voluntatis arbitrio prorsùs permissa.

Prob ex hoc gravissimo præjudicio, quo, teste S. Aug. lib. de pec. origin. c. 11. laborabant Pelagiani, *non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate cujusque est, facere aliquid vel non facere*: sed qui concipere non poterant, quâ ratione stare posset libertas cum necessitate gratiæ voluntatem prævenientis, multò magis abhorrebant ab admittenda necessitate gratiæ ex natura efficacis, aut necessariò hic & nunc determinantis. Ità Lemos, Alvarez, &c.

Obj. 1°. contrà 2 Concl. Gratia quæ operatur in nobis velle quod bonum est; quæ stupentem suscitat voluntatem, eamque in desiderium Dei succendit; quæ nobis suadet omne quod bonum est, vera est voluntatis gratia: atqui Pelagius admisit gratiam hujusmodi, teste S Aug lib de grat Chr. c 10. sic enim Pelagium loquentem inducit S. Doctor: *Operatur in nobis velle quod bonum est, dum nos . . . . præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est*; ergo.

R. 1°, Jansenio ipso fatente, Pelagium, cùm hæc scriberet, veram & internam voluntatis gratiam nondum admisisse: hanc enim, juxta illum, confessi sunt Pelagiani duntaxat post condemnationem factam sub Zozimo.

R. 2°. dist. maj. Gratia quæ stupentem suscitat voluntatem, eamque succendit. &c. propriè, immediatè & efficienter, Deo per se producente in voluntate motum aliquem indeliberatum, sine quo voluntas bonum operari nequeat, C. metaphoricè duntaxat, mediatè &

objectivè, per propositionem scilicet objecti cujus occasione voluntas seipsam suscitat & succendit, N. Porrò hoc tantùm posteriori sensu per gratiam succendi ac suscitari voluntatem agnovit Pelagius, ut apertè colligitur ex iis ipsis locis, quæ nobis opponuntur; sic enim continuò pergit S. Aug. ibid. *Quid manifestiùs, eum* (Pelagium) *nihil aliud dicere gratiam quâ Deus operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam?*

Obj 2°. S. Aug. Lib de grat. Chr c. 29. apertè supponit Pelagium admisisse gratiam voluntatis: namque recitatis his Pelagii verbis: *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam*; statim subjungit: *Tolle* FACILIUS, *& non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus* Atqui nisi Pelagius gratiam voluntatis admisisset, sublatâ etiam voce *faciliùs*, non fuisset sanus hujusce Pelagianæ propositionis sensus; ergo. R. dist. Aug. verba: *Tolle* FACILIUS, *& sanus est sensus*, quantùm ad necessitatem gratiæ, ad quam unicè tunc respiciebat S. Doctor., C. quantùm ad naturam & substantiam gratiæ, N. Itaque duo hic erant præcipua errorum Pelagii capita; unum spectabat gratiæ naturam, alterum ipsius necessitatem: primum abundè debellaverat S. Doctor primis 25. capitibus citati Libri de gr. Chr. hic unam vindicandam suscipit gratiæ necessitatem, quam solam directò impugnabat Pelagius verbis adductis, quæ reverà præcisè sumpta, sublatâ voce *faciliùs*, sanum sensum referebant: & verò S. Aug eodem libro, c. 7. eadem referens verba cum antecedentibus & consequentibus; conceptis verbis asserit *Pelagium eo loco non recessisse à commendatione legis & doctrinæ.*

Jam paucis expendendum, quæ fuerit ea gratiæ species, de qua tandiu Augustinum inter & Pelagianos disputatum est; an habitualis, ut Thomassino placet; an necessitans, ut Jansenio videtur; an physicè præmovens, ut Thomistæ plures. Quâ de re,

Dico 1°. Gratia de qua potissimùm contra Pelagianos agebat Aug. non est gratia habitualis.

Prob. Gratia quæ requiritur ad singulos pietatis actus, etiam justificationi prævios, non est gratia habitualis, sed actualis: atqui talis est gratia de qua potissimùm disputatum fuit Aug. inter & Pelagianos: ut clarè liquet ex libris adversùs eosdem hæreticos, ubi S. Doctor gratiæ hujus naturam perpetuò explicat per. mentis

illustrationes & actuales voluntatis motiones. Unicum hic sufficiat testimonium ex lib. de gratia Christi, c. 24. *Legant ergo & intelligant* (Pelagiani) *internâ & occultâ, mirabili & ineffabili potestate Deum operari in cordibus hominum, non solùm veras revelationes sed bonas etiam voluntates.*

Obj. De illâ gratiâ disputat Aug. cum Pelagianis, *per quam justificamur, per quam voluntas infirma sanatur:* atqui gratia hujusmodi est sanctificans, ergo. R. dist. maj. per quam justificamur & sanamur dispositivè, C. formaliter, N. Agit enim S. Doctor de gratia, quatenus est primum principium activum bonorum operum, quibus meremur justificationem, non autem de eo habitu, quo formaliter efficimur Deo grati & accepti.

Dico 2°. Gratia de qua tam diuturna exarsit contentio Aug. inter & Pelagianos, non est gratia necessariò determinans ad sensum Jansenii; nec etiam per se simpliciter efficax sensu catholico, sed generatim actualis & præveniens gratia voluntatis simpliciter necessaria & gratuita.

Prob. 1°. Gratia cujus necessitatem tam strenuè propugnabat S. Aug. adversùs Pelagianos, est ipsum dogma fidei quod adversùs eosdem hæreticos definivit Ecclesia: atqui gratia efficax, sive sensu Jansenii, sive ad sensum Catholicorum, non est dogma ab Ecclesia definitum, &c. Major constat, tum ex Innocentio I. juxta quem, *qui hujusmodi gratiam* (quam S. Aug. contra Pelagianos asseruit) *rejiciunt, se inimicos catholicæ fidei, & Dei beneficiis ingratos profitentur;* tum ex S. August. qui lib. de grat. Chr. c. 10. ait, hanc esse gratiam quam tenebatur agnoscere Pelagius, *si non tantùm vocari, sed etiam vellet esse Christianus.*

Apud August. Ep. 28.

Prob. itaque minor, 1°. ex Conciliis celebratis adversùs Pelagianos, in quibus nihil aliud definitur, nisi quòd gratia voluntatis sit ad omnes pietatis actus simpliciter necessaria. Ità in Concilio Carthaginensi cui interfuit S. Aug. can. præsertim 5. 2°. ex Conciliis celebratis in causa Semipelagianorum: in his enim, ut in Concilio Arausi. II. can. 6. sola generatim asseritur necessitas gratiæ voluntatis ad initium fidei: atqui non alia gratia asserta fuit contra Pelagianos, ad omne pietatis opus, quàm quæ definita fuit necessaria ad initium fidei contra Semipelagianos; ergo. 3°. Ex Cœlestino Pontifice qui postquam plures collegit Conciliorum

ſententias, nudam gratiæ neceſſitatem ſtabilientes, hæc adjungit maximè obſervanda: *Profundiores verò difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ità non neceſſe habemus aſtruere.* Porrò controverſia de modo operandi gratiæ, procul dubio ad profundiores difficilioreſve de gratia quæſtiones ſpectat; ergo hæc non fuit definita.

Prob. 2°. ex Aug. Lib. de gr. Chr. 47. ubi de Pelagio ſic habet: *Si ergo conſenſerit nobis non ſolam poſſibilitatem* . ; . . *ſed ipſam etiam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, & ſic adjuvari ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus; eamque eſſe Dei gratiam per Jeſum Chriſtum . . . . nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur;* & cap. 29. cùm Pelagius gratiam admiſiſſet tantùm *ad faciliùs*, S. Doctor continuò ſubjungit: *Tolle faciliùs, & non ſolùm plenus, verùm etiam ſanus erit ſenſus:* atqui ſublatâ voce *faciliùs*, phraſis Pelagiana ſolam exprimit neceſſitatem gratiæ; ejùs verò invincibilem efficaciam, ne vel minimùm quidem indicat: ergo.

Obj. 1°. S. Aug. eam à Pelagio poſtulat gratiam; *quâ non ſolùm ſuadetur omne quod bonum eſt, verùm etiam perſuadetur, quâ Deus occultâ, mirabili & ineffabili, efficaciſſimâ & omnipotentiſſimâ poteſtate operatur in nobis non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates;* quâ demùm *omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad Chriſtum*, adeò ut *quiſquis non venit, profectò nec didicerit:* Ità paſſim in Lib: de grat. Chr. de correp. & grat. de prædeſtinat. SS. atqui iſti caracteres omninò deſignant gratiam per ſe efficacem.

Pro ſolutione notandum eſt, Auguſtinum, eam, de quâ loquitur, voluntatis gratiam ſpectare potiſſimùm in prædeſtinatis, ac proinde ut connexam cum effectu ſuo. Patet id tum ex iſto S. Doctoris textu Lib. de corrept. & grat. c. 13. *De his loquor,* inquit, *qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei;* tum ex ſcopo præſentis controverſiæ: neque enim quæſtio de neceſſitate gratiæ contra Pelagianos movebatur de homine veluti ſpeculativè conſiderato; ſed in eo erat utrùm quotieſcumque homo actu producit opus ſalutiferum, id perficeret per ſolas naturæ vires, an dependenter ab influxu gratiæ cui principaliter adſcribendum eſſet illius operis meritum. Ut ergo Pelagianam doctrinam efficaciter oppugnaret S.

gratiæ Doctor, debuit cum Pelagiano confiderare hominem in circumftantia in qua benè agit, & confequenter debuit differere de gratiâ ut conjunctâ cum effectu, non abfolutè & ex natura rei, fed in eadem fuppofitione hominis benè operantis. Jam itaque.

R. dift. min. Gratia quâ abfolutè & ex natura rei in quibufcumque circumftantiis *perfuadetur omne quòd bonum eft, &c.* eft gratia ab intrinfeco efficax, C. gratia quâ hypotheticè duntaxat *perfuadetur bonum, &c.* feu, cui tanquam primæ caufæ adfcribenda eft actio, ex fuppofitione quòd homo benè agat & operetur, N. Porrò gratia quam à Pelagio nomine Ecclefiæ poftulat S. Auguft. non eft gratia quâ femper credatur, ametur, &c. fed eft gratia quæ ex hypothefi quòd credamus, fperemus, amemus, &c. fit caufa noftræ fidei, fpei, amoris, aliorumque hujufmodi piorum actuum: ergo.

Obj. 2°. Ideo Pelagiani & Semipelagiani de medio tollere nitebantur gratiam, quam S. Aug. afferebat, quia putabant per eam perimi libertatem, nullumque locum relinqui bonis vel malis meritis: atqui argumenta illa unam duntaxat impugnant gratiam neceffariò determinantem: neque probabile eft viros ingeniofos, quales erant Pelagiani & Semipelagiani, crediffe fubverti libertatem & merita per gratiam, cui homo pro fuo arbitrio poffet confentire vel non confentire; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dift. Probabile non eft dictos hæreticos ità judicaffe de gratia fpectata fub eo præcisè refpectu, quòd voluntas poffit ei confentire vel non confentire, C. fub aliis refpectibus, N. Itaque quod fpectat ad Pelagianos, 1°. gratia illis videbatur contraria libertati, quatenùs eft auxilium præveniens, purè gratuitum, & antecedenter omninò neceffarium ad benè agendum. Hinc apud S. Hieron. Ep. ad Ctefiphontem aïebat Pelagius; *Fruftrà dedit arbitrii poteftatem quam implere non poffum; nifi ipfe me adjuverit: deftruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget.* Et ipfe Aug. Epift. 194. *Putant auferri fibi arbitrium liberum, fi nec ipfam bonam voluntatem fine adjutorio Dei hominem habere confenferint,*

2°. Pelagianis difplicebat quòd gratia diceretur præcipua caufa omnium bonorum operum in ordine ad vitam æternam: hinc enim inferebant tolli locum bonis meritis; quin & inde fequi volebant eidem gratiæ ut caufæ deficienti tribuendum effe quoties vincimur:

unde Lib. de gestis Pelagii cap. 14. sic discurrunt: *Si per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia quæ nos voluit adjuvare omni modo, & non potuit.*

3°. Ex eo quòd gratia præveniat omnia merita, atque ab ea inchoari debeat ipsa prima boni cupiditas, concludebant per eandem nos cogi: quia nimirùm ex una parte coactio nihil aliud est quàm actio quæ nobis nolentibus; aliunde verò gratia præveniens omnia merita, debet inspirare bonam voluntatem ipsis nolentibus. Pessimè ergo asserit Yprensis, Pelagianam querimoniam fundari in invincibili gratiæ efficacitate, cùm directè sequatur ex rejecta simplici auxilii interioris necessitate ut prævenientis omnia merita.

Quod spectat ad Semipelagianos, ii adversùs necessitatem gratiæ prævenientis fidei initium contorquebant id omne quod Pelagiani contra necessitatem gratiæ humanas voluntates ad quódcumque bonum prævenientis objiciebant: unde ad retundenda eorum argumenta, totus est S. Aug. in asserenda gratia quæ omnia prorsùs merita præveniat, quemque primum fidei initium inspiret, de quo paulò pòst.

DISPUTATIO SECUNDA

De Semipelagianis.

SEmipelagiani sic dicti, quasi à partito Pelagii errore; quia dum peccatum originale & gratiæ necessitatem ad omne opus sive inchoandum sive perficiendum, contra Pelagianos confitebantur; initium fidei & bonæ voluntatis in nobis esse per solas naturæ vires cum illis contendebant; dicti etiam fuêre Massilienses, ab urbe Massiliensi, in qua fre-quentiores consistebant.

Horum præcipui fuêre: 1°. Joannes Cassianus, qui post mortem S. Chrysostomi, à quo in Diaconum ordinatus erat, Massiliensis Presbyter factus est. Hunc à scriptis Patrum collationibus Collatoris nomine designat & carpit S. Prosper; 2°. Faustus ex Abbate Lirinensi Episcopus Regiensis in Gallia Uterque porrò Sanctorum fastis adscriptus est, quia uterque antè scripsit, quàm locuta esset Ecclesia. 3°. Vincentius, ut nonnulli pu-

tant, Abbas Lirinensis, celeberrimi adversùs hæreses Commonitorii scriptor. Quin & ipsemet S. Aug: in eum impegerat errorem antè Episcopatum, ut fatetur lib: de prædest: SS. c. 3.

Semipelagianos impugnarunt Augustinus, Cælestinus I. Prosper, Hilarius, Fulgentius, & qui anguis necdum emortui caput obtrivêre PP. Concilii Arausic. II. an: 529.

Non idem fuit apud Semipelagianos omnes erroris gradus. Alii enim laxiores à Pelagianis placitis minùs devii, asserebant, non solùm voluntatem credendi, seu initium fidei; sed ipsum etiam initium bonorum operum esse à nobis absque gratiâ: & hi, unó excepto originali peccato, vix distabant à sententia Juliani. Alii strictiores, qui à Pelagianis longiùs distabant, solâ sibi reservatâ voluntate credendi, sive, ut aiebant, initio fidei & pio credulitatis affectu, cetera omnia gratiæ adscribebant. Malè ergo Jansenius docet fuisse è Semipelagianis aliquos, qui gratiæ prævenientis necessitatem, etiam ad initium fidei admiserint. Quod ut magis pateat, sit

V. Aug. Lib: De don. persev:

CONCLUSIO. Semipelagiani omnes gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei negaverunt.

Prob: 1°, ex S. Prospero, Epist: inter Augustinianas 225. ubi Massiliensium doctrinam sic exponit: *Ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, volunt unumquemque pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando: ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introëat, quia bono naturæ benè usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire:* ubi per initialem gratiam intelligebant Semipelagiani naturalem liberi arbitrii facultatem, quam cum Pelagianis gratiam nuncupabant, quòd in ipsa creatione gratis à Deo concessa fuisset. Unde infrà: *Priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat, & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem*: sed qui docent hominem *per naturalem liberi arbitrii facultatem, bono naturæ benè utendo, pervenire ad salvantem gratiam*; ideoque *priorem esse hominis obedientiam quàm gratiam*, adeò ut *initium salutis non ex Deo*, sed ex homine *credendum sit stare*, utique non agnoscunt necessitatem interioris gratiæ prævenientis ad primum fidei & salutis desiderium; ergo.

Prob: 2°. ex S. Aug: L. de prædest. SS. cap: 2. ubi laudatis Apostoli verbis, *non sumus sufficientes, &c.* subdit: *Attendant hic & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo fidei supplementum*: Sed qui profitentur *fidei cœptum à* nobis esse per naturam, non autem à gratia, quæ duntaxat subsequitur, & fidei dat incrementum, hi certè nullam agnoscunt interiorem gratiam prævenientem ad initium fidei. Atque hinc Synodus Arausicana, quæ Massiliensium errores distinctiùs proscripsit, sic habet can: 25. *Si quis sicut augmentum, ità etiam fidei initium, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs sancti, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.*

Prob: 3°. ex censura quartæ hujus Jansenii Propositionis: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Quam propositionem SS. Pontifices Innoc: X. & Alex. VII. in sensu Jansenii falsam & hæreticam declaravêre: atqui nota falsitatis cadit in primam propositionis partem, quæ facti est: nota verò hæreseos in secundam, quæ Semipelagiani erroris incusat dogma Catholicum, quo creditur humanam voluntatem gratiæ posse resistere, &c.

Obj: 1°. S. Aug: lib: de prædest: SS. c. 1. de Massiliensibus hæc habet: *Pervenerunt isti fratres nostri. . . . ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur.* Admisêre ergo Massilienses gratiam interiorem quæ prævenentiat voluntatem credendi. R. dist. *Pervenerunt* Massilienses *ut fateantur Dei gratiâ præveniri voluntates hominum*, quoad bona opera, C. quoad initium fidei, N. Istam exceptionem à Massiliensibus adhibitam fuisse, apertè declarat S. Doct: Ibid: c. 2. 3. 5. &c. ubi adversùs ipsos probat initium fidei & perseverantiam in illa non esse à nobis ipsis, sed à Deo: unde quam aliquando vocationem gratuitam admittere videbantur, non internam, quæ à gratia interiori foret, sed merè externam agnoscebant; volentes scilicet proposito Evangelio nostrum esse credere vel non credere *per naturalem facultatem*, ut testatur S. Prosper.

Epist: ad August:

Obj: 2°. Ex Hilario docebant Semipelagiani, ad nullum opus incipiendum, nedum perficiendum, quem-

quam sibi sufficere posse: atqui actus fidei haud dubiè est bonum opus. R. dist. min. actus fidei est bonum opus, in rei veritate, C. in mente Semipelagianorum, N. Initium fidei & generale salutis desiderium inter bona opera non computabant Massilienses. *Neque enim*, aït laudatâ Epistolâ S. Hilarius, *alicui operi curationis eorum annumerandum putant: exterritâ & supplici voluntate unumquemque velle sanari.*

Obj: 3°. Cassianus, Faustus, Gennadius, &c. ardentiores fuêre Semipelagiani; atqui hi admisêre gratiam quæ voluntatem præveniret ac adjuvaret. Ità Cassianus collat. 15. Gennadius lib: de viris illust: c. 21. ergò. R. dist. min. admiserunt gratiam prævenientem, externam, positam scilicet in prædicatione Evangelii, C. internam, subdist. quandoque & uti minimè necessariam, C. semper, & tanquam absolutè necessariam, iterùm subdist. quoad incrementum fidei & perfectionem, imò & initium bonorum operum, C. quoad initium fidei, N.

Quæres 1°. an Semipelagiani erraverint circà scientiam conditionatorum, quæ à nonnullis media nuncupatur. R. illos non præcisè eam admittendo errasse, sed in eo quòd eâ abusi fuerint respectu parvulorum & adultorum. Quoad parvulos quidem: cùm enim S. August: contra ipsos probaret gratuitam esse prædestinationem ad gratiam, exemplo duorum parvulorum, quorum unus antè; alter verò post susceptum Baptisma è vivis excedebat; respondebant idcirco uni ex illis concessam esse præ alio gratiam Baptismatis, quòd Deus prævidisset ipsum, si ad adultam ætatem pervenisset, benè usurum, esse libero arbitrio, alterum verò non item: atque ità parvulorum prædestinationem aut reprobationem fundabant in præscientia bonorum vel malorum operum quæ nunquam absolutè futura erant, sed quæ tantùm futura fuissent si parvuli isti ad adultam ætatem fuissent perducti. In quo & absurditas erat, quòd pro re nunquam absolutè futurâ admitterent actuale prædestinationis vel probationis decretum; & error manifestus, quia nullus præmio vel supplicio afficitur propter ea quæ facturus fuisset, sed propter ea quæ fecit: *Alioquin*, ait Aug: lib: de dono persev: c. 9. *Tyrii & Sydonii non secundùm ea quæ gesserunt, pœnas luerint; sed potiùs secundùm ea quæ gesturi fuerant, si in eis virtutes illæ Evangelicæ factæ fuissent, consequerentur salutem.*

V. Epist. 6. Prosp: ad Aug

S Prosp: Ibid:

Quoad adultos verò abutebantur etiam ſcientiâ conditionatorum, 1°. eo quòd vellent per talem ſcientiam Deum cognoſcere, quinam ex *ſolis* liberi arbitrii viribus credituri eſſent, ſi ipſis annuntiaretur Evangelium; quod certè Scripturis adverſatur ſæpiſſimè inculcantibus fidem Dei donum eſſe; 2°. quòd aſſererent, pium illum ac merè naturalem credulitatis affectum quem Deus prævidebat ex hypotheſi prædicationis Evangelii, cauſam eſſe, quâ is certò moveretur admittendos prædicatores Evangelii, ex quo conſequens erat, gratiam vocationis gratuitam non eſſe, ſed dari ſecundùm merita; 3°. quod exiſtimarent, futurum voluntatis sub conditione gratiæ conferendæ conſenſum à Deo præviſum, eſſe cauſam & motivum ejusdem gratiæ conferendæ; ex quo ſequabatur, ſcientiam conditionatorum non tantùm eſſe cauſam directivam decretorum Dei circà opera ad ſalutem conducentia, ſed etiam motivam & certò determinativam: quod planè erroneum eſſe, vel ex uno Tyriorum & Sydoniorum exemplo invictè demonſtratur, apud quos patrata non fuêre miracula, etſi prævidiſſet Deus, futurum ut ipſi dignos poenitentiæ fructus agerent.

A prædictis erroribus longè diſtat doctrina *ſcientiæ mediæ*, prout nunc à pluribus propugnatur Theologis. Namque 1°. aſſerunt hujus ſcientiæ patroni, ad ipſum etiam primum fidei & ſalutis initium gratiam voluntatis prævenientem abſolutè neceſſariam eſſe; ità ut nec pius credulitatis affectus, nec alia bona opera futura prævideantur à Deo, niſi ſub conditione gratiæ concedendæ; 2°. negant conſenſum illum voluntatis præviſum ſub conditione gratiæ, motivum eſſe conferendæ gratiæ; conſtat enim baptismi, vocationis aut converſionis gratiam denegari pluribus, quos tamen Deus prævidet huic gratiæ in his vel illis circumſtantiis eſſe conſenſuros. Ratio à priori eſt, quia ſcientia media, juxta patronos ipſius, eſt cauſa directiva duntaxat decretorum Dei, non impulſiva: Nempè poſito quod Deus velit voluntate efficaci aliquem ad ſe convertere, videt per ſcientiam conditionatorum, an huic vel illi gratiæ ſit conſenſurus, ex hypotheſi quòd ei concedatur; atque ex decreto purè gratuito hanc illi gratiam decernit, cui videt ipſum in talibus circumſtantiis conſenſurum; 3°. exinde ſequitur, ſcientiam conditionatorum, juxta eosdem Theologos, non tranſire in abſolutam, niſi mediante abſoluto, efficaci & pu-

rè gratuito Dei decreto, quod quidem prima eſt ac præcipua futuritionis abſolutè rerum cauſa.

Quæres 2°. an Semipelagiani erraverint circa divinam prædeſtinationem. R. erraſſe illos, 1°. circa prædeſtinationem parvulorum, quos dicebant ad gloriam eligi propter merita nunquam futura, ſed quæ fuiſſent poſita, ſi diutiùs vixiſſent; 2°. circa prædeſtinationem adultorum; quia aſſerebant Deum promiscuè ac conditionatè omnium hominum velle ſalutem, modo ipſi vellent credere, vel ſe ad fidem præparare per ſolas naturæ vires. His porro erroribus non inficitur Theologorum doctrina, quæ prædeſtinationem ad gloriam ex præviſis meritis propugnat. Namque 1°. tanquam fide certum tenent, nulli gloriam æternam decerni, niſi propter merita quæ ex gratia profecta ſint; 2°. reſpectu eorum omnium qui ſalvantur, specialem agnoſcunt Dei prædilectionem ex qua ipſis merè gratuito auxilia ſpecialia decreta ſint, quibus factum eſt ut ſalvarentur; 3°. Semipelagianum commentum circa parvulorum prædeſtinationem explodunt: quod enim aliqui parvuli moriuntur ſuſcepto baptismate, ex ſola Dei benignitate repetunt, quamvis exiſtiment infantes illos efficaciter ad gloriam non eligi, niſi ex præviſa applicatione meritorum Chriſti, quæ fit per baptismum.

DISPUTATIO TERTIA.

De Prædeſtinatianis quinti ſæculi.

Pelagius nimium extollens liberum arbitrium gratiæ neceſſitatem negavit: Alii è contra gratiæ plus æquo tribuentes, libertatem arbitrii ſuſtulerunt; & à prædeſtinatione ſive ad bonum ſive ad malum neceſſario determinante, dicti ſunt Prædeſtinatiani. An reipſà quædam extiterit hæreſis Prædeſtinatiana, ſeculo quinto, jam hic occurrit expendendum. Potior difficultas eſt de Monachis Adrumentinis, circa an: 424. & de Lucido quodam in Gallis Presbytero circa finem ejuſdem ſeculi. Sit

Conclusio I. Nulli fuerunt in Adrumentino Monaſterio Prædeſtinatiani, ſed Semipelagiani quidam quos S. Aug: docuit & correxit.

Antequam probetur Concluſio: adverte, anno circiter 424. occaſione librorum S. Aug: præſertim vero Epiſtolæ ejus ad Sixtum, in Adrumetino Africæ Monaſterio

ſubortas eſſe rixas inter fratres: alii, inter quos Florus, Auguſtini doctrinæ adhærebant; alii afferebant, eam prout à Floro proponebatur, non poſſe absque libertatis diſpendio propugnari; unde & Florum alii duo Monachi Felix & Cresconius apud S. Aug: accuſarunt. Scripſit S. Doctor ad Valentinum Monaſterii hujus Abbatem duos libros, unum de gratiâ & libero arbitrio, alterum de corrept. & grat. quibus diſſidia omnino compescuit. Jam Concluſio

Prob. ex Auguſt. L. 2. Retract: c. 66. exaratus eſt liber de grat. & lib. arb adversùs eos *qui ità defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam;* ac proinde non contra Prædeſtinatianos, ſed potiùs contra quosdam Pelagianis erroribus tinctos: atqui ibidem declarat S. Doctor, ſe librum de grat. & libero arb. direxiſſe ad Monachos Adrumetinos; ergo nulli fuêre Prædeſtinatiani in Adrumetino Monaſterio, ſed tantùm quidam Pelagianâ aut Semipelagiana fuligine tincti.

Et vero vel illi erant Prædeſtinatiani qui Floro reſiſtebant, vel ipſemet Florus: atqui neutrum dici poteſt. Non primum; namque ii ſunt quos commovit lectio Epiſtolæ ad Sixtum, quæ gratiam negat secundùm merita dari, ii ſunt quos præmunit S. Aug. contra errores Pelagii; ii tandem ſunt qui Florum accuſabant quaſi liberum negaret arbitrium: atqui iſthæc omnia apertè demonſtrant ipſos non fuiſſe Prædeſtinatianos, ſed magis Pelagianos. Non 2. Etſi enim S. Aug. auditis ſolis Cresconio & Felice, qui ex ſimplicitate doctrinam Flori perversè expoſuerant, de illius Fide ſubdubitaſſe videatur lib. de grat. & lib. arb. Attamen ubi ſemel Florum audivit, illius fidem laudavit, ut conſtat ex lib. de corrept. & grat. c. 10. *Hanc fidem quæ ſine dubio Catholica fides eſt, in fratre noſtro Floro inveniſſe me gaudeo, undè hi potiùs corrigendi ſunt.... qui eum non intelligebant.*

CONCLUSIO II. Prædeſtinatiana hæreſis commentitia non eſt, ut placet Janſenio, ſed vere in Galliis ſub finem ſæculi V. à Lucido Presbytero & aliis nonnullis obſcuri nominis propugnata.

Prob. Ut realis dici poſſit hæreſis aliqua, duo requiruntur & ſufficiunt; 1°. ut ſit perverſum dogma contra fidem; 2°. ut ſint aliqui hujus dogmatis aſſertores: atqui 1°. contra fidem pugnabant dogmata quæ Prædeſtinatianis attribuuntur. Hæc enim erant; quod Deus abſoluto decreto, omnem demeritorum prævisionem antecedenti ac neceſſitante, quosdam homines ad

damnationem æternam, & ad media ad ipsam conducentia, peccatum scilicet, positive prædestinaret. Quod vellet solos prædestinatos salvos fieri; Quod pro iis solis Christus sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisset; Quod in præsenti statu liberum voluntatis arbitrium ex toto extinctum esset; Quod Sacramenta nec peccatum iis dimitterent, nec gratiam conferrent, qui sunt ad mortem prædestinati: atqui hæc quàm necessaria sint, nemo non videt.

2°. Extitisse aliquos qui eadem dogmata tanquam vera & S. Augustini doctrinæ consentanea propugnaverint; probatur tum ex Epistola Fausti ad Lucidum, in qua præfatas quinque hæreses ipsi damnandas proposuit, quod ni faciat, ipsum ad Synodum mox futuram se delaturum comminatur: tùm ex libello emendationis Lucidi ad Episcopos Gallicanos, quo prava illa dogmata ejurat; tùm ex Synodis Arelatensi & Lugdunensi, circa an. 475. ut verisimilius videtur, celebratis, in quibus errores Lucidi fuére damnati, & approbata Fausti ad Lucidum Epistola. Cùm itaque hîc habeamus accusatorem Faustum, Lucidum reum confitentem, & judices Episcopos in duobus Conciliis congregratos; quid desit ad evincendum aliquos fuisse Prædestinatiani erroris assertores? atque hinc ante Jansenium, Prædestinatianam hæresim agnovêre Valdensis, Alvares, Alphonsus à Castro, Baronius, Binius, Bellarminus, & ipsemet Petrus Aurelius tom. 1. pag. 197.

T. 8. Bibl: PP. pag: 524.

Obj: 1°. cum Manguino aliisque Jansenii Apologistis: Concilia Arelatense & Lugdunense, aut ficta sunt, quia de iis solus inter veteres meminit Faustus Semipelagianorum coriphæus; aut Semipelagiana, quia Fausti Epistola, ipsiusque de grat. & lib. arb. libri, nec non & libellus Lucidi in iis Conciliis approbata, Pelagianis erroribus scatent; ergo. R. neg: ant. *Quis enim,* aït Card. Norisius, *de Fausto tantos dolos sibi persuadeat, qui coram universis Galliarum Episcopis tantorum mendaciorum architectum se sistere non extimuerit? Quo animo Leontio Metropolitæ doctissimo imponere ausus fuisset; quasi de remotissimis Asiæ rebus perscriberet, non verò de iis quæ in duabus nobilissimis urbibus nudiùs tertiùs gesta fuerant?* Et vero licet Faustus fuerit Semipelagianus quando suam de gestis in causa Lucidi conscripsit Epistolam, non minùs ei credendum, quàm Eusebio, Ariano, & Socrati novatiano, de quorum fide in factis historicis quæ palam nemine contra-

L. 2. Hist: Pelag: 15.

dicente conſcripsêre, nullus ambigit. Certe ſi, ut placet Mauguino, tota illa Hiſtoria à Fauſto conficta fuiſſet, ejus hoſtes quos plurimos habuit, imprimis vero Joannes Maxentius Monachorum Scythiæ Anteſignanus, tam apertam fallaciam ei exprobrare non omiſiſſent.

Quod addunt Janſenii Apologiſtæ prædictas Synodos *conflatas ex Epiſcopis partim Semipelagianis, partim à Semipelagiano Fauſto deceptis, graviſſimam ſine teſtibus, ac proinde fruſtrà, injuriam doctiſſimis ac ſapientibus Patribus inurit*, ut obſervat idem Notis.

Obj. 2°. S. Prudentius Trecenſis & Florus Lugdunenſis in Scriptis contra Scotum Erigenam afferunt, ſe nec legiſſe, nec uſquam audiviſſe, an extiterit hæreſis Prædeſtinatiana. Idem ſubindicat in Synodi Arauſic. II. Can: 25. *Aliquos ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum nòn credimus, ſed etiam,* SI SUNT, *qui tamen malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus;* ergo. R. 1°. in rebus factis potiùs habendam eſſe fidem autoribus coætaneis quales fuêre Fauſtus & Lucidus, qui ea narrant quorum erant oculati teſtes; quàm recentioribus, quales ſunt Autores laudati qui nono ſæculo floruêre; 2°. cùm hæreſis Prædeſtinatiana brevi compreſſa ſit, & à paucis ac ignobilibus viris propugnata, mirum videri non debet ſi nono ſæculo nonnullis ignota fuerit.

Quod ſpectat ad Synodum Arauſic. merito dubitat an tempore quo celebrata fuit, id eſt an. 529. extiterent Prædeſtinatiani: ſiquidem jam ab an. circiter 475. Lucidus errores ſuos depoſuerat, nullusque poſt ipſum ante Goteſcalcum eâdem hæreſi infectus legitur.

DISPUTATIO QUARTA,

De Prædeſtinatianis noni ſæculi

Præcipua disputationis hujus materies Goteſcalcus, Cœnobii Orbacenſis in Diœceſi Sueſſionenſi Monachus. Is an. 847. è Monaſterio, ubi erroris ſui ſemina jam ſparſerat, in Italiam migravit, ibique errores ſuos apertiùs diffundere cœpit: à *Nottingo* Veronenſi Epiſcopo detectus, per ipſum *Rabano* Archipræſuli Moguntino delatus fuit, qui an. 848. Moguntiæ Synodum habuit, ex omnibus fere Germaniæ Epiſcopis. Adfuit Goteſcalcus, obtulitque fidei profeſſionem cum libello, in quo *Rabanum* velut Semipelagianum tradu-

cebat. At convictus ipse, & hæreseos damnatus, ad *Hincmarum* Remens. Metropolitam suum remissus est, à quo iterum in Synodo Carisiacâ an. 849. tanquam hæreticus damnatus est, in ergastulo Monasterii Altivillarensis, reclusus, ubi Augustinum sui esse constanter clamitans, nullis Hincmari precibus flecti potuit; unde moriens communione, & post obitum Ecclesiasticâ sepulturâ privatus est. Male quidem, si Jansenianis fides, bene vero si pluribus aliis. Sit.

Conclusio Gotescalcus sopitam Prædestinatianorum hæresim sæculo nono exsuscitavit.

Prob. 1°. ex Rabano in Epist: Synodicâ Concilii Moguntini ad Hincmarum, ubi de Gotescalco hæc leguntur: *Dicit quòd prædestinatio Dei sicut in bono sit, ita & in malo: & tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei quæ eos cogat in mortem ire, non possunt ab errore & peccato se corrigere, quasi eos Deus fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habitâ ab eo* (Gotescalco) *audientes, & incorrigibilem eum reperientes .... decrevimus eum cum perniciosâ suâ doctrinâ damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis.*

Prob. 2°. ex Synodo Carisiacâ I. an. 849. Eâ etiam in Synodo Gotescalcus *inventus est hæreticus & incorrigibilis, atque idcircò virgis cæsus, ergastulo est reclusus.* Ità summatim habet Synodica Concilii sententia. Idem liquet ex Synodo II. Carisiacâ an. 853. & ex Amolonis Lugd. Epistolâ ad Gotescalc.

Obj. 1°. Non potest meliùs Gotescalci sententia dignosci, quàm ex fidei confessionibus ab ipso editis: atqui in his Prædestinatianorum errores nullatenùs docet; neque enim affirmat Deum prædestinare ad culpam, imo asserit prædestinationem ad pœnam esse ex præviforum malorum meritorum, quod à S. Aug. aliisque Patribus traditum est; ergo.

R. 1°. neg. maj. Namque nemo nescit hoc semper familiare fuisse hæreticis, ut ambiguas fidei professiones emitterent, quibus errores suos dissimulare conarentur. Hoc ab Arianis, Pelagianis, & Nestorianis factitatum legimus; hoc Gotescalcus pari fraude imitatus est, ut ex nostris probationibus constat.

R. 2°. neg. min. Nedùm ex professionibus Gotescalci orthodoxia illius probari possit, imo contrarium evincitur. Cum enim se tanquam Prædestinatianæ hæresis reum traduci videret, profecto si tali errore infe-

ctus non fuisset, apertis ac minime ambiguis verbis declarasset, se ad pœnas *duntaxat*, non ad culpam admittere prædestinationem; reprobos libere omnino peccare; Christum mortuum esse pro aliorum quàm prædestinatarum salute: atqui tamen nihil usquam ex iis clare asseruit, nequidem in breviori confessione, in qua errorem suum magis dissimulat; ergo tutius in doctrina Gotescalci judicatur ex Rabano, Hincmaro, Amolone, &c. qui eum disputantem audierant & varia ejus scripta accurate perlegerant, atque ex Conciliis Moguntino & Carisiaco in quibus convictus & damnatus est, quàm ex ipsius captiosis, carceris tædio datis fidei professionibus.

Obj. 2°. Prudentius Trecensis Antistes, Lupus Ferrariensis, Remigius Lugdn. Gotescalci partibus faverunt; atqui viri sancti & docti non faverunt hæretico. R. dist. maj. id est faverunt personæ, quam ambiguâ fidei ejus professione decepti, ab errore immunem judicarunt, C. id est faverunt dogmatibus, N. Sic enim loquitur S. Prudentius in Ep. ad Hincmarum c. 3. *Impios prædestinavit Deus, non ut peccarent, sed ut propter peccatum pœnis perpetuis interirent: prædestinavit, non ad culpam, sed ad pœnam; non ut malum quoddam vellent, sed ut propter malum quod volentes facerent, eos pœnâ sempiternâ justè damnaret.* Ex quo patet vel ipsum Prudentium inter Gotescalci defensores ardentiorem, ab ipso discrepasse circa illud perversum prædestinationis dogma, quod omnium aliorum ejus errorum fons est & origo.

DISPUTATIO QUINTA.

De Wiclefo, Luthero & Calvino.

Wiclefus natione Anglus, Doctor & Oxoniensis Professor, circa finem seculi XIV. rigidiorum Prædestinatianorum errores renovavit, & docuit 1°. Deum actu & necessario producere, tum ad intrà, tum ad extrà quidquid potest: ac proinde mundum, & quidquid in mundo existit, necessitate absolutâ existere; quidquid autem non existit, omnino esse impossibile; 2°. etsi Deus necessario producat quidquid producit, ipsum tamen liberum esse; eâ ferme ratione quâ liber est in generatione Filii sui, quem necessario generat; 3°. Deum prædestinare creaturas intellectuales ad quemlibet actum suum; ipsisque sua prædestinatione absolutam

necessitatem inferre, sive ad bonum, sive ad malum; 4°. eas tamen liberas esse, quia spontaneé agunt. Errores isti, qui omnes in Wiclefi Trialogo habentur, variis censuris confixi sunt, imprimis vero in Concilio Constantiensi, Sess. 8. & in Bulla Martini V.

Lutherus natione Saxo, professione per plures annos Eremita Augustinianus an. 1517. ex apostasia in hæresim; & ex hæresi in famosum evasit hæresiarcham. Docuit is inter cetera, 1°. per gratiam voluntati necessitatem inferri, non eam quidem quæ coactionis dicitur, sed eam quæ simplex vocatur; adeo ut in hominis potestate non sit, moventi gratiæ obtemperare vel refragari, sed necessario obtemperet. Hinc Bucerus insignis inter Lutheranos: *Pax est*, ait, *Lutheranos inter & Catholicos, si sola coactio libertati repugnat.* *L. de serv. arb.*

2°. Sub gratiæ impulsu voluntatem, instar stipitis, mere passive se habere respectu boni *formaliter* sumpti, seu quatenus meriti rationem inducit; adeo ut nihil vi propriâ & partiali virtute, quantumvis per gratiam elevatâ, cooperetur voluntas circa bonum. Assertionis hujus ratio à priori hæc est, quod ex Luthero optima quæque viri etiam sanctissimi opera inficiantur aliquâ peccati labe; propter concupiscentiæ vitium, quod optimis actionibus humanis semper adhærescit. Ceterum non vult Lutherus, voluntatem instar lapidis se mere passive habere ad bonum materialiter sumptum, id est, ad physicum actûs. Sed tantum asserit, eam necessario determinari & applicari ad opus bonum, ità ut in ipsius potestate non sit ab eo abstinere. Sic gratia præveniens vulgo dicitur, *motus qui fit in nobis sine nobis*; non quidem sine nobis vitaliter & active concurrentibus, sed sine nobis libere & ex indifferentia operantibus. *In. Psal.5. Assert: art.26. & 27.*

3°. Affirmat per peccatum voluntatem amisisse libertatem à necessitate simplici, sive activam indifferentiam flectendi se ad partem alterutram; adeoque jam in homine liberum arbitrium *esse duntaxat vacuum sine re titulum.* Quatuor præcipue à Lutheranis editæ sunt fidei confessiones, Augustana scilicet, Saxonica, Wittembergica, Bohemica. Harum omnium celebratissima est Confessio Augustana. Viginti octo complectitur articulos: à Melancthone exarata fuit, qui postea ipsius apologiam edidit.

Joannes Calvinus, à quo Calvinistæ, Novioduni an. 1509. Catholicis parentibus natus, e Lutetia ubi Lutheranâ fuligine tinctus est, Basileam 1°. ac deinceps

Genevam se recepit, ibique an. 1564. variis, gravissimisque morbis vexatus, miserrime obiit. Is recensitos supra Lutheri errores erroribus novis cumulavit, de quibus passim dicemus in hujus Operis decursu.

Discipuli ejus in tres præcipuè sectas abiêre. Prima eorum est qui pura Calvini dogmata sectantur, quales sunt 1°. Genevenses; 2°. Reformati in Gallia, Belgio, Helvetia; 3°. Presbyteriani in Anglia & Scotia.

Secunda est Anglo-Calvinianorum, qui nec mere sint Lutherani, nec Calviniani, sed adhærent erroribus quos *Cramner* Lutheranus favente Reginâ *Elizabeth*, schismati Henrici VIII. addidit, servatis semper nonnullis ad Hierarchiam pertinentibus; unde dicti sunt *Episcopales*. A Presbyterianis differunt, dum agnoscunt Episcopos non solum ordine, sed & jurisdictione Presbyteris jure divino superiores.

Tertia *Arminianorum* est: sic dicti ab Arminio Ministro primum Amstelodamensi, ac dein Theologiæ Professore in Academia Lugduni Batavorum. Dicti etiam *Remonstratenses*, ob libellos supplices Synodo Dordrect: oblatos, dicti insuper *molles Calvinistæ*, ob emollitam Calvinianorum dogmatum duritiem: *Gommaristis* vero ipsorum adversariis, *Contraremonstratensium* & *rigidiorum Calvinistarum* nomen datum. Inter Arminianos eminent *Arminius*, *Episcopius*, *Grotius*, &c. Inter Gommaristas *Gommar* ejusdem Academiæ cum Arminio Professor, *Scultet*, *Polyander*, &c.

Duo habita sunt in Galliis celeberrima Colloquia, ad Calvinianos, si fieri posset, in unitatem Ecclesiæ revocandos. Primum an. 1561. Poissici. Huic aderant cum Rege Carolo IX. & Reginâ matre, aliisque Regii sanguinis Principibus, sex Cardinales, Archiepiscopi circiter 40. selectique Doctores, quos inter *Claudius Espencœus*, & *Claudius Sancthesius* Theologi Parisienses. Ex parte vero Calvinistarum *Theodoretus Beza*, *Petrus Vermilius*, cognomine *Martyr*, aliique numero tredecim. Alterum Colloquium, *ad sanctum Germanum in Laya* jussu Reginæ celebratum fuit an. 1562. in eo selecti e sacrâ Facultate Parisiensi Doctores, contra *Bezam* invictis argumentis demonstrarunt, cultum Imaginum, pium esse ac omnino retinendum.

Viginti novem Nationales Synodi à Calvinistis celebratæ sunt in Galliis ab an. 1559. ad annum 1631. Harum Synodorum prima est, *Parisiensis*, habita die 25. Mai 1559. Postrema vero *Carantoniensis*, an. 1631. in ea latum est famosum illud decretum, quo expresse de-

claratur, in doctrina Lutheranorum præsentiam realem agnoscentium, nihil esse quod idololatriam aut superstitionem redoleat.

DISPUTATIO SEXTA.
De Michaële Baïo.

Michaël Baïus an. 1513. apud Belgas natus, ac Doctorali laureâ in sacra Lovaniensi Facultate donatus an. 1550. nova jam ab an. 1552. dogmata spargere incœpit. Unde an. 1560. Parisienses Magistri ejusdem propositiones 18. proscripsêre.

Redux e Tridentino Concilio Baïus vera edidit Opera, quæ nova fuêre dissidiorum seges His ut occurreret Pius V. 66. Baïi articulos, tacito ipsius nomine, sub variis censuris respective damnavit die 1. Octobr. an. 1567. Acquivit Pontificiæ Constitutioni an. 1570. Nationalis Belgii Synodus, at non Baïus ipse. Unde an. 1579. Gregorius VIII. Pii V. successor, novâ Constitutione præcedentem confirmavit. Huic demum, agente Franc. Toleto exinde Cardinali, obtemperavit Baïus an. 1580. & errores suos publico scripto retractavit, diemque pacifice clausit an. 1589. annos natus 77.

Integrum Baïi systema ad tria generatim capita revocari potest. Primum spectat statum naturæ innocentis: secundum statum naturæ lapsæ: tertium statum naturæ reparatæ. 1°. itaque circa statum naturæ innocentis docet Baïus, Deum habitâ ratione justitiæ & bonitatis, non potuisse Angelum aut hominem primitus creare absque ordinatione ad intuitivam sui visionem; 2°. & consequenter, Gratiæ beneficia naturæ innocenti concessa, eidem debita fuisse ac naturalia 3°. dona proinde Angelis & primo homini concessa, stricte gratuita non fuisse & supernaturalia, 4°. gratiam Adamo & Angelis concessam non produxisse merita supernaturalia, sed *merè* humana & naturalia, &c.

Circa statum naturæ lapsæ docet Baïus primum hominem propter transgressionem divini mandati, omnibus gratiæ donis, quæ ex Baïo erant veluti naturæ appendices, quibus malum vitare, bonumque operari poterat, prorsus orbatum esse ac proinde cujuslibet incapacem boni, solius capacem iniquitatis factum esse. Hinc 1°. juxta Baium, sine gratiâ nonnisi ad peccandum valet liberum arbitrium; & quidquid ex ipso gratiâ destituto procedit, ipsa etiam infidelitas negativa, peccatum est. Hinc 2°. *in omnibus suis actibus pecca-*

tor ſervit dominanti cupiditati. Unde & *Omne quod agit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Hinc 3°. *ſola violentia repugnat naturali hominis libertati* ad merendum & demerendum requiſitæ, ac proinde, *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* Ex quo rursùs, *homo damnabiliter peccat, in eo quod neceſſariò facit:* ideoque *concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale in quibus jam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.* Quid & in ipſis juſtificatis indeliberati concupiſcentiæ motus, totidem, ſunt transgreſſiones præcepti, *Non concupiſces;* quamvis, Deo benigniùs agente, non imputentur in peccatum. Ceterùm in ſtupendo Baïi ſyſtemate, parentum peccata ad filios transfunduntur, non ſecùs Adæ peccatum.

Prop: 40. Baïi. Prop: 35. Prop: 36. Prop: 39. Prop: 67. Prop: 47.

Circa ſtatum naturæ reparatæ cenſet Novator; quodlibet opus bonum, ex natura ſua meritorum eſſe vitæ æternæ: unde ſequitur, 1°. hominem bonis operibus juſtum formaliter effici, ac proinde *juſtitiam quâ juſtificatur homo, conſiſtere formaliter in obedientia mandatorum, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium Dei;* 2°. nullum eſſe opus bonum quod ex proprie dictâ & dominante caritate non procedat: quia caritate informatum eſſe debet opus, quod vitam æternam meretur, hominemque formaliter juſtificat. Hinc *non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate;* 3°. in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ hominem non vivificari miniſterio Sacerdotis, reatum culpæ non dimitti, ſed reatum poenæ duntaxat tolli, &c.

Prop: 42. Prop: 6.

Ceterùm ex dictis facile colliges, quæ pro triplici naturæ ſtatu triadidit Baius, veluti totidem conſectaria ab unico palmari principio indivulſa derivari, quo ſtante, ſtant; quo everſo, evertuntur. Principium iſtud eſt: *Non ſunt niſi duo amores,* aut *charitas virtus theologica, quæ Deum diligit tanquam finem ultimum, quæque primo præcipitur Decalogi præcepto;* aut *vitioſa cupiditas quæ creaturæ inhæret tanquam fini ultimo abſque ullo ad Deum reſpectu, atque tota prohibetur lege.* Deus quippe juſtus & bonus hominem ſolâ motum cupiditate creare non potuit: ſi ergo præter vitioſam cupiditatem nullus detur rectus amor, niſi ſupernaturalis, ac proprie dicta charitas virtus theologica, neceſſum eſt ut Deus Adamo & Angelis charitatem, cujus finis eſſentialis eſt viſio intuitiva, tribuerit in primo ipſorum creationis inſtanti: Hinc naturæ debita fuit ordinatio ad intuitivam Dei viſionem; nullum ipſi conceſſum eſt

donum supernaturale, & gratuitum: ac consequenter merita ex charitate profluentia naturalia erant & humana; quæque ipsis tributa fuisset felicitatis, hæc non gratia, sed merces esset: hinc iterùm liberum arbitrium gratiæ donis, quæ erant veluti naturæ appendices, destitutum, nonnisi ad peccandum valet, &c.

Tot errorum monstra reprobârunt Constitutionibus suis Pius V. Gregorius XIII. ac demum an. 1641. Urbanus VIII. sed quia adversùs Bullam istius, quæ incipit, *In eminenti*, fremunt Baïi, Jansenii que fautores; videndum 1°. an ea authentica sit; 2°. an sit ea suprema Ecclesiæ lex. Sit

Conclusio I. Bulla Urbani VIII. non est subreptitia.

Prob: 1°. Bulla qua confirmavit, suamque agnovit ipsius Autor; quam perpensis impugnatorum querelis denuo probavit; quam declaravit se nunsquam revocaturum, quidquid in contrarium conclamitarent ipsius adversarii; hæc, inquam, Bulla nonnisi summâ cum temeritate ut subreptitia traduci potest. Atqui 1°. Urbanus VIII. Bullam *In Eminenti* suam agnovit, ut patet ex iteratis ejusdem Brevibus ad Belgii Præsules & Academias. *Quamobrem*, ait in Brevi ad Arch: Mechliniens. an. 1643. *enixè flagitamus, ut intolerabilem eorum*, Jansenianorum, *arrogantiam coërceas: ipsosque ad parendum Apostolicæ sanctioni quoquo facto compellas;* 2°. idem Pontifex auditis Synnichii & Papii, qui Romam à Lovaniensibus deputati fuerant, querelis, nedum his cesserit, *omnibus maturè perpensis mandavit*, iisdem Deputatis, *mentem & voluntatem* suam *esse, ut ab omnibus Christi Fidelibus Bullæ hujusmodi omnino pareatur;* 3°. idem Papa ad Internuntium Bruxellensem rescribi voluit, ut omnibus notum faceret, *nunquam, nè per minimam quidem cogitationem SS. Domino venturum in mentem, ut Bullam quacumque demum sui parte immutet.*

Prob. 2°. ex Urbani VIII. successoribus. Innocentius X. prædecessoris sui Bullæ executionem urgere non destitit, Brevibus datis ad Belgii Præsules, & Academias Lovaniensem, Duacenam, Parisiensem: non ergo eam ut subreptitiam habebat; sed nec Alex. VIII. in decreto contra 31. propositiones quarum ultima hæc est, *Bulla Urbani VIII. est subreptitia.*

Obj. 1°. Interpolavit Bullam Albizius, nomen Jansenii in ea inserens, prohibente Urbano qui neminem in illa appellari volebat; ergo. R. insignem hanc esse

in Albizium calumniam, cujus falsitas manifeste patet ex ipsismet verbis quæ sibi ab Urbano dicta solus testatur Synnichius; nempe voluit S. Pontifex *quòd nullus in particulari sugillaretur cùm expressione nominis;* id est, quod nullus appellato nomine censuræ notâ percuteretur; quod rite in Bulla observatum fuit, in quâ liber Jansenii itâ damnatus est, ut nulla ejus personæ nota inusta fuerit: sed cùm ferretur Bulla contra librum cui titulus, *Cornelii Jansenii Augustinus*, ab appellando Yprensi Episcopo abstinere non potuerunt Bullæ Autor, ipsiusque Secretarius.

Conclusio II. Bulla Urbani VIII. quoad doctrinam spectata, summum est ac irreformabile Ecclesiæ judicium, cui proinde unusquisque integrum cordis & mentis assensum præstare tenetur.

Prob. Lex dogmatica sanctæ Sedis acceptata expresse in locis ubi viget contentio, ac in Orbis celebrioribus Ecclesiis, ceteris tacite consentientibus, supremum est & infallibile Ecclesiæ judicium, cui omnes ex animo assentiri tenentur. Major hæc certa est, quâ nutante, nutarent omnes usque in hunc diem dispersæ Ecclesiæ definitiones: hinc eam expresse tradunt non modo Doctores Catholici, sed & Baïi sectatores; imo Aurelius tom. 1. pag. 98. & 127. & ipsemet Quenellus, lib. titulis, *Tradition de l'Eglise Romaine*, tom. 1. pag. 217. illius veritatem stabiliunt. Atqui Bulla Urbani VIII. 1°. lex est Sedis: Siquidem lata est de consensu Cardinalium, ad cunctas directa Ecclesias; & rite promulgata Romæ, ut testatur Urbanus VIII. in Brevi ad Archiep: Mechliniensem; 2°. Lex est dogmatica: proponit enim aliquid credendum, nempe singulas propositiones aliquam mereri ex assignatis notam, atque ex notis nullam esse quæ alicui non competat propositioni: deinde judicium est ad omnes directum Ecclesias, habens pro objecto, non meras voces, sed perversam Baïi doctrinam; demùm nec istius judicii viritas demonstrari potest nisi ex fidei catholicæ fontibus, Scripturâ scilicet & Traditione; 3°. expresse acceptata fuit in Belgio: agente enim Innocentio X. Episcopi mandatis publicis, ac Facultates instrumentis authenticis, Bullam promulgârunt, unde decretum fuit anno 1648. de submissione & acceptatione juramentum, quod subsignare tenebantur, qui ad munia sive politica sive sacra anhelabant; 4°. Expresse quoque acceptârunt Bullam Ecclesiæ nobiliores. De Hispanica certum est, tùm ex Edictis Regiis, tùm ex generalis Hispaniarum

Inquisitoris decreto an. 1644. De Polonica habetur apud Ripaldam Instrumentum solemnis publicationis in his Regionibus. De Ecclesia Germanica, hinc constat quod hæc Constitutio ibi assumitur in regulam: unde cùm in quadam thesi nonnulli e Baïanis articulis propugnarentur, ea statim flammis ultricibus tradita est, ut refert Lib. cui titulus, *Triumphus Catholicæ veritatis*, p. 412. & 413. Quod ad Gallicanam spectat Ecclesiam, Archiepiscopi Parisiensis & Bizuntinus, Episcopus Suessionensis eam solemniter publicârunt: Facultas quoque Parisiensis Theologica articulos damnatos suis interdixit alumnis: atque visa est tantæ autoritatis, ut 88. Præsules, Epist. ad Innoc: X. an. 1650. voluerint eam fuisse sufficientem ad motus, quos excitaverat Jansenii liber, sedandos: unde Em. Noallius cum aliis 12. Præsulibus declarans mentem Comitiorum anni 1705. asserit huic Bullæ nullam deesse ex conditionibus requisitis ad quemlibet Fidelem obligandum.

T. 3. de Ente sup.

Obj. 1°. Bulla Urbani VIII. in se multis turget abusibus, clausulisque insolitis: nusquam acceptata fuit juxtà formas apud nos vigentes; ergo. R. 1°. multo plures reperiri abusus in Bulla adversùs librum *de placitis Sanctorum*, cujus tamen viget apud nos autoritas; 2°. ubi quæstio est de definitione dogmaticâ, formalitates quælibet assertæ veritati cedere debent; 3°. modus acceptationis non obstat, quominùs lex dogmatica vim habeat ineluctabilis decisionis: etenim, ut ait Bossuet Defens. declar. Cleri Gallic. lib: 3. c. 2. *quocumque modo fiat ut Ecclesia consentiat, transacta planè res est: neque enim fieri potest unquam, ut Ecclesia Spiritu veritatis instructa, non repugnet errori*.

Obj. 2°. Bulla prædicta sine examine prævio lata fuit; ei consensum præbere nequiverunt Episcopi, quia damnat confuse, & *in globo*; non fuit acceptata canonice, id est, in Conciliis Provincialibus; ergo. R. *Quocumque modo fiat*, inquit, Ill. Bossuet, *ut Ecclesia consentiat, transacta plane res est.* Scilicet ex definitione exteriori certè judicandum adhibitas fuisse conditiones ad judicii validitatem necessarias; non autem ex prætenso alicujus conditionis defectu enervanda est definitionis autoritas: hæc enim ratiocinandi ratio, non esset medium breve, & unicuique proportionatum; sed e contra prolixum, periculosum, imo præsertim rudioribus impossibile. Ita observant Cardin. Archiep. & Episcopi Gallicani an. 1728. in suo ad Regem doctrinali

judicio pag. 21. & 25. unde ruunt omnia propositæ objectionis capita.

Ad 1. tamen *non sine matura deliberatione & diligenti consideratione*, latam fuisse Bullam testatur Urbanus VIII. Ipsi sane fides debetur.

Ad 2. dico hanc objectionem militare contra omnes *in globo* definitiones, quarum tamen usus semper invaluit.

Ad 3. Concilia Provincialia optima quidem sunt & plerumque exoptanda; at ea absolute esse necessaria ad validam definitionum dogmaticarum acceptationem, figmentum est hominum obedientiam denegantium.

Quæres quomodo legenda sint hæc Bullæ Pii V. verba: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore ac proprio verborum sensu ab autoribus intento hæreticas.... respective damnamus.* Lis est utrùm comma sit delendum post verbum *possent*, subjiciendumque voci *intenta*: affirmant Yprensis discipuli, quibus si fidem adhibeas, is erit Bullæ sensus: Has damnamus sententias, quanquam nonnullæ, & aliquo pacto & in rigore, & in proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent: id est, licet propositiones in rigoroso & in proprio sensu veræ sint, eas tamen damnamus. Hæc tota est quæstio, cujus vel sola expositio litem dirimit: sit tamen.

Conclusio III. Comma in Bulla Pii V. collocari debet post verbum *possent*.

Prob. Quod constat ex archetypo Bullæ & ejus exemplaribus; quod agnovit ipsemet Baïus, docetque utraque Academia; quod denique ex contextu Bullæ aperte colligitur, illud sane in præsenti materia certum manere debet: atqui....

Primum constat ex Card. de Lugo qui 26. Octob. 1644. solemniter testatus est se in archetypo Bullæ legisse comma post ista verba, *sustineri possent.* Addit idem Cardinalis se exemplar vidisse Toleto commissum, ac puncta sicut in archetypo invenisse. Secundum constat ex solemni declaratione, quam, agente Toleto, edidit Baïus anno 1580. in illa enim candide agnoscit, se plurimas ex damnatis propositionibus defendisse, *etiam in eo sensu in quo reprobatur.* Tertium patet ex inspectione declarationum utriusque Facultatis Lovaniensis ac Duacenæ: in iis asseritur propositiones fuisse damnatas *in rigore & proprio verborum sensu de assertoribus intento.* Quartum tandem sic conficitur: Ridi-

cula, injusta, insuetaque legitimæ autoritatis gratis tribui non debet definitio: atqui posito commate, ut Jansenianis placet, ridicula foret definitio, cùm damnarentur propositiones, quæ sensu proprio veræ essent: injusta quoque esset, cùm ex illa sequeretur damnatam jacere veritatem: insueta tandem: neque enim hic Ecclesiæ mos est, justitiam violare, veritatem damnare, vanos perstringere sensus; ergo.

Dices: Plures sunt codices in quibus comma desideratur post verbum *possent*; ergo.

Ut hæc, quam plurimùm ventitant adversarii, diluatur objecto. Not. cum Card. de Lugo, sanctæ Sedis Bullarum duo manuscripta Romæ asservari. Primum est ipsum autographum interpunctis & commatibus distinctum, quod in Archivis S. Officii deponitur: alterum in *Regesto* summi Pontificis describitur continuâ serie, nullo commate adjecto: quæ autem Bullarum exemplaria ad Provincias diriguntur, hæc nisi aliter expresse mandatum fuerit, juxta fidem Regesti, ac proinde sine punctis exscribuntur. His observatis vanescit difficultas. Si quidem exemplar Toleti Romæ asservatur, certo punctis accuratè notatum, testibus de Lugo & Ripaldâ. Quod Lovanium missum fuit exemplar nullo refertur commate post verbum *possent;* qui id notat Jansenius addere debuisset, quod caute silet, nullam in toto exemplaris contextu reperiri interpunctionem. Cùm igitur ex eo similibusve Codicibus transsumpta sint exemplaria, quæ Gerberonius & alii putide objiciunt constat, quæ in iis videntur puncta seu commata, aut partium studio, aut privatorum imaginationi, aut errori typographico deberi.

Quæres 1°. an omnes damnatas propositiones docuerit Baïus? R. earum plurimas tradidit Baïus de verbo ad verbum; nonnullas tenuit quoad sensum duntaxat; ceteras docuêre Hesselius, aut alii præsertim ex Baïi fautoribus: at cùm ipse fermè omnes tradiderit, hinc ipsi vulgo adscribuntur.

Quæres 2°. an omnes articuli à Pio V. damnati, falsi sint in sensu proprio; idque independenter à censuris quibus contrarias sententias notant.

R. ad 1. affirmative: ad id enim satis est ut propositio in proprio & naturali sensu vera, non possit simpliciter & absolutè damnari: atqui, &c.

R. ad 2. recensitos in Bulla articulos qui censuram continent, non solùm ratione *modi* seu propter acer-

bitatem censuræ, sed etiam ratione *dicti*, seu propter doctrinam, juste meritoque fuisse damnatos. Ità constat ex celebri declaratione Facultatis tùm Lovaniensis an. 1585. tùm Duacensis anni 1649. in qua propositiones omnes independenter à censuris eisdem annexis vitiosæ demonstrantur quoad doctrinam. Et vero nullus est ex dictis articulis, cujus vitium, etiam abstrahendo à notis, illico non deprehendatur, si conferantur ad se invicem, præsertim cum isto palmari totius Baïanæ doctrinæ principio: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, aut laudabilis illa caritas per Spiritum Sanctum in cordibus diffusa.*

Ceterùm legitimus earumdem propositionum sensus, colligi debet, tùm ex libris Baïi, Hesselii, aliorumque assertorum; tùm etiam ex propositionibus in se aut relative ad se invicem spectatis, sine librorum ex quibus excerptæ sunt integrâ lectione: ex libris quidem, cùm nonnisi ex propositionum concatenatione resultent; ex propositionibus vero, cùm illæ non sint nisi summa libri.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Jansenio.

Quæ Jansenianam causam spectant, eo diligentiùs à nobis sunt pertractanda, quod domesticam contineant & magno animorum æstu agitatam hâc nostrâ ætate controversiam: 1°. itaque historicam delineabimus Jansenismi synopsim, & critica quæ ad ipsam spectant puncta attingemus; 2°. systema Jansenii evolvemus.

§. I. *Historica Jansenianæ causæ synopsis, &c.*

Persona Jansenii.

Cornelius Jansenius Catholicis parentibus in territorio Laërdamensi apud Batavos natus an. 1585. Ultrajecti primùm, deinde Lovanii studuit, tùm Parisios se contulit, unde cum Abbate San-Cyrano, Baïonam petiit, ubi Primarius Collegii designatus, per annos 12. cum eodem Abbate novum systema circa gratiam adumbravit, quod deinceps expressit in Libro quem inscripsit, *Augustinus*, quasi sinceram S. Augustini doctrinam contineret.

In patriam reversus, laureâ Doctorali donatus & in Academia Lovaniensi sacrarum Litterarum Professor institutus est: tandem an. 1635. Yprensis Episcopus

consecratus, tertio ab inauguratione anno die 6. Maii lue extinguitur. Morti proximus, Operis sui, cui per viginti annos improbo labore incubuerat, edendi curam imposuit Capellano suo. Sic autem habet exemplar testamenti quod ipsius libro præfigitur: *Si Sedes Romana aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ità mea suprema voluntas.* Utinam istud Magistri, sicut & Baïi, observantiæ erga primam Sedem exemplum imitati fuissent Jansenii discipuli: Jam diu tota de ipsius doctrinâ lis fuesset composita.

Vix lucem aspexit posthumus Jansenii Liber, Lovanii an. 1640. cùm ingentes in Belgio motus excitare cœpit. Re ad Sedem Apostolicam delatâ, Urbanus VIII. solemni Constitutione quæ incipit. *In eminenti,* Librum proscripsit; *eò quòd,* inquit, *ex diligenti ac maturâ ejusdem Libri lectione, compertum fuerit, in eodem Libro multas ex propositionibus à prædecessoribus nostris* in Baïio *damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & autoritatis sanctæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi.* Ut ab hac Bulla se tuerentur Jansenii defensores, ipsam subreptitiam esse conclamârunt: ast male prorsùs, ut patet ex dictis.

Bulla Urbani.

Hâc non obstante Constitutione serpebat virus ac latiùs diffundebatur; quare Syndicus sacræ Facultatis Paris. D. Cornet die 1. Julii 1649. plenis in Comitiis requisiit, ut quædam ab ipso oblatæ propositiones censurâ notarentur. Annuit Facultas; sed factâ instigante Ludovico de Saint-Amour, à 70. Doctoribus adversùs dictam conclusionem ad supremam Curiam provocatione, saniori Doctorum parti consultiùs visum est rem totam ad Episcoporum judicium transferri: *Ipsi verò Præsules nostri,* inquit, Ill. Godeau in Epist. quam nomine Cleri Gallicani anno 1653. congregati scripsit ad alios per Galliam Episcopos, *propter nimiam quam perspiciebant animorum contentionem, noluerunt per se ipsos primò ferre sententiam; sed rem totam judicarunt ad summum Pontificem esse remittendam.* Quapropter 88. Episcopi an. 1650. ad Innoc. X. direxerunt Epistolam, in qua Jansenii quinque famosas Propositiones denuntiârunt, solemne de iis rogantes Apostolicæ Sedis judicium.

Quinque Propositiones

Æquis votis annuit Innocentius; & celebrem instituit quinque Cardinalium & Consultorum 13. Congregationem: hi per duos & amplius annos in sessionibus

Constitutio Innoc. X.

36. quarum ultimis decem præfuit S. Pontifex, ea quâ certe major desiderari nequit diligentiâ, Jansenii causam ventilârunt. Ibi quinque Propositiones sigillatim discussæ; Consultorum suffragia tùm voce, tùm scripto diligenter expensa; lecta accurate utriusque partis Memorialia; auditi sæpiùs qui à Gallis venerant ad perorandam Jansenii & propositionum ejus causam: ac tandem emissum est die ultimâ Maii 1653. solemne decretum, quo quinque Propositiones his censuræ notis ab Innoc. X. perstringuntur.

Prima Propositio quæ sic habet: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant;* declaratur *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata & hæretica.*

Secunda: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur;* hæretica daclaratur.

Tertia: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione;* hæretica pariter declaratur.

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare;* falsa & hæretica damnatur.

Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse;* declaratur *falsa, temeraria & scandalosa:* & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, *impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica.*

Constitutionem hanc ad omnes Christiani Orbis Ecclesias transmisit S. Pontifex, præsertim ad Episcopos Gallicanos, à quibus communi omnium plausu excepta fuit & in omnibus Diœcesibus promulgata. Hinc Rex Christianissimus pro suo in tuendâ Religione studio mandavit ut summâ ubique cum reverentiâ exciperetur.

Distinctio juris à facto. Novis artibus Vaticanum fulmen eludere tentârunt Janseniani. Scilicet ut Jansenii doctrinam impune propugnarent, contra apertam rei evidentiam duo ista finxerunt: alterum, quinque damnatas Propositiones non esse Jansenii; alterum, in ipsius sensu non fuisse da-

mnatas. Hinc prima origo famosæ distinctionis *juris* & *facti*.

Huic commento ut occurrerent Præsules nostri, communi suffragio statuerunt in Comitiis anni 1654. 1°. *damnatas quinque Propositiones reipsâ extare in libro Jansenii; 2°. in proprio & naturali ejusdem Jansenii sensu fuisse damnatas.* Idem præstitit Alexander VII. qui in Constitutione editâ die 16. Octob. 1656. conceptis verbis definiit, *quinque Propositiones ex libro Cornelii Jansenii exceptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse.*

Causa Arnaldina. Eodem anno 1656. die 31. Januarii Facultas Parisiensis gravi censurâ perstrinxit propositiones extractas ex libello cui titulus gallice, *Seconde Lettre de M. Arnauld, &c.* Priori propositione asserebat Arnaldus, *quinque Propositiones nec esse in Jansenio, nec ejus sensu damnatas fuisse; adeoque circa partem illam Apostolicæ constitutionis, sufficere silentium religiosum.* Posterior enuntiabat, *veritatem esse tum ex Scripturis, tum ex SS. Patribus indubitatam, atque in persona S. Petri manifestam, gratiam scilicet, sine qua nihil possumus, justo defuisse eâ in occasione in qua dici non potest quod non peccaverit.* Arnaldus pertinax ex Doctorum numero expunctus est. Sacra Facultas censuram hanc ab omnibus in posterùm Candidatis jussit subscribi; eamque Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1656. ut æquissimam probavit.

Formula Alexandri VII. Ad ejusdem Cleri preces Alexan. VII. an. 1665. die 25. Febr. Constitutionem emisit, quâ jubet ut huic formulæ fidei ab omnibus & singulis Clericis subscribatur.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maii an. 1653. & Constitutioni Alex. VII. datæ die 16. Octobris an. 1656. summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen AUGUSTINUS *excerptas, & in sensu ab eodem autore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo damno ac rejicio, & ità juro; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.*

Pontificiæ autoritati Regia quoque accessit. Mense scilicet Aprili Ejusdem anni 1665. lata fuit celeberrima illa Declaratio in supremæ Curiæ tabulis inscripta 29. ejusd. mensis, quâ injunctum fuit ut subscribendi pure & simpliciter Formularii disciplina in toto Galliæ imperio executioni mandaretur; gravissimis in refractarios pœnis impositis; præsertim vero ut eorum

Beneficia, Dignitates, Personatus & Officia obtinenda aut jam obtenta, pleno jure vacantia maneant & impetrabilia.

Causa quatuor Episcoporum.

Cùm autem prædictæ Formulæ singuli in suis Diœcesibus subscriberent Gallicani Episcopi, & à suis subscribi curarent: ex illis quatuor, Alectensis nimirùm, Bellovacensis, Apamiensis & Andegavensis in suis pro subscriptione mandati factum à jure distinxerunt, asserentes quæstioni juris internum fidei assensum deberi, pro facto autem, quo damnatæ propositiones libro Jansenii tribuuntur, solam exigi posse silentii reverentiam. Eam ob rem dicti Episcopi in jus vocati sunt ab Alex. VII. sed eo defuncto ante causæ definitionem, de negotio amice componendo actum est sub Clemente IX. illius successore. Medius occurrit Episcopus Laudunensis posteà Card. Estræus, cum Archiep. Senonensi D. de Gondrin, & Episcopo Catalaunensi D. Vialart: hæc ineundæ concordiæ via proposita fuit, *ut omissâ ac insufficiente judicatâ priori subscriptione, nova præstaretur & imperaretur à quatuor Episcopis, quâ sine ulla restrictione quinque Propositiones in sensu Jansenii damnarentur.* In id tandem consenserunt quatuor Episcopi, & per Epistolas summo Pontifici significarunt se sincere & absque ullâ restrictione Alexandri Formulæ subscripsisse, idipsum testati sunt Ludovicus XIV. & Episcopi mediatores: quamobrem die 19. Januarii an. 1669. suam Episcopis illis benevolentiam restituit Clemens IX. quia didicisset, inquit, ipsos tandem meliora secutos consilia, *juxtà præscriptum Litterarum Apostolicarum.... sincere subscribi fecisse Formulario.* Et hæc est quæ tantopere à Jansenianis jactatur pax Clementis IX.

Brevia Innoc. XIII.

Novis subindè an. 1692. exortis in Belgio circà subscriptionem formularii contentionibus, visum est Episcopis eidem formulæ aliquid addere quo Novatorum fraudes præcluderentur. De hac additione querimonias ad Innoc. XIII. detulit Hennebel nonnullorum Lovaniensium nomine. Hinc duo Innocentii Brevia, quorum priùs an. 1694. dùm plùs æquo jactitant Jansenistæ, posterius emittit Pontifex an. 1696. quo funditùs evertitur quidquid præsidii ex proprii speraverant.

Casus Conscientiæ.

Circa an. 1702. novos conatus edidêre Janseniani, ut pene atritum silentii religiosi figmentum excitarent. Prodiit ex eorum officinâ libellus, in quo Clerico cuidam Sacramentalis absolutio denegata fuisse dicitur, quia declarasset se reverâ quinque Propositiones sim-

pliciter damnare quoad jus, ſeu doctrinam in iis expreſſam; *nihilominus quantum ad quæſtionem facti ſeu attributionem illarum quinque Propoſitionum Libro Janſenii, exiſtimare ſe religioſum ſufficere ſilentium.* Hic celebris eſt conſcientiæ caſus, circa quem reſponderunt 40. Doctores Pariſienſes, Clerico ſic de Janſenii libro ſentienti abſolutionem denegandam non fuiſſe. Reſponſionem hanc ſtatim damnavêre Clemens XI. & plerique Epiſcopi Gallicani, præſertim Cardinalis Noallius Archiepiſcopus Pariſienſis: eoque agente Doctores qui dictum caſum approbaverant reſipuerunt, uno excepto qui pro ſua contumacia ex albo Doctorum expunctus eſt. Ipſa etiam Facultas Pariſienſis die 1, Septem. anni 1704. dictam Caſus reſponſionem perſtrinxit, *ut temerariam, ſcandaloſam, injurioſam ſummis Pontificibus & Epiſcopis Galliæ, atque etiam ut præbentem occaſionem renovandæ ex integro, poſt damnationem Janſenii doctrinæ, &c.*

Acceſſit tandem & ipſa Pontificia Clementis XI. autoritas, qui datâ die 16. Jul. an. 1705. ſolemni Conſtitutione, *Vineam Domini Sabaoth, &c.* poſtquam confirmavit Conſtitutiones Innoc. X. & Alex. VII. Clementis vero IX. & Innoc. XII. Brevia à pravis Janſenianorum exceptionibus vindicavit, doctrinam in caſu conſcientiæ expreſſam variis notis ſevere perſtrinxit. Huic Conſtitutioni unanimis acceſſit Eccleſiæ univerſæ conſenſus, imprimis vero Cleri Gallicani, qui in Comitiis generalibus anni 1705. hanc ſolemniter acceptavit, datis tùm ad Pontificem gratulatoriis, tùm ad ceteros Galliæ Epiſcopos encyclicis literis, qui eandem pariter ſinguli in ſuis Diœceſibus promulgarunt. Quapropter jam cauſa finita eſt; nec aliud videtur ſupereſſe Janſeniſtis, quàm ut Eccleſiæ ſincere obſequantur. Quod ut magis pateat, demonſtrandum hic, 1°. quinque propoſitiones in ipſo Janſenii ſenſu damnatas eſſe canonico & irrefragabili judicio; 2°. huic cenſuræ nihil adverſari eorum quæ ſub Clemente IX. geſta fuêre; 3°. Religioſum, ut vocant ſilentium à Clemente XI. an. 1705 ineluctabiliter protritum eſſe. Quæ quidem, quia pluribus non licet, paucis exequemur. Sit

Conclusio I. Quinque Propoſitiones fuerunt damnatæ in ſenſu Janſenii; idque canonice.

Prob. 1. Eo ſenſu damnatæ ſunt quinque Propoſitiones, quo delatæ, utrinque impugnatæ & propugnatæ, atque à Romanis Cenſoribus diſcuſſæ fuerunt: atqui quinque Propoſitiones, 1°. delatæ fuerunt in ſenſu

Jansenii; in eo siquidem sensu discutiendæ sacræ Facultati oblatæ fuerunt: *Cum norint omnes,* inquit autor Scripti, *in nomine Domini, Magistros egregios delectos esse ad thesim propositam* (hoc est, quinque Propositiones) *non ut per se sonat, sed ut jacet in Jansenio accuratiùs examinandam; videant sedulò ne quid durius in eam pronuntient, quod hac in parte fanissimam Jansenii Theologiam notet aut perstringat.* Eo tandem sensu easdem Rom. Pontifici denuntiârunt Episcopi ad sedandos scilicet, inquiunt in sua ad Innoc. X. Epistola, motus in Gallis excitatos *occasione libri Jansenii,* quos compescere debuerat Bulla Urbani VIII. contra eundem Librum data; ergo. 2°. Romæ ab adversis partibus eodem sensu impugnatæ fuerunt ac propugnatæ, impugnatæ quidem, ut constat ex D. de S. Amour, dùm Hallerii Scripta transcribit, in quibus is propositionum impugnator, notat librum, caput & paginam ex quibus excerptæ sunt quinque Propositiones; propugnatæ verò, cùm earum defensores, Romæ dicerentur, *Sorbonici qui partes Jansenii tuebantur.* Hinc in trium columnarum scripto, prima propositio ab ipsis dicitur, *à loco suo dolosè avulsa.* Unde avulsa? nisi e Jansenio; 3°. & eodem sensu discussæ sunt à Romanis Censoribus Ii enim vel primum in suis suffragiis, vel saltem in revisione suffragiorum quæ facta est coram S. Pontifice die 3. Feb. 1653. vota tulêre in ordine ad Jansenium: ità constat ex Wading. in sua Relatione, & ex Jansenium: irà constat ex Wading. in Relatione, & ex Jansenismi Historiæ Scriptore, utroque Jansenianis minime suspecto; ergo.

Wading.

Prob. 2°. ex ipsamet Innocentii X. Constitutione, ubi sic loquitur S. Pontifex: *Cum occasione Libri cui titulus,* AUGUSTINUS *Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi, inter alias* EJUS *opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis controversia super quinque ex illis; complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut de unaquaque earum certam ac perspicuam ferremus sententiam.* Et infrà: *non intendentes tamen per hanc definitionem super quinque prædictis Propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Jansenii:* atqui hæc distinctio quinque propositionum ab aliis opinionibus quæ in Libro Jansenii continentur, manifeste indicat quinque Propositiones similiter in eodem Libro contineri, & ut ejusdem Libri opiniones damnari. Unde Innocentius ipse alloquens Episcopum Lodevensem, *Sanè,* inquit,

cum alias opiniones in libro Jansenii contentas nos non approbare diximus; ergo intelleximus propositiones damnatas in eodem libro contineri.

Acta Cleri an, 1659.

Obj. 1°. Innocent. X. de Prima Propositione asserit, quod fuerat jam anathemate damnata; & Episcopi in sua ad Innoc: Epistolâ declarant, *motus* (circa quinque Propositiones) *sedari oportuisse Concilii Trid. autoritate*: sed hæc non possunt intelligi, nisi de propositionibus in sensu Calvini. R. neg. min. Prima siquidem Propositio ex qua ceteræ necessario fluxu consequuntur, anathemate jam fuerat damnata, in Baio videlicet & in Calvino: in Baïo quidem eo ipso sensu quem Jansenius renovavit; in Calvino etiam prædamnata fuit. Duo siquidem docuit hæresiarcha: primum aliqua Dei præcepta quibusdam justis vere quandoque esse impossibilia, propter defectum gratiæ hic & nunc sufficientis; alterum, omnia generatim mandata omnibus justis etiam cum gratiâ maxime efficaci semper esse impossibilia, propter necessario adhærescentem omnibus hominis lapsi actionibus concupiscentiæ labem: Utrumque distinctis anathematibus damnatum fuit in Concilio Trid. Sess. 6. cap. 11. & Canone 4. ejusdem Sessionis: primum docuit Jansenius, non secundum. Merito ergo dixêre Præsules Gallicani, motus circa quinque propositiones autoritate Concilii Trid. sedari oportuisse.

Obj. 2°. Nihil ex censura contra Jansenii librum latâ inferri potest, nisi constet Innoc. X. assecutum esse proprium ac naturalem Jansenii sensum: atqui non constat, &c. R. neg. min. Ut enim ait S. August. Ep. 55. *Ecclesia Dei quæ sunt contra fidem vel bonos mores, nec approbat, nec tacet, nec facit*: sed nisi Innocentius X. quinque damnans Propositiones in sensu Jansenii, eundem assecutus fuisset, Ecclesia huicce assentiens definitioni, 1°. quæ sunt contra fidem approbaret, dum catholicum anathemati subjiceret textum; 2°. contra rectos mores ageret, dum formularii subscriptionem prosequeretur: quid enim bonis moribus oppositum magis, quàm orthodoxi textûs damnationem juridice imperare, ejusdem subscriptionem ab omnibus Christi Fidelibus interposito exigere, & quidem intentatâ in reluctantes gravissimâ excommunicationis poenâ.

Et vero si orthodoxa sit Jansenii doctrina, ejusque sensum Decreto suo non fuerit assecutus Innoc. X. manifestè sequitur Jansenium *merum* esse *phantasma*: atqui ità sentire aut loqui non sinit quæ debetur reverentia,

1°. Clero Gallicano, qui in Comitiis generalibus anni 1700. istam propositionem damnavit; 2°. summis Pontificibus qui Decreto Innocentii circa quinque propositiones in sensu Jansenii damnatas constanter acquievêre; 3°. ipsi universæ Ecclesiæ, quæ ab octoginta & amplius annis Jansenii doctrinam repetitis anathematibus percutit. Hinc Gallicani Præsules in sua encyclica ad ceteros Regni Episcopos Epistolâ an. 1654. *Les cinq Propositions sont vraiement de Jansenius, & elles sont condamnées dans le propre sens des paroles qui les composent, lequel sens est celui-là même auquel cet Auteur les enseigne & dans lequel il les explique.* Idem invicte probat Bossuetus citatâ ad Moniales Portûs Regii Epistolâ. At hinc Ill. Mirapiscensis Episcopus D. de la Broue in Epist. ad Em. Card. de Byssy die 15. Martii 1711. testatur Illustriss. Bossuetum solemniter declarasse integrum Jansenii Opus quinque famosis constare Propositionibus. En verba: *Vous prouvez parfaitement que les cinq Propositions sont dans le livre de Jansenius: feu M. l'Evêque de Meaux votre prédécesseur avoit dit en Chaire qu'elles étoient tout le livre.*

CONCLUSIO II. Canonicum est & irretractabile quod de Jansenii sensu damnando judicium tulit Innocentius X.

Prob. 1. pars: Æquissimum certe est illud judicium quod à legitimo fertur Judice, secundum juris regulas, præhabito maturo ac diligenti examine: atqui Innoc. X. de quinque Propositionibus censura, 1°. lata fuit à S. Pontifice, cujus præcipuæ sunt in quæstionibus fidei dirimendis partes, & cujus definitionem circa sensum Jansenii rogaverant Præsules Gallicani; 2°. observatæ fuerunt consuetæ juris regulæ: neque enim Romæ aliter solent excitatæ de Religione quæstiones discuti, quàm per Cardinales & Consultores, quorum auditis & ponderatis suffragiis, Pontifex ex alto petitâ autoritate pronuntiat. Porrò ità se gessit in præsenti negotio Innoc. X. atqui eos præsertim delegit Cardinales, *quorum*, inquit ipsemet de S. Amour Diarii parte 4. c. 4. *eximia merita omnium ore Romæ prædicabantur*: omnium vero Consultorum, inquit ibi c. 6. spectata fides, probitas, eruditio singulis probata esse debuit, nullis suspecta: 3°. maturum fuisse ac diligens præhabitum examen, constat ex dictis in synopsi historicâ, idque disertè asserit testis oculatus omni exceptione major Alex. VII. in Constitut. anni 1656.

Prob. 2. pars; Apostolicæ Sedis definitio ab omni-

bus Christi Ecclesiis acceptata, præsertim vero ab ea in qua fuit excitata controversia, summæ est ac irrefragabilis autoritatis. Eadem quippe est, non diffitentibus ardentioribus Jansenistis; Arnaldo, Quenello, &c. Ecclesiæ sive per orbem dispersæ, sive in Concilium œcumenicum congregatæ autoritas: atqui Innoc. X. Constitutio circa quinque Propositiones per omnes Christi Ecclesias acceptata fuit, maxime vero à Gallicanis Præsulibus apud quos exorta fuerat controversia; ut constat ex gratulatoriâ eorumdem Præsulum ad Innoc. Epistolâ die 15. Julii an. 1653. ergo, &c. Quapropter licet eam in rem usurpare verba quæ olim post damnationem Pelagianæ hæreseos ab Apost. Sede factam protulit, Aug. Serm. 2. de verbis Apost. c. 10. *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.*

Obj. contra 1. partem Conclusionis: Janseniani auditi non fuerunt coràm adversariis antequàm judicium ferretur, quanquam id enixe postularent: atqui id requirebatur ad servandas juris formas. Nemo enim damnatur quin priùs audiatur. R. sæpissime tùm S. Pontificem, tùm Cardinales significasse deputatis pro Jansenio, de personali lite dirimendâ nullatenus hic quæstionem esse, pro quâ necesse foret adversas partes audiri; sed tantùm de sensu obvio Jansenii quinque Propositionibus expresso, vel damnando, vel à censura eximendo. Quanquam immèrito objiciunt Janseniani se ut par est auditos non fuisse: siquidem ipsi plurima scripta Consultoribus communicaverant, nec aliunde priùs eorum æmuli auditi fuerunt, quàm ipsimet constanter recusassent se Congregationi præsentes sistere; quod non dissimulat ipsemet de S. Amour Diarii parte 6. c. 2.

Ex dictis colliges, Jansenismum non esse merum phantasma, sed veram ac realem hæresim. Ad eam enim duo requiruntur & sufficiunt. 1. ut sit quoddam perversum dogma: 2. ut nonnulli existant perversi dogmatis propugnatores. Porro hic utrumque occurrit: perversum siquidem dogma, nempè proscripta Jansenii doctrina; hancque propugnare se ultro concedunt plurimi, imo & gloriantur; ergo.

Colliges 2°. doctrinales quinque Articulos, quos satagente Ill. Convennarum Episcopo, ceterorum Jansenianorùm nomine adornarunt an. 1663. DD. de la Lane, & Girard, ab Alexand. VII. neutiquam probatos

fuisse. 1°. quia non is erat Pontifex ille, qui proscriptâ toties hæresi Jansenianâ Articulos eidem faventes comprobaret; 2°. quia nequidem prædictos Articulos nominat Alexander, sed tantùm Galliæ Episcopis gratulatur; quod *multi*, inquit, *exemplo vestro, consilio & operâ ad saniorem doctrinam inducti, eâ quâ est, ut credimus, animi demissione sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda, quæ ipsis à Sede Apostolicâ præscribentur.* Atqui in his verbis nè unum quidem apicem de approbatione quinque articulorum reperire est; 3°. quia qui palàm ob Alexandri breve exultabant Janseniani, intùs & privatim illud execrabantur.

Agendum jam de Clementis IX pace, ex qua petulanter triumphârunt Jansenistæ, quasi S. Pontifex rescivisset, Episcopos quatuor, Alectensem, Apamiens, Andegavens. & Bellovac. ità Formulario subscripsisse, ut religiosum duntaxat pro quæstione facti silentium sponderent Sit

Conclusio III. Clemens IX. nescivit factam fuisse à quatuor Episcopis distinctionem juris à facto; sed existimavit ipsos purè & simpliciter subscripsisse Formulario Alexandr. VII. imo & id debuit existimare.

Prob. 1. pars: 1°. quia quæcumque eâ de re scripsit Clemens IX. manifestè arguunt, ipsum latuisse præfatam distinctionem. Brevi quippe ad Regem die 29. Septembr. 1668. disertè asserit se *in pura, & simplici subscriptione formularii, agnovisse quatuor Episcoporum obedientiam & obsequium.* In Brevi ad Episcopos pacis mediatores die 19. Januarii 1669. testatur quatuor Episcopos subscripsisse formulario *sincero animo & juxta præscriptum litterarum Apostolicarum.* Quin & in Brevi eodem anno & die ad quatuor Episcopos dato, declarat se semper *firmissimè inhærentem prædecessorum Constitutionibus, nullam circa illud exceptionem aut restrictionem admissurum unquam fuisse;* ergo verè supposuit eos plenè tandem Apostolicis Constitutionibus, tàm quoad factum, quàm quoad jus acquievisse.

Prob. 2. pars: ex ipsa quatuor Præsulum Epistola ad Clem. IX. die 1. Sept. 1668. in qua asserunt hanc novam quam exhibent subscriptionem, ipsis fuisse *arduum ac perdifficile opus,* quod in ipsos *malevolorum voculas excire posset,* & quod tamen libenter amplectuntur, tùm ut *honorificum* sanctæ Sedi *ipsique gratius;* tùm quia hâc novâ subscriptione imitantur *formam disciplinæ Gallicanorum Episcoporum:* sed quid hic re-

dolet exceptionem de ſenſu Janſenii? imo quid non eam arcet procul?

Confirm. quia cùm nonnulli ſuſpectam reddidiſſent illorum Epiſcoporum ſubſcriptionem, novum ab iiſdem exegit S. Pontifex teſtimonium. propriis munitum ſyngraphis, quo fidem facerent *ſe ſincerè prorſus & ad ſenſum in Conſtitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. expreſſum, formulæ ſubſcripſiſſe, utque eidem ſubſcribere tur curaſſe.* Sed qui ſincerè, & ad ſenſum in Conſtitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. expreſſum ſubſcribunt, hi dubio procul quinque propoſitionis in ipſo Janſenii ſenſu condemnant: unde rigidioribus Janſeniſtis ſanguinem potius elicias, quàm hujusmodi ſubſcriptionem; niſi forte de pingui beneficio agatur. Tunc enim quandoque cupiditate victi, coràm Epiſcopo ſubſcribunt, & coràm Notario adversùs ſubſcriptionem ſuam reclamant; prout indubiè ſcio contigiſſe.

Relat. Cardin, Rosspig. n. 149.

Conclusio IV. Ex Brevibus Innoc. XII. ad Belgii Epiſcopos ſcriptſs, nihil prorsùs colligi poteſt in gratiam religioſi ſilentii.

Prob. 1°. ex priori Brevi anni 1694. ubi ſic: *Conſtitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. prædeceſſorum noſtrorum firmiter inhærentes, eaſque in ſuo robore fuiſſe & eſſe declarantes, &c.* atqui non favet ſilentio religioſo, nec proprium Janſenii ſenſum à cenſura eximit, qui aſſerit firmiter inhærere Innoc. X. & Alex. VII. Conſtitutionibus in quibus ſenſus Janſenii diſertè proſcribitur, &c.

Prob. 2°. ex altero Brevi an. 1696. in quo dicta Alex. VII. Conſtitutio, necnon & Formularium expreſſè confirmatur. Ibi ſic: *Non ſine admiratione intellex mus,* inquit S. Pontifex, *nonnullos reperiri, qui auſi fuerint affirmare ſupra dicto noſtro Brevi alteratam ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alex. VII... necnon formularium ab ipſo pronuntiatum; cum dicto Brevi utrumque ſpecificè confirmetur: & omninò intenderimus & intendamus iiſdem adhærere.* Adeo clara ſunt iſta, ut eorum occaſione Janſeniani hanc emiſerint propoſitionem, quæ à Clero Gallicano in Comitiis an. 1700. proſcripta eſt: *Aliquam huic malo medicinam attuliſſe videbatur Innoc. XII. in Brevi* 6. *Feb.* 1694. *Verum mitigationem illam præſumptam non parum extenuavit Brevi* 24. *Novembris* 1696. *ubi Pontifex diſertè negat Conſtitutionem aut Formularium Alexan. VII. Brevi ſuo alterata aut reformata in aliquâ ejus minimâ parte.*

Cum itaque Innoc. XII. in priori Brevi quinque Propositiones *in sensu obvio* damnatas pronuntiavit; id intelligendum de ipsomet obvio sensu quem homini intelligenti sponte & naturaliter exhibet Liber Jansenii; quique ab eodem Jansenio intentus merito præsumitur. Hanc fuisse legitimam Innoc. XII. mentem expresse declarat Clemens XI. in Bulla, *Vineam Domini*, his verbis: *Innoc. XII. prædecessor, dum sapienter ac providè quinque propositiones ex memorato libro Jansenii exceptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præ se ferunt, damnata esse pronuntiavit*; istud intellexit, *de ipsomet obvio sensu quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à præfatis Innoc. XII. Alex. VII. prædecessoribus damnatus fuit.*

Cum autem postrema hæc Constitutio cunctis fatentibus suprema sit universæ Ecclesiæ lex, cui Fideles omnes integrum mentis & cordis assensum præstare tenentur; si per eam definita fuerit insufficientia religiosi silentii etiam circa factum; superest ut vel Ecclesiæ jugum excutiatur, vel corde & animo damnetur Libri Jansenii sensus. Ut ergo isthæc celeberrima solvatur quæstio, sit

CONCLUSIO V. Bulla *Vineam Domini* decretorie pronuntiat, silentium religiosum prorsùs esse insufficiens circa dogmaticum Jansenii factum.

Prob. 1°. Clemens XI. Bullâ *Vineam* solemniter explodit obsequiosum silentium celebri in conscientiæ Casu expositum & approbatum: atqui silentium illud unice circa dogmaticum Jansenii factum versabatur. Minor constat, cùm ex ipsis ejusdem Casûs verbis suprà memoratis, tùm ex disertâ adversariorum confessione. D. de Vaucel Epist. ad Quenellum 5. Febr. 1703. asserit *subsistente conscientiæ Casu evanescere Jansenismum, merumque evadere phantasma*: ipse vero Quenell. Epist. ad Em. Noallium, ait *eodem Casu damnato, illustrem Clementis IX. pacem funditus ruere.*

Caus. Quen. p. 412. Prob. itaque major in qua sola cavillantur adversarii; ex ipsis Bullæ verbis, in quibus habentur & occasio & scopus definitionis; sic autem utrumque exprimitur: *Cum inquieti homines .... docere non sint veriti, obedientiam Constitutionibus Apostolicis* (Innoc. X. & Alex. VII.) *debitam non requiri ut quis Jansenioni libri sensum in quinque propositionibus damnatum, interius ut hæreticum damnet; sed satis esse, si eâ de re obsequiosum, ut ipsi vocant, silentium teneatur .... hinc est*

quod eos ad opportunum & efficax tam exitiali morbo remedium adhibendum excitari, &c. Hic profectò alludit Clemens XI. ad Casûs conscientiæ resolutionem; sugillat ergo silentium in eodem Casu expositum & probatum. Et verò de eo silentio loquitur S. Pontifex, de quo unicè tunc temporis movebatur quæstio: atqui tunc quæstio erat duntaxat de obsequio circa factum Jansenii silentio, quod à Jansenianis summo ardore propugnabatur, ab eorum verò æmulis impugnabatur; ergo.

Prob. 2°. quia non solùm renovat Clemens XI. prædecessorum suorum Constitutiones, sed & ipsas à variis adversariorum effugiis vindicat; ac postmodùm ità decernit: *Hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione obedientiæ quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt ab omnibus Christi Fidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici ac damnari debere.. declaramus, decernimus & ordinamus.* Non potuit certe R. Pontifex obsequiosi silentii sufficientiam expressioribus verbis rejicere.

At, inquiunt, cautè secerni debet Jansenii sensus à sensu quem putat S. Pontifex esse Jansenii proprium: sensus quem tribuit Yprensi Clemens XI. est hæreticus: at verò genuinus ac naturalis Jansenii sensus, orthodoxus est, & jugiter extitit intactus, cùm sit ipsemet Augustini sensus, solamque sonet gratiam à se efficacem & prædestinationis gratuitæ doctrinam. R. 1°. Protervæ subtilitatis fœtus est, hæc distinctio *sensûs putativi*, & *sensûs proprii*, quem putat Ecclesia esse sensum Jansenii, ille ipsius est, ut demonstravimus & constabit ex dicendis: 2°. num oculatiores sunt Yprensis sectatores ipsâmet Ecclesiâ, num ipsis inest ardentior veritatis zelus? Jam ab octoginta & amplius annis conqueruntur Ecclesiam non intellexisse Jansenii librum, & pia mater, dolens licet, repetitis anathematibus, in eos velut in rebelles insurgit; potesne iterata vibrare fulmina nullâ præviâ verita is inquisitione? aut ipsam non valet detegere? absit à quolibet sincero Fideli tanta in optimam matrem injuria: 3°. cùm propriis Yprensis sensus fatentibus Jansenianis, cunctis obvius sit, & dissertus, non valent ope prædictæ distinctionis sensum hunc à damnatione eximere, nisi tribuant SS. Pontifi-

cibus, cunctiſque Epiſcopis, aut ſtupendam negligentiam, qui ab uno penè ſeculo Janſenii ſenſum, libro ipſius non inſpecto, pertinaciter in quinque Propoſitionibus damnat; aut ſenſus plane obtuſos, qui verum Yprenſis ſenſum tam evidenter deprehendere non potuerunt. Denique ſi pernitioſa hæc diſtinctio locum haberet, planè nutarent omnia, quæ quondam à Romanis Pontificibus, atque etiam à Conciliis œcumenicis, adverſus errores planiſſimos, vel Autores manifeſte heterodoxos conſtituta ſunt, aut in poſterum ſtatuenda; ſemper enim valebit exceptio, ipſos ſcilicet vel non legiſſe libros, vel proprium ac legitimum eorum ſenſum non fuiſſe aſſecutos.

§. II. *De Syſtemate Janſenii.*

Cum delectatio victrix Janſeniani ſyſtematis fundamentum eſſe perhibeatur, videndum quid de ipſa ſenſerit Yprenſis.

Jans. L.4. de gr. Ch. c. 11.

Delectatio ex Janſenio vitalis eſt animi motus quo voluntas fertur in aliquod objectum tanquam ſibi jucundum ac conveniens.

Dividitur 1°. in *indeliberatam*, quæ rationis advertentiam & conſenſum voluntatis antecedit; & *deliberatam* quæ utrumque includit aut ſequitur. Delectatio indeliberata, eſt & quidem ſola, totius Janſeniani circa gratiam ſyſtematis fundamentum.

Dividitur 2°. in *cœleſtem*, & *terrenam*: illa ad bonum: iſta ad malum trahit & ſollicitat.

Dividitur 3°. in *victricem*, quæ perfectum voluntatis conſenſum exprimit; & *victam*, quæ conſenſu illo pleno privatur, licet deliberatum quidem, ſed imperfectum ſemper obtineat.

Dividitur 4°. in victricem *abſolutè*, quæ conſenſum voluntatis ex natura ſua obtinet; & victricem *relativè*, quæ eundem exprimit præciſè ob graduum præpollentiam. Ut hæc plenius intelligantur.

Dico 1°. Docet Yprenſis delectationem unicum eſſe pondus, quo nunc voluntas, ſive ad bonum ſive ad malum inclinatur.

Prob. 1°. ex lib. 5. de Gr. Ch. ubi ſic Janſenius: *Ex quo ſit ut ſi illa* (delectatio) *deſit, voluntas veluti torpens ac mortua nihil omninò boni amplecti poſſit: quemadmodum etiam è contrario, nihil in carnalibus diligendis proſequi poteſt, niſi quod eam antea delectaverit.* Nihil certè diſertius.

Prob. 2°. ex eod. ibid. lib. 7. c. 3. *Delectatio, ſeu de-*

lectabilis objecti complacentia, est id quod tantam in liberum arbitrium potestatem habet, ut illud faciat velle vel nolle, seu, ut eâ præsente actus volendi sit reipsa in ejus potestate, absente non sit. Atqui voluntas velle nequit absque eo quo actus sit formaliter in nostra potestate; ergo.

Dico 2°. In Jansenii systemate voluntas in conflictu duarum delectationum, 1°. semper sequitur majoris delectationis impulsum: 2°. necessario illum sequitur.

Prob. 1. pars ex lib. 8. de grat. Christi c. 2. *Delectatio victrix*, inquit Jansenius, *quæ Augustino est efficax adjutorium relativa est; tunc enim est victrix quando alteram superat; quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum est.*

Prob. 2. pars, ex eod. lib. c. 6. ubi sic: *Quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, nisi major fuerit cœlestis delectatio, quàm terrena*... FIERI NON POTEST *quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur;* & c. 9. *Quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est: vigente enim delectatione carnali,* IMPOSSIBILE EST *ut virtutis & honestatis consideratio prævaleat.* Similia habet infinitis aliis in locis.

Jam quæstio est an necessitas quam hic admittit Jansenius, absoluta sit, an relativa. Ut autem intelligatur punctum istud, quo solo referari possunt fallaciæ & æquivocationes, quibus argumenta Catholicorum declinare, ac Ecclesiæ censuris subducere se, verbis in speciem catholicis conantur Yprensis sectatores.

Not. 1°. duplicem in systemate Jansenii distinguendam esse, sive ad bonum, sive ad malum, potentiam: absolutam scilicet & relativam. Potentia absoluta, est ea quâ voluntas potest actum elicere in se præcisè duntaxat spectatum, id est, abstrahendo ab actualibus circumstantiis non vero relative ad illas. Potentia relativa, ea est quæ competit delectationi, etiam habito respectu ad alteram hic & nunc ex adverso militantem: seu est ea quâ voluntas potest actum hic & nunc operari.

Not. 2°. potentiam absolutam ad bonum (Idem est proportione servatâ de potentia ad malum) semper esse ab actu sejunctam, imò nec cum eo hic & nunc conjungi posse: tùm quia gratia quâ datur absoluta illa potentia à voluntate Dei antecedente procedit, quæ totaliter abstrahit ab actualibus circumstantiis; tum quia

eadem potentia ex inferiori delectatione coelesti oritur, quæ superiorem vincere non potest.

E contra vero ex lege contrariorum, potentia relativa semper & necessario cum actu conjungitur; ipsa siquidem ex voluntate Dei consequenti procedit, & ex delectatione superiori quæ inferiorem sibi necessario subjicit. Hinc 1°. implicant simul & ex utraque parte vires relativæ: 2°. in conflictu duarum delectationum æqualium stat ad utrumque potentia absoluta, nulla relativa; 3°. illud solum possumus vere quod agimus, & omnis vera potentia est semper cum actu conjuncta. Quod ut pateat.

Dico 3°. Jansenius in voluntate inferiori delectatione, cœlesti v. g. instructâ, ultro agnovit absolutam, sensu mox exposito, ad opus bonum potentiam.

Prob. 1°. ex lib. 8. de grat. Chr. ubi sic Jansenius c. 2. *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium relativa est: tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus.* Ergo gratia parva, seu delectatio inferior cœlestis ex natura sua tendit ad uberiorem effectum, quem reipsâ haberet, nisi obstaret superior hic & nunc urgens concupiscentiæ delectatio: proindeque per illam vere confertur potentia absoluta.

Prob. 2°. quia expresse fatetur Jansenius eod. L. 8. c. 20. voluntatem superiori delectatione instructam contrarium opus perficere posse: *Quemadmodum*, inquit, *qui sub gratia ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest: ità quoque è contrario qui ista gratia destituitur, & peccandi tentationibus quatitur, potest & perfectissime potest, bene facere.* Ex his sic: Potentia illa perfectissima quæ sub majore delectatione voluntati inest ad oppositum, vel est absoluta, vel relativa; nullum enim datur medium: atqui, ut ex dicendis patebit, non est relativa; restat ergo ut sit absoluta.

Dico 4°. Jansenius in voluntate inferiori duntaxat delectatione instructa, nec agnovit, nec in suo systemate agnoscere potuit veram ac relativam, sensu antea exposito, ad opus bonum potentiam.

Prob. 3°. disertis Jansenii testimoniis. L. 2. de gr. Ch. c. 4. de delectatione superiori sic loquitur: *Tantæ necessitatis est, ut sine illa effectus fieri non possit*; ergo ipsa absente, nulla inest voluntati vera ac relativa ad operandum potentia.

Ibid. l. 3. c. 15. *Paradoxum in principiis S. Aug.* eft *quòd caritas quamvis minima fufficiat ad quamcumque tentationem fuperandam, vel quæ umque præcepta fine transgreffione fervanda*: atqui eo ipfo quo minima delectatio non fufficit ad fuperandam majorem, minor delectatio relativam non confert voluntati poteftatem ad debellandam fuperiorem actualem delectationem.

Obj. 1°. Ex communi Janfeniftarum doctrinâ fub motione fuperioris delectationis, cœleftis v. g. completiffima, expeditiffima, perfectiffima ineft voluntati peccandi poteftas: & vice versâ; ergo.

R. Facilis eft solutio ex antedictis: quippe, ut demonftravimus, magnificis illis verbis folam obtrudunt Janfeniani potentiam abfolutam à circumftantiis oppofitæ majoris actualis delectationis abftrahentem; quæ quidem potentia in quocumque gradu reponatur; ad falvandum in homine liberum arbitrium prorfus inutilis eft; cum præceptum non extet de actione in abftracto, fed de actione hic & nunc, in his vel illis circumftantiis exercenda.

Obj. 2°. Voluntas gratiâ plenâ inftructa certiffimè bonum operaretur *fi plenè ac fortiter vellet.* Ità Arnaldus inDiffert.de grat.efficac.part.2.art.4.ergo gratia parva relativam confert ad opus bonum potentiam. R. ridiculè prorfùs ac illuforie opponi. Equidem bonum operaretur voluntas *fi fortiter vellet*: aft in iis circumftantiis in quibus concupifcentia dominatur, *plenè ac fortiter velle non poteft.* Ita candide exponit Abbas de Bourzeis, *gratiam eo fenfu rejici poffe, quoniam abjiceremus fi* VELLEMUS; *non poffe verò,* QUONIAM VELLE NON POSSUMUS. Et vero fi voluntas fortiter vellet, jam non ipfa concupiscenia, fed gratia fuperior foret, quod eft contra hypothefim. *Ep: ad Epif.p. 68.*

Dico 5°. Delectatio relative victrix, prout hactenus expofita fuit, totius eft Janfeniani fyftematis fundamentum; atque ex ea velut à fonte quinque Propofitiones neceffario dimanant.

Prob. 1. pars ex Jans. qui lib. 7. de gr. Ch. c. 6. de delectatione fuperiori loquens: *Hæc eft,* inquit. *vera & genuina bafis doctrinæ cœleftis Doctoris,* (S. Aug.) .... *huic veluti cardini innititur, eoque fubtracto, eam tueri impoffibile eft.*

Prob. 2°. quia quinque famofæ Propofitiones, cætaraque omnia quæ in fuo grandiori volumine circa gratiam docuit Yprenfis, ad hæc duo capita revocari pof-

sunt, nimirum exclusionem gratiæ pure sufficientis, & necessitatem bene agendi sub motione delectationis victricis: atqui hæc duo à Janseniana delectatione superiori necessario fluunt; eaque hinc tanquam ex nativo principio, data opera deduxit Yprensis, Utrumque constat vel ex hoc uno ejus textu lib. 4. de gr. Ch. c. 10. *Hinc claret, cur Augustinus omnem omnino gratiam purè sufficientem auferat. Ratio perspicua est, quia cum ei,* (Augustino) *nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei; nisi ista tanta fuerit, ut delectationes rerum creatarum cesserint; vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; sin autem ista superaverit, jam sine dubio benè voluntas operabitur: quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est; sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ità inefficax, ex qua operatio nequidem sequi possit, nisi inefficacia per aliam suppleatur.* Ubi & rejicitur gratia sufficiens & quæ admittitur gratia efficax, ex male intellecto Augustini textu necessario operari dicitur. Utrumque vero, quia id exigat delectationis superiori conditio.

Prob. 2. pars, 1°. de propositione I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, &c.* Mandata iis sunt impossibilia, secundum præsentes quas habent vires, quibus deest gratia vere sufficiens: atqui justis nonnumquam, tametsi velint & conentur, deest gratia vere sufficiens. Nam justi illi quandoque peccant, atque adeo tunc carent gratiâ efficaci: atqui ubi delectatio victrix ad bene operandum necessaria est, nulla datur gratia vere sufficiens ab efficaci seu victrici distincta; ergo.

2°. De propos. II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: Resistere enim gratiæ est eam frustrare effectu, quem possit habere iis in circumstantiis, in quibus datur; atqui hujusmodi effectu privari nequit gratia. Vel enim est superior, vel inferior, vel æqualis. Si 1. necessario habet effectum, ex probatis pag. 52. Si 2. necessario caret effectu, reluctante videlicet concupiscentiâ superiori, quæ eadem de causa, voluntatem ad malum necessitat. Si 3. *alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur*, ait Jansenius supra: neque usquam voluntas ad unam partem sese inclinare poterit defectu nimirum superioris delectationis; ergo.

3°. De propos. III. *Ad merendum vel demerendum, &c.* Homo siquidem in statu naturæ lapsæ per majo-

rem gratiæ delectationem necessitatur ad bonum, & per superiorem concupiscentiæ delectationem necessitatur ad malum: atqui homo operando bonum, meretur; demeretur vero operando malum; ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate.

4°. De propos. IV. *Semipelagiani... in hoc erant hæretici quod assererent, &c.* Semipelagiani in eo erant hæretici, quod negarent veram Christi gratiam: porro nulla est vera Christi gratia nisi vere sufficiens, nisi sic efficax; denique nulla efficax nisi necessitet. Ex probatis sequitur ergo Semipelagianos in eo fuisse hæreticos, quod assererent gratiam talem esse, cui voluntas posset resistere vel obtemperare.

5°. De propos. V. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum fuisse, &c.* Semipelagianum est asserere veram Christi gratiam talem esse cui voluntas possit resistere vel obtemperare; ex modo dictis: porro qui asserunt Christum pro omnibus mortuum fuisse, si necessario admittunt veras Christi gratias quibus voluntas possit resistere, imo quibus plerique, ii scilicet qui damnantur, de facto resistunt; ergo.

Etsi autem ex dictis abunde constat quinque Propositiones in Yprensis libro reipsa contineri easque in sensu Jansenii, & sensum Jansenii in ipsis, summa & irrefragabili Ecclesiæ autoritate, fuisse damnatum; juvat tamen ad obstruendum os loquentium iniqua, hic nonnihil immorari.

Quæres itaque 1°. an prima propositio extet in Libro Jansenii; quem in eo sensum habeat: quis demum contrarius ei sit Ecclesiæ catholicæ sensus.

R. ad 1. Propositionem hanc totidem verbis contineri apud Jansenium lib. 3. de grat. Christi c. 13. ubi sic habet: *Hæc igitur omnia plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in sancti Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quàm* ESSE PRÆCEPTA QUÆDAM, QUÆ HOMINIBUS *non tantum Infidelibus excæcatis, obduratis, sed Fidelibus quoque &* JUSTIS VOLENTIBUS ET CONANTIBUS SECUNDUM PRÆSENTES QUAS HABENT VIRES, SUNT IMPOSSIBILIA; DEESSE QUOQUE GRATIAM, QUA POSSIBILIA FIANT. Continuo addit: *Hoc etenim S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultrà quàm possint sustinere:* ubi Paulum ipsum 1. Cor, 13. impugnare videtur.

Et versus finem ejusdem capitis totus est Jansenius, ut ostendat deesse justis gratiam etiam orationis, qua

uberius auxilium possit obtineri: *Cum ergo*, inquit, *plurimi vel non petant gratiam illam qua possint ac sufficiant præcepta implere, vel non ità petant ut ad impetrandum necessarium est, nec omnibus gratiam vel ferventer petendi, vel omnino petendi Deus largiatur; apertissimum est Fidelibus multis deesse illam sufficientem gratiam, & consequenter illam perpetuam quam quidem prædicant, faciendi præcepti potestatem.*

R. ad 2. hunc esse proprium, tum in se, tum in Jansenio propositionis sensum: Aliqua Dei mandata justis (qui divina transgrediuntur mandata) volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent *ex gratia parva* vires, sunt impossibilia, *comparatè ac relative ad eorum majorem hic & nunc titillantem concupiscentiam;* deest quoque illis grátia, sive actionis qua possibilia fiant *immediatè*, sive orationis qua possibilia fiant *saltem mediate.* Conatus ergo illi & volitiones, de quibus mentio habetur in prima propositione, sunt effectus gratiæ orationis parvæ, sed quæ ipsa hic & nunc sufficiens non est ad orandum sicut oportet.

Sensus autem alieni, huic propositioni maligne affixi, hi præcipue sunt: 1°. justis omnibus quantumlibet volentibus & conantibus secundum præsentes quantascumque vires quæ à gratia magna & efficaci habentur, mandata Dei esse impossibilia; 2°. justis semper & quandiu vivunt deesse gratiam qua possint vel unum ex Dei mandatis sine peccato adimplere; 3°. justis dum transgrediuntur Dei mandata deesse gratiam, qua absolute & seorsum à tali gradu concupiscentiæ, possibilia sint divina mandata. Porro sensus istos prædictæ propositioni extraneos esse constat ex Scripto Hallerii, qui Romæ quinque propositionum censuram prosequens sic loquebatur: *Sensus* primæ propositionis *est, mandata Dei hominibus justis qui divina mandata transgrediuntur, esse impossibilia defectu auxilii sufficientis, quo possint eadem implere, vel necessariam ad ea implenda gratiam impetrare.*

R. ad 3. catholicum sensum, qui eidem propositioni adversatur, hunc esse justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent ex gratia vires mandata non esse impossibilia, nec deesse illis saltem gratiam orationis, qua possunt uberius impetrare auxilium, ut mandata hic & nunc implere valeant: unde ad declinandum hac in parte Jansenianum errorem, satis non est in justis volentibus & conantibus urgente præcepto, absolutam agnoscere ex gratia parva ad ob-

ſervandum mandatum potentiam: hanc enim agnoſcunt Janſeniani omnes: ſed inſuper neceſſum eſt in ipſis admittere veram ac relativam potentiam, hoc eſt cum qua comparate ad actualem eorum majorem cupiditatem, illorum voluntas poteſt; & iſtam ſuperare, & mandatum obſervare, aut ſaltem ad utrumque præſtandum divinum auxilium impetrare.

Quæres 2°. an propoſitio II. extet in Libro Janſenii, quem in eo ſenſum habet, &c.

R. ad 1. affirmat. Sic enim loquitur Ypreuſis lib. 2. de grat. Chr. c. 25. *Gratia & opus bonum apud Auguſtinum ità reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis ſubſecutum inferre ſolet; ità vice verſâ, ex defectu operis, gratiam non eſſe datam.* & c. 27. *Nullam Auguſtinus agnovit actualem Chriſti gratiam,* quam efficacem *nec agnoſcere potuit, niſi regula omnes fundamentales quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, velit interimere;* ergo.

R. ad 2. Propoſitionis hujus is apud Janſenium ſenſus eſt, nullam dari in præſenti ſtatu interiorem Chriſti gratiam, quæ privetur eo effectu quem permittat ipſi oppoſita actualis cupiditas. Nam ex dictis Janſenius in voluntate cui dominatur cupiditas, vires ex parva gratia abſolutas ad opus bonum agnoſcit, negat vero vires relativas. Merito igitur Hallerius in Scripto jam citato, proprium ſecundæ propoſitionis ſenſum ſic exprimit: *Senſus eſt, in ſtatu naturæ lapſæ nullam eſſe gratiam Chriſti actualem internam in voluntate reſidentem, cui voluntas humano de facto diſſentiat.* Unde ibidem ſubdit, quæſtionis ſtatum eſſe, *an verum ſit in ſtatu naturæ lapſæ nullam dari gratiam quæ vere,* & *mere, ſufficiens ſit.*

R. âd 3. Exigit ſenſus catholicus errori ſecundæ Propoſitionis oppoſitus, ut profiteamur in ſtatu naturæ lapſæ, quamlibet gratiam interiorem, non eum omnem ſemper obtinere effectum, cujus capax eſt relative ad oppoſitam hic & nunc prementem concupiſcentiæ delectationem; & ad quem ex ſincera Dei voluntate conceditur.

Dices: Gratia ſufficiens Thomiſtica ſemper illuſtrat intellectum ac movet voluntatem; ergo ſemper eſt efficax; adeoque ipſi nuſquam reſiſtitur. R. diſt. conſeq. Semper eſt efficax reſpectu actus indeliberati, C. reſpectu actûs deliberati, ſive perfecti, ſive imperfecti, ad quem veram ac relativam confert potentiam, N. ac

proinde proprie ipsi resistitur. Ita Alvares lib. 8. de Auxiliis disp. 86.

Quæres 3°. an etiam tertia propositio extet apud Jansenium, an, &c.

R. ad 1. affirmat. sic enim Yprensis, lib. de grat. Ch. c. 24. suam sub nomine S. Th. profert sententiam: *Clarissimis verbis docuit S. Thomas 1°. arbitrium hominis dictum esse liberum, quia non cogitur... 2°. necessitatem simplicem voluntatis non repugnare libertati; hancque S. Aug. sententiam esse tradit...3°. opus esse laude vel vituperio dignum, meritorium vel demeritorium, ex hoc quod est voluntarium, spontaneum, non coactum tametsi determinatum ad unum.* Hic sane loquitur Jansenius de præsenti statu, cum loquatur de libero arbitrio post Adami peccatum: atqui vult liberum illud arbitrium & consistere in solo voluntario, & sufficere ad meritum & demeritum; ergo.

Et vero juxtà Yprensem lib. 7. de grat. Ch. c. 14. *meritum & demeritum ex arbitrii libertate quam maxime ponderatur ex omnium judicio, non Augustini modo, sed & Scholasticorum.* Sed totus est idem Jansenius libris 6. & 7. de grat. Christi, ut probet arbitrii libertatem consistere in sola spontaneitate; ergo. Pervolvantur duo libri mox citati, & liber 8. à cap. 5. usque ad calcem; & plane cæcutiat necessum est, quicumque singulis ferme paginis hanc tertiam non inveniet Propositionem.

R. ad 2. proprium tertiæ Propositionis sensum, tum in se, tum apud Jansenium, hunc esse: videlicet, ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiri libertatem à necessitate simplici transitoria ac relativa ad circumstantias in quibus homo bene vel male agit; sed sufficere ut quatenus versatur in illis circumstantiis voluntarie & non coacte agat. Et vero ex dictis Jansenius sub delectatione superiori ad unum, nonnisi absolutam ad oppositum potentiam agnovit, nec stando suis principiis relativam agnoscere potuit. Scilicet enim justi de quibus ille loquitur in Propositione I. peccant ac demerentur transgrediendo præcepta: atqui tamen justi illi non sunt immunes à necessitate relativa; cum secundum præsentes quas habent vires, mandata vere ipsi sint hic & nunc impossibilia; ergo.

Dices: Jansenius multoties agnoscit in præsenti statu non solum libertatem à coactione, & à *necessitate immutabili* atque invariabili; sed insuper agnoscit in-

differentiam tum ſpecificationis tum exercitii: ſic lib: 6. de grat. Chr. c. 34. & alibi; ergo. R. indifferentiam quam lubens admittit Episcopus Yprenſis, eſſe meram capacitatem varias ſubeundi delectationes, quamque ibidem appellat naturalem flexibilitatem; ſed hæc indifferentia nihil juvat ad ſalvandam libertatem: quid enim homini prodeſt ſi non una ſemper & eadem adſtringatur catena, ſed illæ mutentur. idque celeritate tanta, ut una minuente premat altera; ac proinde perpetuo ſub jugo gemat, alterutrius dominationis captivus, nusquam liber nec ſui juris?

R. ad 3. Senſus catholicus errori tertiæ propoſitionis oppoſitus, is eſt, nempe ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, præter immunitatem a coactione, requiri immunitatem ab omni neceſſitate etiam ſimplici voluntaria, mutabili ac relativa; proindeque voluntarium, ſi ſit neceſſarium, non eſſe liberum ea libertate quæ ſufficiat ad meritum vel demeritum præſentis vitæ.

Ut iisdem circa quartam propoſitionem quæſitis ſatisfiat.

R. 1°. duplicem eſſe hujus propoſitionis partem, unam facti, alteram juris; utramque porro docuit Yprenſis. Primam quidem quæ factum ſpectat, lib. 8. de hæreſi Pelag: c, 5. his verbis: *Indubitatum eſſe debere ſentio, quod Maſſilienſes præter prædicationem, atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ad ipſam etiam fidem;* (ſeu ut dixerat cap. ultimo libri 7. *ad prima credendi, ſperandi, diligendique voluntates*) *neceſſariam eſſe fateantur.* Secundam vero quæ jus ſpectat, docuiſſe Janſenium, patet ex cit. cap. 6. lib. 8. de hær. Pelag. ubi ſic loquitur: *In hoc proprie Maſſilienſium error ſitus, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ità lapſus homo ſaltem credere poſſet ſi vellet; neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuscujuſque arbitrio & poteſtate.*

Et vero errabant Semipelagiani circa gratiam neceſſariam ad initium fidei; ergo ſtatim ut ad illud gratiam interiorem exigebant, in eo tantum errare poterant, quod eam libero permitterent arbitrio; agnita quippe ſemel illius neceſſitate, ſolus reſtat illius operandi modus circa quem error verſari poteſt.

R. 2°. naturalem hujus propoſitionis ſenſum, tum in ſe, tum apud Janſenium hunc eſſe: Semipelagiani admiſerunt prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem

ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui relative ad actualem concupiscentiam posset humana voluntas obtemperare vel resistere. Sensum hunc indicant Janseniani in scripto *Trium columnarum*, & Hallerius in scripto sæpius citato.

Sensus autem catholicus, utpote contradictorius erroneo huic sensui, is esse debet: Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & si eam admisissent, non in hoc fuissent hæretici, quod voluissent eam gratiam talem esse cui posset hic & nunc humana voluntas resistere vel obtemperate.

Circa quintam Propositionem, Quæres 1°. an eam docuerit Jansenius. R. affirmat. totus quippe est lib. 3. de grat. Chr. c. 21. ut eam inculcet. *Nec enim*, inquit, *juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, cum hoc potius tanquam errorem à fide catholica abhorrentem doceant esse respuendum.*

Quin & eodem capite clare docet, Christum pro æterna solorum prædestinatorum salute mortuum fuisse: *Quæ sane*, inquit, *cum in Augustini doctrina perspicua, certaque sint, nullomodo ejus principiis consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur... Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.* Clara sunt hæc, nec ulla, ni fallor explicatione indigent.

Et vero in principiis Jansenii: Pro quibus Christus mortuus est, iis conferuntur gratiæ sufficientes ad obtinendam salutem: sed nullæ dantur ex secunda Propositione gratiæ vere sufficientes nisi efficaces, & si omnibus concederentur gratiæ sufficientes, permittendæ essent voluntati, quod Semipelagianum est ex quarta Propositione; ergo. Cæterum citato capite non diffitetur Yprensis Christum morte sua quibusdam reprobis promeruisse media quibus ad temporalem justificationem pervenirent: verum in principiis Jansenii in quibus nullæ dantur gratiæ vere sufficientes nisi efficaces, media illa dici non possunt ad salutem capessendam vere ac relative sufficientia.

Proprius ergo quintæ Propositionis sensus iste est:

Christus non est mortuus ea intentione, ut aliis quam prædestinatis promereretur gratias vere & relative sufficientes ad salutem obtinendam; & mortem Christi cum intentione extendere ad omnes omnino homines Semipelagianum est.

Catholicus autem sensus errori quintæ Propositionis oppositus, is est, 1°. *falso quis temere & scandalose*, Semipelagianum errorem affingat ei qui dixerit, Christum ea intentione mortuum esse, ut omnibus hominibus promereretur gratias quibus salutem vere ac relative possint obtinere: 2°. *impium, blasphemum, & hæreticum est*, affirmare Christum pro æterna solorum prœdestinatorum salute sanguinem fudisse, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia ad salutem hic & nunc obtinendam vere sufficientia.

Quoniam vero solent Jansenii sectatores, ut omnem à se erroris suspicionem amoveant, Thomisticæ, ut aïunt, aut Augustinianæ Scholæ discipulos se profiteri; ac constanter affirmare Yprensis systema à catholicis harumce Scholarum systematibus nullatenus differre: quantum assertio hæc sit à veritate aliena, paucis hic conabimur evincere.

Dico itaque 1°. Jansenii systema à Thomistico longe lateque distat.

Prob. 1°. ex confesso eorum omnium, qui negotii hujus consortes sunt, & 1°. Jansenius ipse jam à titulo lib. 8. de grat. Chr. c. 2. *Varia*, octo nempe, profert *discrimina inter adjutorium Dei medicinale, & prædeterminationem physicam; prout à defensoribus ejus traditur*. Et in textu capitis ait defensores præmotionis physicæ, se magis *Aristotelicos* quàm *Augustinianos* demonstrare; *Nam*, inquit, *prædeterminatio sic asserta.... universam ejus* (S. Aug.) *doctrinam inexplicabili confusione perturbat*; 2°. celebriores Jansenii discipuli idipsum candide professi sunt. Ita Arnaldus in falsa defensione Constitutionis Innoc. X. D. de S. Amour in Diario parte 6. cap: 13. pag. 418. &c. 3°. Nobiliores Thomistæ se à Jansenii erroribus semper exhibuêre alienos. Ita Joan. à S. Thoma, Guyard in speciali ea de re Tractatu, Gonet, &c.

Prob. 2°. quia Thomistæ non minus pro gratia sufficienti, quàm pro efficaci pugnant, ut totidem verbis ait Gonetus: atqui è contra gratiam Thomisticæ sufficientem rident & exsufflant Janseniani. Ità Arnaldus Epist. 1. pro Jansenio, & Montalt. Epist. 2. ad Provincialem.

Prob. 3°. constans est apud genuinos Thomistas id Angelici Doctoris principium: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ*: atqui palmari huic principio, cui omnes ad unum subscribunt Thomistæ, agentes de gratia actuali, invicte adstruitur relativa gratiæ vere sufficientis potentia; quam ineptiam meram rejiciunt Janseniani.

3. *p. q.* 62. *art.* 6.

Prob, 4°. ab extrinseco: Quinque Propositiones damnatæ sunt in sensu Jansenii; atque plurimi alii libri confixi fuêre ob id, unum præcise quod systema illud spirarent: atqui è contrario Thomisticum systema jam pridem spectante Ecclesia publice propugnatur: Lemos & Alvares in Congregationibus de Auxiliis coram SS, Pontificibus nomine totius suæ Scholæ, illius patrocinium suscepere; iidem Pontifices sedulo prohibuerunt ne ulla ipsi nota inureretur; ergo.

Dico 2°. Jansenii systema plurimum differt à systemate Augustinianorum, qui gratiæ efficaciam in delectatione simpliciter & absolute victrici constituunt.

Prob. tum ex allatis mox rationibus, quæ omnes ferme huc redeunt; tum quia à Catholicis delectationis simpliciter victricis defensoribus, omnino negatur palmare illud Jansenii principium: vires scilicet electivas per peccatum primi parentis penitus esse amissas, illisque successisse duplicem delectationem, ex qua voluntas omnes vires suas mutuatur: asserunt nempe vim electivam, sive ad bonum, sive ad malum expeditam, non repeti à graduali delectationum intensione, sed respectu mali naturaliter completam esse & perfectam; ad bonum autem supernaturale perfici & compleri vi gratiæ sufficientis omnino independente à gradibus delectationum: quare juxta illud systema, ex eo quod ad aliquod objectum prosequendum voluntas, vel nulla, vel minus intensa delectatione moveatur, non sequitur sicuti in systemate Janseniano, quod inferiorem habeat vim electivam circa illud objectum.

Adde quod præter gratiam efficacem alia ab ipsis admittitur, scilicet sufficiens, quæ veram confert potentiam & relativam ad quamlibet concupiscentiam hic & nunc urgentem,

Obj. 1°. Actus essentialiter conjungitur cum præmotione; ergo posita præmotione ad amorem, v. g. non stat potentia ad non amandum relativa ad illam præmotionem. R. neg. ant. nam præmotio physica spectari potest, vel ut est entitas quædam physica, vel ut est instrumentum Dei. Priori sensu non est essentialiter

connexa cum actu; imo fatentibus Thomistis possibile est non actum cum ipsa componi: *Liberum arbitrium*, inquit Alvares disp. 93. de Aux. n. 3. *majorem habet virtutem quacumque motione in se recepta, si considere-tur illa motio secundum suam entitatem, præscindendo à decreto voluntatis divinæ cujus est instrumentum.* Idem tradunt Lemos, Ledesma & alii. Non ita certe in Systemate Janseniano, in quo vis gratiæ & concupiscentiæ est & quasi mechanica: delectatio enim superior a sua physica entitate habet, ut invincibiliter ponat effectum suum propter superioritatem graduum relative ad oppositam hic & nunc occurrentem delectationem.

Si autem spectetur præmotio ut est instrumentum Dei, fateor eum cum actu semper conjungi, sed ita ut cum actu illo semper maneat potentia ad oppositum, scilicet præmotio est instrumentum voluntatis divinæ quatenus omnipotens est; quo autem potentior est causa, eo magis effectus conformatur illius voluntati; ergo effectus fit prorsus per præmotionem eo modo quo Deus vult illum fieri: Atqui vult Deus ut creatura rationalis præmota ita ponat actum ut possit illum non ponere: ergo ita fit actus sub præmotione, ut remaneat vera potentia ad oppositum.

S. Thom. 1 p. q. 19. a. 6.

Et vero in systemate Thomistico ante præmotionem ad unum potentia ad oppositum supponitur expedita & completa in ratione potentiæ; ut ergo ei noceat adveniens præmotio, debet vel illam auferre vel illam ligare: sed neutrum præstat, Non aufert, nihil enim ex creatura aufert præmotio: non ligat quoque; præmotio enim quæ ex parte creaturæ reipsâ nihil ponit in anima præter actum: sed actus non ligat potentiam ad oppositum; ergo.

Obj. 2°. præmotio physica Thomistarum sicut & delectatio victrix Jansenii, se tenet ex parte actûs primi. Namque 1°. a Thomistis sæpius dicitur complementum potentiæ; 2°. non est actus secundus, sed ipsius causa; 3°. denique est auxilium medicinale, ac proinde vires infirmas supponit; ergo.

R. nego ant. cujus falsitas ex dictis patet.

Ad 1. potentia tendit ad actum & per illum completur: merito ergo præmotio physica quæ potentiam ad actum certo applicat, potentiæ complementum dicitur, Ita Lemos & Alvares.

Ad 2. illud dici potest se tenere ex parte actûs secundi, quod supponit potentiam completam: porro li-

cet præmotio physica sit causa actûs, supponit potentiam completam. Ita iidem.

Ad 3. dico 1°. præmotionem physicam in systemate Thomistarum non esse proprie auxilium Christi medicinale; cum non minus in statu innocentiæ quam in præsenti statu necessaria fuerit; 2°. dist. auxilium est medicinale, quatenus est principium effectivum in actu secundo, supponens tamen potentiam completissimam in actu primo, C. secus, id est, quasi ipsa necessaria sit ut voluntas habeat vires relative proportionatas operi exequendo, nego. Ita Cajetanus, Alvares, & ipsemet Massoulié quæst. 3. de discrimine doct inæ Thomist. a Janseniano systemate. Sed de his adeundi Thomistæ, qui sua tueri nôrunt.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Quenello.

Paschasius Quenel anno 1634. die 14. Julii Parisiis natus, an. 1657. Congregationi Oratorii a Card. Berullo institutæ nomen dedit: & an. 1673. edidit Opera S. Leonis Papæ, una cum Dissertationibus, quæ 22. Junii 1676. Romæ graviter prohibitæ fuêre. Cum autem an. 1678. 26. Sept. decretum fuisset in generalibus Oratoriis Comitiis, ut certa formula a singulis ejusdem Congregationis subscriberetur adversus Baïi, Janseniique doctrinam, renuit ei subscribere Quenellus: unde Aureliam 1°. ac deinceps pœnarum metu an. 1685. Bruxellas se contulit ad Arnaldum ibi latitantem, junctisque cum illo pro disseminanda Jansenii doctrina studiis, per totum Belgium novitatum pestem, simul & diffidiorum facem intulit. His ut tandem malis occurreret Ill. *Humbertus à Præcipiano* Mechliniensis Archiepiscopus, implorata anno 1703. Regis Catholici auxiliatrice manu, *Quenellum*, ejusque fidum comitem *Gerberonium*, Ecclesiastico carceri tradi curavit. Gerberonius Vincennas translatus, hic primùm, satagente Card. Noallio, tum deinde suis restitutus in Abbatia sancti Germani Pratensis, ann. 1710. Formulario subscripsit, erroresque suos fauste ejuravit. At Quenellus effracto amicorum & scelesti hominis artibus carcere, in Hollandiam secessit; ibique nec coronis, nec purpuræ parcens, in causæ Jansenianæ defensionem infinita propemodum scripta edere perrexit.

Causa Quenelli.

Fugitivi iis a Promotore Mechlin. perfecta, qui de

his præcipue Quenellum convicit: 1°. *quod quamvis Presbyter, latitaverit in* BELGIO CATHOLICO *sub veste laica;* 2°. *quod ibidem & in vicinis Provinciis plures turbas & dissidia excitaverit, Presbyteros commoverit adversus proprios Episcopos,* CLERUM BATAVICUM *impulerit adversus Summum Pontificem;* 3°. *quod damnatam in Michaële Baïo doctrinam renovarit, atque laudaverit, novam Operum ejusdem Baïi editionem;* 4°. *quod damnatas Jansenii hæreses suis passim Scriptis inseruerit;* 5°. *quod scripserit esse sacrilegum exigere subscriptionem & juramentum facti, ut aiunt Janseniani, quod formulario Alexandri VII. continetur;* 6°. *quod etiam præparaverit compilationem* 156. *Opusculorum, à natâ hæresi Janseniana editorum, quorum etiam plurima à Sede sunt damnata;* 7°. *quod secreto administraverit Arnaldo ultima Sacramenta.* Item, *quod ausus fuerit in ædibus suis privata sua auctoritate erigere oratorium domesticum & in eo dicere Sacrum.*

Ob hæc & alia plura criminationis capita contumax, Novator excommunicationem incurrisse denuntiatus est, & Ecclesiasticæ Pænitentiæ mancipatus. Verum qui Romanum fulmen toties spreverat, non is erat qui Mechliniensi moveretur. Unde miris prædictam sententiam proscindendo calumniis, totum adversus vigilantissimum Præsulem Belgium concitare molitus est. Obiit tandem, ut vixerat, pertinax Amstelodami die 2. Decemb. an. 1719. ætatis 85.

Inter cæteras Quenelli lucubrationes, nominatissimus est liber impressus, sub hoc titulo: *Le nouveau Testament avec des Reflexions morales, &c.* vel aliter: *Abregé de la morale de l'Evangile, &c.* Opus illud primum an. 1671. unico editum est volumine in-12. complectente quatuor duntaxat Evangeliorum versionem Gallicam, quæ eadem ferme ac Montensis, cum brevioribus quibusdam *Reflexionibus moralibus* volumen illud approbavit *Felix de Vialard* Catalaunensium Episcopus Mandato mense Novembri ejusdem anni dato.

Sexdecim subinde annis, id est an. 1687. prolixiorem vulgavit ejusdem Operis editionem Quenellus: additis uti prius in quatuor Evangelia, ita in reliquos pariter novi Testamenti libros observationibus. Ita editio tribus brevioribus *in* 12. constabat voluminibus. Demum an. 1693. opus graviter amplificatum quatuor

grandioribus *in*-8°. distinctum tomis prodiit Parisiis. Editionem hanc subsecutæ sunt aliæ complures, quas inter eminent, tum ea quæ prodiit an. 1695. quamque Card. Noaillius, tunc Catalaunensium Episcopus, (postulatis prius quibusdam editionis an. 1693. levioribus correctionibus) probavit documento pastorali die 28. Junii ejusd. an. 1695. tum altera, quæ eodem promovente Cardinali excussa fuit an. 1699.

Ita porro successit Quenelli labor, ut Operis sui editiones geminando geminaverit errores. In prima enim an. 1671. editione, quinque tantum reperiuntur è damnatis postmodum 101. propositionibus; scilicet XII. XIII. XXX. LXII. LXV, in secunda an. 1687. jacent 48. propositiones è damnatis, præter quinque quæ extabant in priori editione. In tertia an. 1693. & sequentibus, omnes & singulæ, & quidem sæpius, nonnullis tamen quandoque mutatis vocibus, deprehenduntur 101. proscriptæ per Constitutionem *Unig.* propositiones.

Etsi porro editio an. 1693. utpote longe duplo auctior novo Regis privilegio, novisque approbationibus indigeret; ea tamen publici juris facta est cum iisdem plane approbationibus longe antea datis, ac præsertim cum Mandato *Felicis de Vialard*, qui Opusculum duntaxat approbaverat an. 1671. editum. nec sequentes *Reflexionum* editiones viderat; cum obierit an. 1680. quo & ei suffectus est Antonius de *Noailles*, postea Cardinalis & Archiepiscopus Parisiensis.

CONCLUSIO I. Æquissima est & canonica Clementis XI. Constitutio, quæ incipit *Unigenit.*

Prob. 1°. Illa profecto æquissima est & canonice lata definitio, quæ data fuit à sancta Sede, post maturum examen, ad instantiam Episcoporum; & quâ existialis proscribitur Liber, servatis ad amussim debitis formalitatibus: atqui Constitutio *Unig.* 1°. data fuit a S. Sede, veraque est ipsius lex: namque & a summo Pontifice Petri successore, Christique in terris Vicario, lata est, de consensu Cardinalium; & ad cunctas directa Ecclesias, & rite promulgata; primum Romæ, tum in Galliis ubi natus fuerat error.

2°. Nonnisi post maturum examen lata fuit: prætérquàm quod enim jam accurate Romæ perpensus fuerat *Reflexionum moralium* Liber, cum a Clemente XI. proscriptus est an. 1708. maturiori adhuc examine discussus fuit, antequam solemnis adversus ipsum daretur Constitutio *Unig.* uti diserte testatur in eadem constitutione S. Pontifex. Et reipsa, totum illud exa-

minis negotium tanta cura peragi voluit Clemens XI. ut non modo Congregationibus summâ præfuerit attentione, ſed & a ſe compoſitis, & propria manu conſcriptis animadverſionibus, diſerte Conſultorum expenderit ſuffragia, ſuamque quoad propoſitiones ſingulas diſtincte enuntiaverit ſententiam. Perduravit autem examen illud plusquam annum integrum.

3°. Præfata Conſtitutio ad inſtantiam Epiſcoporum, necnon ad repetitam Regis Chriſtianiſſimi efflagitationem data eſt, ad compeſcendos motus in Galliis emergentes, occaſione libri *Reflexionum moral.* utrumque ibid. clare ſignificat S. Pontifex, & nemo id eo tempore ignoravit.

4°. Liber *Obſervationum moralium* Conſtitutione *Unig.* proſcriptus, omnino pernicioſus eſt.

Conſtat 1°. quia id faſſi ſunt vel ipſimet Epiſcopi, qui dictæ Conſtitutioni obſtiterunt; ii enim omnes, uno excepto Mirapiſcenſi, librum hunc in ſuis Mandatis proſcripſerunt, veluti *renovantem errores Janſeniſmi;* veluti *erroribus jam damnatis faventem;* veluti *inducentem Fideles in errorem, præcipue circa Propoſitiones Janſenii:* ita Archiepiſcopi Pariſienſis & Turonenſis, Epiſcopi Bayonenſis, Virodunenſis, Catalaunenſis, Maclovienſis, in ſuis Paſtoribus Documentis, an. 1714.

Conſtat 2°. dicti libri perverſitas, quia Quenellus, ejuſque conſiliorum ſocii, non diſſimularunt eo fine *Obſervationes morales* in novum Teſtamentum concinnatas fuiſſe, ut Janſenianæ ſectæ dogmata magis ac magis ſtabilirentur, utque Eccleſiæ Paſtoribus, quaſi veritatis vexatoribus, exprobraretur prætenſa perſecutio in Janſenii diſcipulos.

Obj. 1°. Quenellus non eſt auditus antequam damnaretur; ergo non fuit canonica illius damnatio: ſed adverſa vel ipſi gentium juri, quo *ſacratiſſime cavetur ne quis inauditus damnetur & indefenſus.* Ita Quenellus cum ſuis. R. Ubi de libro, vel textu aliquo damnando agitur, neceſſe non eſt ut Autor audiatur; liber enim ipſe pro ſe teſtimonium perhibet: Porro Conſtitutio *Unig.* verſatur circa librum proſcribendum, & contingendas ex eo extractas propoſitiones, quarum doctrina & ſenſus diſcuti facile potuit abſque autoris præſentia: non debuit ergo audiri Quenellus.

Quod additur, *Jura ſacratiſſime cavere, ne quis inauditus damnetur* de *perſonali*, non de *dogmatico* exponendum judicio; hoc eſt de *perſona* non de *libro* auto-

ris intelligendum. Et vero omnes Episcopi diffidentes, uno excepto Mirapicensi D. *de la Broue*, publicis instrumentis, *Reflexionum moral.* librum damnaverunt, ipso tamen *personaliter* inaudito Quenello. Neque vero id mirum: hæc enim semper fuit constans Ecclesiæ praxis, ut Libri & Scripta inauditis autoribus plerumque proscriberentur. Sic tria famosa capitula in Concilio V. œcumenico fuère damnata, quorum autores pluribus antea sæculis è vivis excesserant: sic etiam in eodem Concilio, proscripta Origenis tribus antea seculis demortui doctrina. Quin & S Pontifex Theodorus ad Paulum CP. Patriarcham scribens. declarat, in Pyrrhum licet absentem, inquiri posse: *Non enim*, inquit, *præsentia ejus necessaria est, ubi excessus ejus & scripta veritati repugnantia præsto sunt.* Quanto potiori jure idem dici potest in præsenti Causa?

T. 5. Conc. p. 1777.

Obj. 2°. Damnari non potuit liber qui diutissime a fidelibus non innoxie tantum legebatur, sed etiam cum sprituali quamplurium profectu: atqui sic est de Quenelli libro.

R. neg. maj. constat enim pluribus exemplis, plerosque exitiales libros nonnisi multo post ipsorum editionem proscriptos fuisse ab Ecclesia: namque Origenes famosum suum *de principiis* Opus scripsit circa an. 217. nec tamen damnatum fuit a sancta Sede nisi circa annum 400. ipsaque universa Ecclesia idem Opus non proscripsit nisi an. 553. in Concilio V. œcumenico, hoc est, tribus plusquam seculis a morte autoris.

Obj. 3°. Illa definitio legitima non est, finiendis controversiis idonea, quæ nihil habet fixum, & determinatum: atqui censuræ Constitutionis, utpote quæ sint *in globo*, nihil habent determinatum: In iis siquidem non figitur unicuique propositioni qualificatio: adeoque sciri non potest quænam censuræ nota singulis propositionibus competat: unde quæ uni scandalosa duntaxat erit aut temeraria, alteri omnino hæretica videbitur.

R. 1°. novam non esse, quam adversus censuras *in globo* expostulationem hic instituunt Quenelli defensores. Lutherus in concertatione habita Lipsiæ an, 1519. *iniquam* appellat *viam plures dictiones acervatim reprehendi, non assignata cujusque effati notâ seu ratione censuræ.* Ant. *de Dominis.* Lib. 1. *de Repub. Christ.* cap. 12. ea potissimum de causa censuram articulorum *Joannis Hus* a Concilio Constantiensi factam arguit, *quia in confuso simul cum multis aliis sunt censura notati.* Idem

etiam de censura Leonis X. adversus Lutheri articulos dictum *à Frapaolo* quem egregiè reprimit Card. *Palavicinus* Historiæ Trid. lib. 1. 21. En quos sequuntur duces, qui indistinctas censuras reprehendunt.

R. 2°. usum hujusmodi censurarum adeo constanter probatum esse in Ecclesia, ut illius æquitas a viro orthodoxo impeti non possit; hunc velut communem secuti sunt *Sixtus IV.* an. 1478. contra Petrum de *Osma*; *Leo X* an. 1520. contra *Lutherum*: *Pius V.* 1567. *Greg. XIII.* 1579. *Urbanus VIII.* an. 1641. contra Baïum. *Innocentius XI.* an. 1687 contra *Molinos*: Innocentius XII. an. 1699. adversus Lib. cui titulus, *Maximes de Saints*: atqui tamen ex iis Bullis plures a Jansenianis admittuntur.

Denique censurarum *in globo* æquitas, vel una autoritate Concilii generalis Constantiensis demonstratur: ibi nempe sess. 8. quadraginta-quinque *Wicleffi* articuli, & sess. 15. triginta *Joannis Hus* generatim duntaxat & in globo damnati sunt. Quin & in eod. Concilio jussit S. Pontifex Martinus V. eos, qui suspecti forent, interrogari, num crederent articulos illos merito fuisse proscriptos. Unde si prædictus censuræ modus vitium habet, vitium illud in ipsam Synodum OEcumenicam, proindeque in Ecclesiam redundat, quod, vel suspicari, nefas.

R. igitur dist. min. Censuræ *in globo* nihil habent determinatum, *quantum ad peculiarem notarum attributionem quæ singulis propositionibus sigillatim non applicatur*, C. *quantum ad perversitatem propositionum quas Ecclesia declarat non esse orhodoxas*, N. In hujusmodi censuris fixum id occurrit de quo Ecclesia vult non certos fieri, & quod credit ad fidem tuendam satis esse: scilicet propositiones illas quas damnat, *perniciosas esse si traduntur, periculosas si credantur; ideoque non posse ab ullo Catholico defendi;* unde per talem Ecclesiæ definitionem fixum manet propositiones damnatas esse rejiciendas utpote cum ex ipsis quædam sint *hæreticæ*, quædam *erroneæ*, quædam *scandalosæ*, &c. & in id fertur assensus autoritati debitus. Quænam vero singulis censuræ nota conveniat, Doctoribus inquirendum & assignandum relinquitur, donec ab Ecclesia specialius id fuerit determinatum. Et vero, si oves a pastore in agrum deductæ, rationis compotes forent, sat eis foret si ab ipso hunc in modum admonerentur. Cavete ne pratum istud, tot distinctum coloribus, tantæque in speciem amoenitatis, ingrediami-

ni. Hic nempe latent gramina, quorum alia subitam vobis necem inferrent; alia male sanum languorem; alia sterilitatem noxiam, &c. quæ autem cautis ovibus sufficiant, quidni Fidelium vulgo satis esse possint.

Obj. 4°. Non potuerunt legitime damnari propositiones, quæ ex Scriptura, SS. Patribus, *Augustino* præsertim, *Leone*, *Prospero*, *Gregorio*, &c. de verbo ad verbum excerptæ sunt: atqui ita est de 101. damnatis per Constitutionem propositionibus; prout accurata textuum collatione demonstrarunt *Quenellus* & *Hexaplarum* autor; ergo.

R. 1°. Novatoribus semper id fuisse familiare, ut varia passim oggerant Scripturæ sacræ & SS. Patrum testimonia. Sic Arius his abutebatur Christi verbis, *Pater major me est*. Eutychiani contendebant se non posse damnari, quin S. Cyrillus, cujus verba perpetuo laudabant, damnaretur. Idem a subsequentibus Hæresiarchis, *Wicleffo*, *Luthero*, *Calvino*, constanter actitatum. Notum est famosum illud Calvini pronuntiatum: *Totus meus est Augustinus*: eundem S. Doctorem *Baius* & *Jansenius* ad omnem fere periodum appellant: nihilominus horum omnium doctrina merito per Ecclesiam proscripta est: idem de Quenellianis propositionibus dicendum.

Frustra ergo a prolixiori *Hexaplarum* Scriptore laboratum est, in congerendis ad defensionem *Reflexionum* Quenellianarum innumeris, male ac distorte consarcinatis Scripturarum & SS. Patrum textibus: certe ex solis Scripturæ, Patrumve truncatis textibus, Theologia facile concinnari posset, quæ a capite ad calcem, sola hæreticorum dogmata exprimeret, Calviniana, v. g. aut saltem Lutherana. Si ex verbis *Virgilianis* CENTO factus est Christianus: quidni ex verbis *Augustinianis* CENTO fieri possit hæreticus?

R. 1°. quod spectat propositiones ex Scripturis aut SS. Patribus excerptis; an proscribi possint, necne, hæc paucis accipe.

1°. Propositiones ex Scriptura sacra extractæ; si referantur prout in eadem Scriptura leguntur totidem verbis aut omnino synonymis, aut quoad sensum æquivalentibus, neque mutilentur ac depraventur, damnari non possunt: hæc quippe debetur reverentia consecratis afflatu Dei verbis, ut illa semper illæsa remaneant. Quandoque tamen Ecclesia prohibere potest ne a Fidelibus usurpentur Scripturæ verba absque aliqua exceptione, qua eliminetur sensus perversus quem illis

affigunt Hæretici. Sic fervente Arianorum hæresi, nolebat S. Hilarius has Scripturæ phrases usurpari: *Christus natus ex Maria Virgine*: & *Pater major me est*; nisi adhibitis modificationibus, virus Arianum excludentibus.

2°. idem dicendum de propositionibus quæ constanti SS. Patrum usu consecratæ sunt, & quarum ope depositum fidei ad nos usque transmiserunt: ex iis siquidem propositionibus, venerandæ, parisque cum scripto Dei verbo autoritatis, exurgit traditio. Quod vero spectat propositiones quæ raro & in perpaucis occurrunt Patribus: concorditer tradunt Theologi, post SS. Hilar. Hieron. Aug. lib. 1. contra Julian. c. 6. &c. id quod a paucis illis Patribus *simplicius & securius scribebatur nondum exortis erroribus*; quodque proinde in illis excusari debet, *reprehendi tamen & damnari*, præsertim in Autoribus aliunde suspectis. Vid. append ad calcem Tractatûs *de Opere sex dierum*. pag. 357. & seq.

R. 3°. nullam esse ex damnatis Quenelli propositionibus, quæ revera eadem sit, idemque significet cum iis quæ ex Script. SS. Patribus, ipsoque imprimis Augustino proferri possunt. Patebit id abunde in operis totius decursu.

Conclusio II. Constitutio *Unig.* certissimum est universalis Ecclesiæ judicium, cui singuli fideles corde & animo adhærere tenentur.

Prob. Solemnis ac publica S. Pontificis dogmatica Constitutio, cui pars Ecclesiæ notabilis adhæret, ceteris per orbem tacite consentientibus, censetur esse, & est reipsa judicium Ecclesiæ universalis, cui omnes & singuli corde & animo adhærere tenentur: atqui sic se habet constitutio *Unig.* ergo.

Major propositio, præterquam quod certissima est iis omnibus argumentis, quibus Ecclesiæ, sive dispersæ, sive congregatæ, demonstratur autoritas; major, inquam, constat 1°. ex Aug. qui agens de damnatoria erga Pelagianos sententia sub Innocent. I. sic habet Serm. 131. c. 10. *Jam de hac Causa duo Concilia* (Africana, *Milevitanum* videlicet ac *Carthaginense*) *missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error!* Huic Africanorum judicio per Sedem Apostolicam firmato tacite duntaxat, hoc est non reclamando consentiebant ceteræ per orbem Ecclesiæ: atqui tamen S. Doctor affirmate pronuntiat *causam finitam esse*; hoc est, suprema & irretractabili autoritate definitam. Unde lib. 3. contra Julianum c. 1. n. 5. diserte asserit.

competens fuisse judicium, quo Pelagiani damnati erant, licet reclamarent 18. Episcopi & ad Concilium oecumenicum provocarent.

Cur autem tacitus ille consensus sufficiat, hæc in mente S. Augustini ratio: *quia* inquit Epist. 55. ad Januar. *Ecclesia Dei quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, nec tacet, nec facit.* Unde Felix III. cujus verba a suis deinde successoribus sæpius usurpata sunt: *Error cui non resistitur, approbatur; & veritas cum non defenditur, opprimitur.* 2°. ex Doct. Bossuet. in Opere cui titulus; *Defensio declarat, Cleri Gallic.* lib. 3. c. 2. ubi de expresso & tacito consensu verba faciens, sic ait; *Denique* QUOCUMQUE MODO FIAT, UT ECCLESIA CONSENTIAT, TRANSACTA PLANE RES EST. *Neque enim fieri potest unquam, ut Ecclesiæ spiritu veritatis instructa,* NON REPUGNET ERRORI. Idem docet Melch. Canus, Thomassin. Ill. de Marca, &c.

Dist. 83. c. 3.

3°. ex Petro Aurelio, Scriptore Quenellianis minime suspecto. Sic ille Tom. 1. p. 98 *Hæresibus non paucis contigit, ut ab unius Provinciæ aut Regni Episcopis damnatæ sint cæteris consensu solum tacito, non Synodalium Decretorum autoritate suffragantibus.* Et pag. 127. *Ad tam publicam & illustrem veritatis proculcationem* (qualis fieret Episcopali judicio errorem solemniter proponente) *Ecclesia Catholica... silere non posset. Non enim falsum esse unquam potest illud de Ecclesia Dei, Augustini præconium: Ecclesia Dei quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.*

Prob. itaque min. nempe *Bullam* Unig. *publicam, solemnem ac dogmaticam esse S. Pontificis Constitutionem, cui Ecclesiæ pars notabilis positive consentit, ceteris per orbem tacite seu silentio consentientibus*: hæc, inquam, minor etsi per se clara iis omnibus qui temporis historiam norunt, probatur per partes.

1°. itaque Bulla *Unig.* solemnis est & publica lex S. Sedis. Nam publica & solemnis Sedis lex dicenda est Constitutio, quæ lata est, 1°. de Consensu Cardinalium: 2° ad cunctas directa Ecclesias; 3°. rite Romæ promulgata: atqui sic est de Clementina Constit. uti ex Bullæ contextu manifestum est, ergo.

II°. Non mera est politiæ, aut disciplinæ lex; sed vere ac proprie dogmatica Constitutio: siquidem proponit aliquid credendum, nempe singulas propositiones aliquam mereri ex assignatis notam, atque ex notis nullam esse quæ alicui propositioni non competat: Et

hæc quæ vel ex ipsa Bullæ inſpectione liquent ex principiis ſive patrocinantium, ſive adverſantium Conſtitutioni *Unig.* ex profeſſo infra demonſtrabuntur.

III°. Expreſse acceptata fuit ab Eccleſia Romana: ut patet, 1°. quia Bullæ Clementinæ nullus contradixit, quando Romæ ſolemniter promulgata eſt; 2°. ſacrum Cardinalium Collegium multiplex ac publicum obedientiæ ſuæ dictæ Conſtitutioni teſtimonium dedit, præſertim in celebri Epiſt. ad Card Noallium ſcripta die 16. Nov: 1716 3°. omnia Eccleſiæ Romanæ membra a plusquam 33. annis in eadem ſubmiſſione firmiter ac conſtanter perſeverant; Clementi XI. quatuor deinceps ſucceſsêre ſummi Pontifices: omnes porro anteceſſoris ſui judicium confirmarunt, & qua data occaſione diſſeminatas adverſus Conſtitutionem calumnias obtriverunt; ſpeciatim vero *Innocentius XIII.* qui ſeptem Epiſcoporum Epiſtolam, idcirco *ſchiſmaticam* atque *hæretico spiritu plenam* declaravit die 8 Januar. 1722. quod Clementinæ Bullæ revocationem à S. Sede poſtularent; 4°. denique, Eccleſiæ Romanæ erga Conſtitutionem *Unig* reverentia præſertim enituit in Concilio Romano anni 1725. præſide ſanctiſſimo Pontifice Benedict. XIII. aderant 30. Cardinales, 8. Archiepiscopi; complures Abbates, 33.procuratores Cardinalium, Epiſcoporum, &c. In hac autem veneranda Synodo, egregie commendata eſt ac confirmata debita præfatæ Conſtitutioni obedientia.

Quæ porro quantaque ſit in ejusmodi cauſis Eccleſiæ Romanæ autoritas, omnibus Catholicis ex tota traditione compertum eſt. *Ad hanc Eccleſiam*, inquit. S. Iren. lib. 3 de hæres. c. 3. *propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.* Et vero paſſim dicitur & revera eſt, *radix, fons & origo Traditionis Apoſtolicæ . . . neceſſarium unitatis & communionis Catholicæ centrum. . . . Petra ſupra quam fundata eſt Eccleſia, extra cujus communionem & fidem, nemo Chriſti eſt, ſed potius Anti-Chriſti*; ita SS. *Cypr.* lib, de unit. *Optatus*, lib 2. adversus Parmeniam. *Hier.* Epiſt. 16. ad Damas, *In ipſa*, ex S. Aug. Epiſt. 63. *ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus.*

Hoc certe uno perpetuo ac conſtanti totius Eccleſiæ Romanæ erga Bullam *Unig* obſequio, atteruntur penitus procaces illæ calumniæ, quibus præfatam Bullam infamare auſi ſunt Quenelliſtæ. Nempe vero Eccleſia ad quam *propter potiorem principalitatem neceſſum eſt omnem convenire Eccleſiam*: cujus doctrina cum

cti confunduntur hæretici: Ecclesia quæ *fons est & origo traditionis apostolicæ*: *unitatis & communionis catholicæ centrum; omnium aliarum Ecclesiarum mater ac magistra; cujus fides semper est fides Ecclesiæ; quæ à beato Petro ejusque successoribus edocta hæresim non novit*; quæ denique *à vera fide deficere & hæresim sequi nequit*; illa profecto Ecclesia positive ac constanter acceptare nequit Bullam dogmaticam, qua, ut blasphemare toties ausi sunt Quenelliani, *aperte Religio in suis dogmatibus, hierarchia in juribus, Christiana morum disciplina in fundamentalibus* funditus convelluntur.

Trid.

IV°. Gallicana Ecclesia in qua præsertim contentio excitata fuit, cujus proinde post Romanam Ecclesiam in præsenti negotio potissimum spectanda est acceptatio, suam præfatæ Constitutioni adhæsionem pluribus invictis momentis solemniter testata est: 1°. enim statim ab an. 1714. in frequenti Antistitum nostrorum conventu, *cum omni obsequio ac reverentia excepta fuit Clementina Constitutio*: atque an. 1715. à plusquam 110. gravissimis Pastoralibus documentis promulgata, decem exinde celebrata sunt generalia Cleri Gallicani Comitia; in his, præsertim in Comitiis an. 1723. 1726. 1730. renovata fuit ac firmata Bullæ acceptatio; agnitumque decretum illud, uti vera *Regni perinde ac Ecclesiæ lex*; 3°. in Ebredunensi Synodo quindecim Gallicani Præsules, unanimi consensu declararunt, *Constitutionem* UNIG. *dogmaticum esse & irretractabile universalis Ecclesiæ judicium*: quæ Synodus Pontificiâ Benedicti XIII. autoritate diserte confirmata fuit, regioque munita diplomate; 4°. in tota Gallia, imo in universo Orbe Catholico Universitatis nulla est, nulla sacra Facultas, quæ exhibendo huic Constitutioni obsequio defuerit: ipsa imprimis Theologica Facultas Paris. celeberrimo die 15. Decembris 1729. Decreto, splendide agnoscit & amplectitur *Constitutionem* UNIG. *tanquam universalis Ecclesiæ judicium dogmaticum*. Porro tam externæ quam domesticæ Universitates ad quam S. Facultatis Parisiens. acta transmissa sunt, ea summis plausibus excepere, se que idem sentire testatæ sunt.

V°. Acceptata etiam fuit Constitutio *Unig*. ab omnibus aliarum Ecclesiarum Episcopis: quod quidem constat, 1°. ex eorum silentio: nullus enim omnino inventus est apud exteras nationes, quæ Catholicam fidem profitentur, qui contra Bullam reclamaverit; etsi summa ope moliti fuerint diffidentes, ut eos ad recla-

mationem pertraherent: tacite ergo ab iis omnibus fuit acceptata; 2°. quia hanc exterorum Episcoporum acceptationem, evidentia tandem superati agnoscunt jam pridem Quenellistæ.

Confirm. Tam Bulla *Unig.* potest ac debet universalis Ecclesiæ dici judicium, quam Bullæ *Leonis X.* adversus Lutherum, *Innocentii XI.* adversus Molinosum, *Innocentii XII.* contra librum *de placitis Sanctorum*, &c. siquidem multo plura occurrunt monumenta, ad illius quam ad istarum ostendendam œcumenicitatem; aliunde nihil in Bullam *Unig.* opponi potest, quod continuo in prædictas Bullas opponi non possit; prout modo ex objectionum solutione patebit: Atqui istas *Leonis X. Innocentii XI.* &c. Bullas reipsa esse veras Ecclesiæ universalis definitiones, ne ipsi quidem diffitentur Quenellistæ; ergo.

Obj. 1°. Ad validam Pontificii Decreti acceptationem requiritur prævium ex parte Episcoporum, examen, illudque pro gravitate rei de qua agitur, diligens ac maturum: atqui nihil tale occurrit in præsenti negotio: Episcopi enim extra Galliam absque examine, & ex cæcâ erga Pontificiam infallibilitatem observantiâ, Bullam *Unig.* receperunt; Gallic. vero Præsules leviter duntaxat, non autem attente, prout postulabat rei gravitas, Constitutionem perpenderunt: hanc enim minime contulerunt cum Scripturis & Tradition &c. ergo.

R. 1°. Si valeat argumentum istud, nutabunt omnino Bullæ adversùs *Lutherum*, *Baïum*, *Jansenium*, *Molinosum*, aliæque omnes SS. Pontificum Constitutiones ab Episcopis, ex quo apud eorum plures obtinuit Pontificiæ infallibllitatis opinio, receptæ; imo nulla foret earum autoritas, etiamsi Episcopi, in Concilio OEcumenico legitime congregati, easdem positive acceptarent: quia ad Synodum vocati, præconceptam de Pontificia infallibilitate opinionem non deponerent: unde rursùs cuilibet Fideli, in principiis adversariorum, liceret dogmaticis Concilii Trid. Decretis reluctari; & ab ea Synodo, in qua Præsulum Ultramontanis placitis addictorum numerus prævaluit, ad aliud veré œcumenicum provocare Concilium, in quo Episcoporum dictis placitis adversantium numerus vinceret. Atqui principium, à quo tot fluunt absurda, nonnisi pessimum esse potest; ergo.

R. 2°. falsissimum esse Bullam ab Episcopis absque prævio examine fuisse receptam: 1°. enim constat maturum ac diligens à Gallicanis Præsulibus examen in

acceptanda Constitutione fuisse adhibitum: & id Acta verbalia Comitiorum Cleri Gallicani an. 1713. & 1714. disertissime testantur; 2°. nec minus constat ex apertis exterorum Præsulum testificationibus, Bullam ab iis absque prævia lectione & examine non fuisse acceptatam.

R. 3°. Quidquid sit de examine & motivo Episcoporum in acceptanda Constitutione: hoc statuimus ut indubitatum, legem publica & legitima autoritate latam, firmam ex se ac inconcussam esse debere, nec privato cuicumque, ut eam infirmet, fas esse inquirere in examen, modum & motivum quo lata est. *Si semel*, ait Melchior Canus, loc. Theol. lib. 5. c. 5. *Novatoribus hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ Judices eam diligentiam & curam exhibuerint, quâ opus erat ut quæstio finiretur: ecquis adeo cæcus est, qui non videat omnia mox Pontificum Conciliorumque judicia labefactari?* Jam vero Constitutionem *Unig.* publica & legitima autoritate latam fuisse, certum omnino est ex supra probatis.

Et vero, idque his in materiis principium est fundamentale; Promissa Ecclesiæ, seu Corpori Pastorum, facta à Christo, *perpetua* sunt & *absoluta*; non quidem eo sensu, quod nullæ ex parte Pastorum in ferendo aut in acceptando judicio requisitæ sint conditiones, sed quia necessarias omnes semper adhibitas fuisse, certo tenendum, quoties lata est aut acceptata à Corpore primorum Pastorum definitio. *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, ait Christus Matth. 28. alloquens Apostolos, eorumque successores Episcopos. Et c. 16. v. 18. *Portæ inferi non prævalebunt.* Porro prævalerent, si Corpus Episcopale ob neglectas necessarias conditiones errorem approbaret.

Obj. 2°. Ad firmam definitionis dogmaticæ autoritatem, requiritur *unanimitas*: atqui Constitutio *Unig.* unanimiter recepta non fuit: plerique enim Episcopi huic obstiterunt & etiamnum obsistunt Decreto; ergo;

R. Quæcumque tandem ad firmitatem dogmaticæ definitionis requisita sit unanimitas, de quo plenius alibi; certe cunctis fatentibus Orthodoxis, necessaria non est absoluta unanimitas, sed sufficit moralis, quæ ex longe majori Episcoporum S. Pontifici adhærentium numero, paucis ex adverso reclamantibus, coalescit: atqui Clementinæ Constitutioni adhæret maxima multitudo Episcoporum, ne uno quidem in exteris Regionibus dissentiente: in una Gallia reluctati sunt numero.

admodum pauci, & ex iis hodie tantum ſupereſt unus; ergo.

Et vero pauca admodum reperiuntur Eccleſiæ Judicia, quibus quidam non contradixerint Epiſcopi. Sic Zozimi Decreto obſtiterunt Pelagiani 18. Epiſcopi, & duce Juliano ad œcumenicam Synodum provocaverunt. Sic Epheſini Concilii ſtatutis contra Neſtorium 30. præeunte Joanne Antiocheno; & Concilii Calcedonenſis contra Eutychen definitionibus multo plures reſtiterunt. Sic denique in Galliis noſtris plus quam 10. Præſules Calvini partes adjuvârunt. Atqui tamen horum & aliorum errores, defectu *ſufficientis unanimitatis*, irreformabili judicio damnatos non fuiſſe nemo dixerit: quia ſcilicet multo major primorum Paſtorum multitudo Capiti ſuo R. Pontifici adhærens præfatos errores proſcripſit; ergo à pari. Unde viget hic iſtud Vincentii Lirinens. Commonit. c. 38. *Si quando pars contra univerſitatem; novitas contra vetuſtatem; unius vel paucorum diſſenſio contra omnium vel certe multò plurium Catholicorum conſenſionem rebellaverit: præferas partis corruptioni, univerſitatis integritatem.*

Obj. 3°. Ad validam Conſtitutionis dogmaticæ acceptationem, requiritur *uniformitas*; non *materialis* duntaxat & *quoad meras voces*; ſed inſuper & maxime, *formalis*, *interna*, & *quoad ſenſum*: atqui Bulla *Unig.* non ita fuit uniformiter acceptata; longe enim aliter illam acceptârunt Italiæ, Hiſpaniarum, Germaniæ, Galliarum Præſules: ergo. R. neg. min. Epiſcopi enim quotquot Bullam acceptarunt, inter ſe ubique conſentiunt circa acceptationis ſubſtantiam: nempe profitentur omnes, 1°. *ſe in Conſtitutione* UNIG. *doctrinam Eccleſiæ agnoſcere;* 2°. *ſe illam cum obſequio & reverentiâ acceptare;* 3°. *ſe librum Quenelli & extractas ex eo* 101. *Propoſitiones eodem modo proſcribere, ac cum iiſdem qualificationibus, quibus à ſummo Pontifice damnatæ ſunt.* Unde ſi quid Gallicanos inter & exteros Præſules hic occurrit diſcriminis, id ſpectat ſolas formalitates, quæ variæ eſſe poſſunt pro variis locorum & temporum circumſtantiis, non vero eſſentialem acceptationis formam quæ eadem ubique eſſe debet.

Et certe eodem ſeſe geſſerunt modo Epiſcopi in acceptanda Conſtitutione *Unig.* quo antea in acceptandis Conſtitutionibus, quæ contra *Molinos* & librum cui titulus, *Les Maximes des Saints*, editæ ſunt: atqui fatentibus adverſariis, Conſtitutiones illæ vera ſunt to-

tius Ecclesiæ judicia: neque prætenso *uniformitatis* defectu, harumce definitionum incusari potest œcumenicitas.

Obj. 4°. *Canonica* Bullæ acceptatio fieri debet in Conciliis: maxime si quæstio sit de propositionibus intricatis, & *in globo* damnandis: atqui in præsenti Bullæ *Unig.* negotio, ubi de proscribendis in globo quampluribus obscuris admodum propositionibus agitur, certum est nec in Galliis, nec extra Gallias, fuisse Concilia; ergo futilis est, quæ à nobis jactatur, Constitutionis acceptatio.

R. neg. maj. 1°. quia Bullæ *Innocentii XI.* adversùs Jansenium, & *Innocentii XII.* adversùs Lib. cui titulus, *Maxime des Saints*, &c. canonicæ sunt, & ut tales agnoscuntur ab adversariis: atqui Apostolica illa judicia absque præviis Conciliis lata fuêre; 2°. quia Concilia, etsi, ut an. 1663. aïebat S. Facultas Paris. *in aliquibus casibus necessaria*, nusquam necessaria sunt, ubi *multitudo Episcoporum Pontifici* DEFINIENTI *adhæret* PAUCIS *admodum ex adverso reclamantibus.* Ita constanter tradunt Orthodoxi omnes, imprimis Ill. *de Marca* & *Bossuet*, hic quidem in defens. declarat. Cleri Gallic. tom. 1. L. 5. c. 2. alter vero in Memoriali *circa Pontificiam infallibilitatem* an. 2661, edito, & in regia Bibliotheca asservato; Errorque contrarius *in Donatistis, Luciferanis, Pelagianis*, jam pridem à SS. Optato, Hieron. & Aug. obtritus fuit: ac deinde in Pseudo-Ministris *Voëtio, Claudio, Juricæo, Basnagio* explosus à Cardinalibus Hosio, Bellarm. Perron aliisque polemicis Tractatoribus. Atqui in præsenti Constitutionis negotio, summo consensu, Apostolicæ Sedi adhæret maxima multitudo Episcoporum, ne uno quidem in exteris Regionibus dissentiente In una Gallia reluctati sunt numero admodum pauci, vixque nunc reluctatur unus aut alter; ergo

Ut dicta hactenus nobili coronide absolvamus, egregium Em. Card. *Lambertini* (jam S. Pontificis *Benedicti XIV.*) testimonium, ex pererudito *super canonisatione Sanctorum* Opere depromptum, hic adjicimus. Sic porro habet, Tom. 4. c. 7. ubi sermo est de *Vita* Parisi. *Totus & universus* Libelli, *Vie de Paris*, &c. *contextus eo unice collimabat, ut homo Apostolicæ Sedi refragans*, SCHISMATICUS HÆRETICUS, *acerrimus impugnator Constitutionis, quæ incipit* UNIG. *pertinax Jansenistarum assecla, falsis ipsi attributis miraculis, imaginem solidæ virtutis & sanctitatis præ se ferret,*

SANCTE ERGO ET PRUDENTISSIME *Episcopi Gallicani* ABSTINUERUNT A SUMENDIS INFORMATIONIBUS JURIDICIS; ET SANCTE AC PRUDENTISSIME, INSANO, SCANDALOSO, ET TEMERARIO CULTUI OBSTITERUNT.

CONCLUSIO III. Bulla *Unig.* non eſt mera *diſciplinæ, politiæ* ac *cautionis* lex; ſed verum ac proprie dictum judicium dogmaticum.

Prob. 1°. ex luculentiſſimis ea de re monumentis quæ ſupra recenſuimus. *Primo.* quinque Romanorum Pontificum ſibi ex ordine in Sede Apoſtolica ſuccedentium. *Secundò*, ſacri totius Cardinalium Collegii. *Tertiò*, trium Synodorum in cauſâ Quenelli habitarum, Romanæ præſertim Synodi, cui Præſide Benedicto XIII. frequens adfuit Præſulum numerus. *quarto*, Gallicanorum Præſulum in plerisque Comitiis, Mandatis ac Documentis Paſtoralibus. *Quintò*, Orbis catholici Metropolitanorum & Episcoporum, quorum non pauca totâ paſſim hac diſputatione, laudavimus teſtimonia: ex quibus clariſſime liquet Bullam *Unig.* non ut meram *diſciplinæ* legem, ſerio veri nominis *dogmaticum judicium* à ſummis Pontificibus, Cardinalibus & Epiſcopis, publice agnitam fuiſſe ac ſolemniter declaratam.

His cohærenter ſacra Facultas Pariſienſis, ſolemni ſuo an. 1729. ſuper acceptatione Conſtitutionis *Unig.* Decreto die 15. Dec. lato, conceptis verbis pronuntiat: *Conſtitutionem ſanctiſſimi Domini noſtri Clementis Papæ XI, datam die* 8. *Septembris an.* 1713. *quæ incipit* UNIG. DEI FILIUS, *ſumma cum reverentia, & integro cordis & animi obſequio, ſe iterum & de novo amplecti* TANQUAM DOGMATICUM ECCLESIÆ UNIVERSALIS JUDICIUM. Ac dein in refractarios decernit excluſionis è ſuo ſinu pœnam *ipſo facto* incurrendam. Porro ſolemne iſtud Decretum pluries exinde à ſacro Ordine firmatum, ſummo plauſu exceptum fuit ab omnibus tam *domeſticis*, quàm *exteris Univerſitatibus* ad quas directum fuit: illud etiam magno conſenſu probavêre *Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales* Gallicani. Acceſſit & ad cumulum Apoſtolica *Clementis XI.* approbatio, *Brevi*, 16. Januar. 1731. ad S. Facultatem Pariſienſem dato.

Ex his ſic: Ea conſtitutio habenda eſt *dogmatica* Eccleſiæ definitio; quam ut talem conſtanter prædicant SS. Pontifices, Cardinales, Synodi ea de re habitæ, Gallicani Præſules variis in Comitiis & Mandatis Paſtoralibus, denique Orbis catholici Metropolitæ ſuis ex-

presse aut tacite consentientibus Suffraganeis: plaudentibus insuper tam domesticis, quam exteris sacris Facultatibus. Atqui ex dictis, Bulla *Unig.* non ut mera Disciplinæ lex, sed ut *dogmatica* definitio, à summis Pontificibus, Cardinalibus, Synodis, Præsulibus, agnita fuit ac declarata, suffragantibus, tum domesticis, tum extraneis Academiis: ergo.

Prob. 2°. Bulla quæ fallacem Libri doctrinam spectat, idque in summis fidei christianæ capitibus, necessario est dogmatica: atqui Bulla *Unig.* spectat, 1°. *fallacem Libri doctrinam*, prout exerte tradit ejusdem Constitutionis Autor Clemens XI. 2°. & eam spectat in summis fidei Christ. capitibus. Siquidem, ut aiebat Card. Noallius, in sua ad *Benedict. XIII.* pro obtinenda 12. *Articulorum* approbatione Epistolâ, *agitur de necessitate fidei in Mediatorem Christum; de Christi morte, ac Dei voluntate pro salute omnium hominum; de necessitate, potentia, ac gratuita dispensatione gratiæ Salvatoris Jesu: denique de regulis observandis in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sentiendum sit tenendumve;* ergo. Sed hic gradum sistere jubet instituti laboris natura. Qui totam hanc litem diligenter & profunde pertractatam nancisci volet, legat & relegat Dissertationem, cujus hic compendium studuimus exhibere.

TRACTATUS
DE GRATIA.
PARS DOGMATICA.

Partem hanc in ſeptem omnino Quæſtiones diſtribuemus. I. erit de diverſis naturæ humanæ ſtatibus. II. De natura gratiæ. III. De ipſius neceſſitate. IV. De gratia ſufficiente. V. De gratia efficaci. VI. De gratia habituali. VII. De præcipuis gratiæ effectibus, juſtificatione nimirum & merito.

QUÆSTIO PRIMA,

De Variis naturæ humanæ ſtatibus.

Statûs nomine hic intelligitur, certa quædam naturæ humanæ conditio in ordine ad finem ultimum; ſicque duplex generatim diſtinguitur ſtatus; unus termini ſeu patriæ qui proprius eſt Beatorum; alter viæ ſeu tendentiæ ad terminum, qualis eſt eorum qui vitam mortalem agunt. Hicque vel de facto extitit, aut etiamnum exiſtit: vel nusquam fuit, ſed videtur poſſibilis.

Status qui extitêre, ſunt 1°. ſtatus naturæ innocentis, in quo creatus fuit Adam ſinè concupiſcentia, ſinè ignorantia, expers mortis & miſeriarum, cum gratiâ atque ordinatione ad vitam æternam; 2°. ſtatus *naturæ lapſæ*, per merita Chriſti *reparatæ*, in quo naſcimur poſt Adami lapſum & Mediatoris reparationem. In hoc ſtatu, etiam ſublato originalis peccati reatu omnes fere ejus pœnalitates ad virtutis exercitium remanent; videlicet ignorantia in intellectu, pronitas ad malum in voluntate, infirmitas & concupiscentia in appetitu inferiori, ejusdemque rebellio contra ſuperiorem: ipſa denique corporis mortalitas, & mortalitatis comites miſeriæ.

Status qui de facto nunquam extitit, ſed tamen eſſe poteſt, triplex vulgo ſtatuitur: primus naturæ integræ; ſecundus, naturæ puræ, tertius, naturæ lapſæ nec usquam reparandæ.

Status naturæ integræ, ille est in quo homo esset sine peccato & gratiâ ordinante ad finem supernaturalem; at non sine auxilio naturali, indebito nihilominus meritis aut exigentiæ naturæ, quo posset impedire ne appetitus sensitivus contra rationem insurgeret.

Status naturæ puræ, is est in quo crearetur homo sine peccato & gratiâ atque perfectionibus sibi indebitis, non tamen sine concursu & providentia sibi connaturalibus.

Status naturæ lapsæ non reparatæ, is est in quo post noxam Adami remansisset genus humanum, nisi Deus reparationi nostræ consuluisset per Christum, aut per aliquod aliud remedium. De hoc statu, quem omnes maxime possibilem fateri debent, quia opus redemptionis, non est debitum, sed ex mere gratuita Dei bonitate procedens, non disputamus in præsenti, sed tantum de statu naturæ innocentis & naturæ puræ, cujus ultimi possibilitas possibilitatem naturæ puræ à fortiori evincit.

CAPUT PRIMUM.

De statu naturæ innocentis.

Circa statum illum tria quæruntur, 1°. an Adamus in ortu suo justitiam originalem, cæteraque dona ipsi annexa à Deo receperit; 2°. an hujusmodi dona homini innocenti debita forent ac naturalia; 3°. quodnam gratiæ actualis genus ei datum fuerit ad bene agendum ac perseverandum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Adam in justitia originali conditus.

Negarunt olim Pelagiani, contendentes hominem jam nasci, qualis primum conditus fuerat absque peccato & gratia. Idipsum etiam Sociniani nunc negant: sit contra illos.

Conclusio. Primus parens in justitia originali conditus fuit.

Prob. Justitia originalis includit competentem rerum cognitionem in intellectu; gratiam sanctificantem in voluntate; subjectionem appetitus, & immortalitatem corporis: atqui Adamus 1°. ea fuit rerum cognitione instructus, quæ ipsius statum decuit. Eccl. 17.

de primis parentibus legitur: *Diſciplina ſpiritus replevit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit corda illorum*; 2°. gratiam ſanctificantem accepit, juxta illud Eccl. 7. *Fecit Deus hominem rectum.* Hæc autem rectitudo vera fuit & interior ſanctitas, ut conſtanter docuêre SS. Patres, in primis vero contra Pelagianos Auguſtinus. Unde Trident. ſeſſ. 5. Can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe. . . . anathema ſit;* 3°. appetitus Adami inferior, ità perfectè ſubditus fuit ejus rationi, ut nusquam in hoc felici ſtatu, contra vel præter ejus præſcriptum moveretur. Hinc Aug. lib. 2. de peccat. meritis, &c. c. 22. *Placebat Deo, & placebat illis Deus: & quamvis corpus animale geſtarent, nihil inobediens in illo adverſum ſe moveri ſentiebant;* 4°. denique Adamus à Deo immortalis conditus fuit: unde iſtud tùm Apoſtoli Rom: 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors;* tùm Aug. lib. 6, de Genes. ad lit. c. 25. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis beneficio creatoris.* Et vero, ait S. Doctor L. 14. de Civ. c. 26. *Cibus aderat homini ne eſuriret, potus ne ſitiret; lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſolveret.*

Quæres an ſit de fide Adamum in primo creationis inſtanti, juſtitiam originalem cæteraque dona ipſi annexa à Deo accepiſſe. R. eſſe quidem de fide, primis parentibus ante lapſum collata fuiſſe hæc dona; an vero in ipſo præcisè creationis momento, ea acceperint, de fide non eſſe. Sunt enim qui exiſtiment Adamum à Deo primùm conditum fuiſſe in rectitudine mere naturali, ità ut poſtea ſanctificantem gratiam & cætera dona acceperit: longe tamen probabilius eſt, in ipſo creationis inſtanti, his omnibus donis inſtructum fuiſſe. Et certè ex Aug. paſſim Deus erga primos parentes ſe geſſit, ſicut ſe geſſit erga Angelos: atqui ex S. Doctore lib. 12. de Civ. Dei c. 9. *Deus Angelos cum amore quo illi adhærerent, creavit, ſimul in eis condens naturam & largiens gratiam.* Cùm ergo nonnulli Patres indicant Adamum priùs factum fuiſſe ad imaginem Dei ſecundum naturalia, tùm ad ſimilitudinem ſecundum ſupernaturalia, de prioritate rationis, originis ac naturæ exponendi ſunt, non de prioritate temporis.

ARTICULUS SECUNDUS.

An justitia originalis, cœteraque dona ipsi annexa, homini innocenti debita fuerint ac naturalia.

Affirmant Baii ac Jansenii discipuli, & docent justitiam protoparentibus naturalem fuisse, non hoc autem sensu quod naturam perficeret; sed & eo, quod hanc Deus ex justitia, bonitate & sapientia, iisdem largiri teneretur. Nec nocet conditio gratiæ, quam gratuitam esse oportet: *Quia*, inquit Jansenius L. 1. de statu nat: puræ c. ult. *gratiæ propriissimè dictæ ratio solummodo excludit debitum personæ ex operibus proveniens, non debitum naturale ex naturæ exigentia procedens.* Sit

Conclusio I. Justitia originalis, cæteraque gratiæ dona primis parentibus in ortu suo concessa, vere supernaturalia fuêre & ipsis prorsus indebita.

Prob. 1°. ex Scripturis. II. Petri 1. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* I. Joan. III. *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater; ut filii Dei nominemur & simus*: atqui his textibus dona supernaturalia & imprimis gratia sanctificans designantur, tanquam beneficia, quæ naturam humanam longe superant, & quibus ipsa supra suam conditionem exaltatur ad consortium divinitatis.

Prob. 2°. autoritate Bullarum Pii V. & Greg. XIII. quibus damnata est isthæc Baïi propositio n. 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*; de quo infrà.

Prob. 3°. ex constanti Theologorum doctrina, qui, ut postea ostendemus, communi consensu tradunt statûs naturæ puræ possibilitatem: atqui hujus statûs possibilitas manifeste supponit dona gratiæ primo homini concessa, minime fuisse ipsi debita ac connaturalia.

Prob. 4°. Justitia originalis Adamo collata, vera fuit gratia; prout docent Cyprian. L. de bon. patient. & præcipuè Augustinus L. de corrept. &c. c. 11. ac demum fatetur Jansenius: atqui gratia proprie dicta excludit non modo debitum *personæ*, seu ex actionum merito proveniens, prout etiam agnoscit Jansenius; sed & debitum *naturæ*, quod is malè negat. Nam 1°. quod naturæ debetur non est gratia naturæ superaddita, sed ad ipsam naturam, cujus est velut appendix, revocatur: atqui ta-

men citati Patres gratiam naturæ opponunt. Sic Augustin. L. 12. de Civ. c. 9. ubi de Angelis sermo est: *Simul in eis*, inquit, *& condens naturam & largiens gratiam;* ergo.

2°. Debitum *naturæ* ex conditione & exigentia naturali consequens, majus est & strictius debito *personæ*; huic enim Deus potest non satisfacere: quia cùm supremus sit omnium dominus, potest opera hominis exigere titulo dominii absque solutione præmii: debito autem naturali non potest Deus non satisfacere, nisi vim naturæ inferat, vel suis attributis, ut si creaturæ rationali denegaret concursum ad exercitium suæ libertatis: atqui ex mox dictis, debitum ex merito *personæ* proveniens, gratiæ rationem omnino perimit; ergo à fortiori debitum *naturæ*. Unde S. Thomas 1. 2. q. 111. art. 1. ad 2. *Dona naturalia*, inquit, *carent debito* personæ, *non autem carent debito* naturæ; *sed dona supernaturalia utroque debito carent; & ideò specialius sibi nomen gratiæ vindicant.*

Prob. 5°. quia adversa Jansenii sententia de justitiâ originali ad naturalem creaturæ rationalis integritatem pertinente, non videtur reipsâ discrepare ab errore Lutherano & Calviniano, quem tamen loco citato reprobare se simulat Yprensis. Neque enim illi hæretici adeo stolidi fuêre, ut fingerent justitiam originalem, ceteraque dona Adamo concessa, esse propriè loquendo partem naturæ, vel proprietatem à natura fluentem; cùm agnoscerent hominem iis donis fuisse orbatum, quod vel somniando dici nequit de proprietatibus ab essentia inseparabilibus; ergo eorum error in eo positus erat, quod assererent justitiam originalem pertinere ad integritatem naturæ humanæ eo modo quo eo tendit Jansenius, nimirùm ità ut eâ justitiâ ablatâ, natura sit corrupta & vitiata, sicut vitiatum est animal sine sanitate vel aptâ membrorum dispositione.

Conclusio II. Immortalitas primi hominis, ipsi prorsùs indebita fuit ac supernaturalis.

Prob. 1°. ex manifesta S. Aug. doctrinâ: *Aliud est*, inquit lib. de Genes. ad lit. cap. 25. *non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ; à quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione*

corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Eadem est sententia S. Th. 1. 2. quæst. 85. art. 5.

Prob. 2°. quia corpus humanum ex sua naturali constitutione postulat intrinseca principia adversùm se jugiter colluctantia, quæ proinde, seclusâ speciali & miraculosâ providentiâ, ineluctabili necessitate mortem inducunt.

Accedit damnatio 79. Baïanæ propositionis: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.*

Conclusio III. Immunitas à concupiscentia, cæterisque malis corporeis, non fuit homini innocenti debita ac naturalis.

Prob. 1. pars, ex S. Aug. qui immunitatem hanc divino gratiæ beneficio adscribit: *Gratia quippe magna ibi erat*, inquit lib. 4. contra Julian. cap. ult. *ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Consonat id Angelici Doctoris 1. p. 4. q. 95. a. 1. *Manifestum est quòd illa subjectio corporis ad animam, & inferiorem virium ad rationem, non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus dona naturalia post peccatum permanserint.*

Prob. 2. pars, quæ spectat alias corporis ærumnas; 1°. quia ex dictis homo innocens condi potuit obnoxius morti; ergo à fortiori obnoxius aliis miseriis, quæ sunt comites mortalitatis; 2°, quia natura humana, quantumvis innocens supponatur, suapte conditione sensitiva est & corporea, adeoque obnoxia externis agentium impressionibus: atqui externæ impressiones necessario nonnunquam inferunt sensibus molestiam; 3°. B. Virgo ab omni prorsùs peccato immunis, imò & ipsemet Christus, obnoxii fuêre miseriis corporeis; ergo possunt mala corporea absque prævio peccati merito hominem innocentem affligere. Hinc damnatæ propositiones 75. & 73. Baïi, quæ negant quemquam posse affligi nisi propter peccata.

Obj. contra 2. Concl. Privatio caritatis apud S. August. est vitium naturæ, atque adeo contra naturam: ità lib. 11. de Civit. c. 17. atqui si caritas debita non esset creaturæ rationali, caritatis defectus non esset naturæ rationalis vitium; sicut ejus vitium non est carere unione hypostaticâ, & donis quæ dicuntur gratiæ gratis datæ; ergo. R. dist. maj. Privatio caritatis latiùs sumptæ est vitium naturæ, C. sumptæ pro amore supernaturali, subd. est vitium naturæ ad finem supernaturalem ordinatæ, C. est vitium naturæ ut sic,

N. Caritas vel late ſumitur pro quolibet recto ac honeſto amore; quo ſenſu ab Aug. Serm. 349. diſtribuitur in *divinam* & *humanam*: ſicque ſumptæ caritatis defectus non eſt mera negatio, ſed vera naturalis boni privatio; vel ſtricte ſumitur pro amore ſupernaturali; hujus autem ſic ſumptæ defectus non eſt proprie vitium, nec privatio, ſed mera abſentia perfectionis indebitæ; niſi in natura, quæ ex Dei ordinatione ad finem ſupernaturalem deſtinata ſit. Porro S. Aug. locis in object. citatis, vel loquitur de caritate late ſumptâ, vel de naturâ, quæ ex Dei ordinatione, ad finem ſupernaturalem deſtinata ſit: at nullibi aſſerit caritatem ſtricte dictam verum eſſe vitium naturæ innocentis, abſtrahendo à qualibet liberâ Dei ordinatione ad beatitudinem ſupernaturalem.

Obj. 2°. Voluntas non poteſt condi ſine aliquo amore; voluntas enim eſſe non poteſt quin objectum aliquod amet: atqui amor, ſi Dei non eſt, malus eſt, quia amare creaturam prætermiſſo creatore malum eſt moraliter: ergo homo innocens condi non poteſt ſine amore Dei. Porro amor Dei omnino eſt donum ſupernaturale. Eſt enim illa dilectio infuſa per Spiritum Sanctum, quæ toties commendatur in Scripturis, & ab Auguſtino; ergo. R. ad 1 Conc. totum; ad 2. neg. ant. Amor enim ſine quo creatura rationalis condi nequit, naturæ rationali proportionatus eſt, atque ad illius exigentiam conceditur: atqui talis amor mere naturalis eſt; cùm ſupernaturale ut ſic totius naturæ vires & exigentiam ſuperet; ergo.

Nec nocent quæ Janſenius congerit Auguſtini teſtimonia: hæc enim loquuntur de præſenti ſtatu: porro ex ſupernaturalitate amoris divini in præſenti ſtatu, nonniſi per manifeſtam petitionem principii concludi poteſt ſupernaturalitas amoris pro ſtatu qui nunquam extitit.

ARTICULUS TERTIUS.

Quâ gratiâ indiguerit Adamus innocens.

Circa hanc controverſiam, ex qua tota fermè pendet quæſtio de diſcrimine auxiliorum utriusque ſtatus, variæ ſunt opiniones.

1°. Enim Janſenius, poſt Lutherum & Calvinum, diſcrimen utriusque ſtatus quantum ad auxilia in eo conſtituit, quod Adamo innocenti & Angelis conceſſa

fuerit gratia libero voluntatis arbitrio permissa, id est, auxilium *sine quo*: nunc autem homini lapso ità necessarium sit auxilium *quo* seu efficax, cui voluntas non possit resistere, ut sine illo nullum bonum velle possit & operari. Unde in systemate Jansenii, sicut adjutorium *quo* nullo modo pertinet ad statum naturæ integræ & innocentis; ità adjutorum *sine quo* nullo modo pertinet ad statum naturæ lapsæ. Eam porro duplicis adjutorii distinctionem appellat Jansenius basim ac fundamentum totius Augustini de gratia doctrinæ; *clavim quâ aditus in Scripta ejus aperitur, & sine qua in ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie.* Quapropter textum ex c. 12 libri de corr. & grat. in quo præfata distinctio exprimitur, septuagies supra centies revocat. Mirum tamen, quod nonnisi semel ab Augustino circa finem vitæ paucis verbis ac veluti obiter tradita fuerit memorata distinctio. Ergone S. Aug. totos 20. annos quibus cum Pelagianis congressus est, clavim illam Catholicos celasset?

2°. Thomistæ, cum necessitatem gratiæ physice præmoventis ex domino causæ primæ in secundam repetant, eam proinde in statu naturæ innocentis necessariam fuisse arbitrantur: in quo autem collocandum sit utriusque gratiæ discrimen, non omnino consentiunt. Alii cum Goneto totum discrimen repetunt ex parte gratiæ sufficientis, quam in præsenti statu ex illustratione intellectus, & motione voluntatis: in statu vero innocentiæ solâ mentis illustratione perfectam fuisse existimant. Alii cum Alvare, Lemos, &c. discrimen in eo collocant, quod in statu naturæ innocentis, titulo duntaxat dependentiæ necessaria fuerit gratia præmovens; in præsenti vero statu duplici titulo, nempe dependentiæ & infirmitatis. Alii demum cum Gonzale discrimen in eo reponunt, quod præmotio physica in præsenti statu magis virtuosa sit, quam in statu innocentiæ.

3°. Contendunt nonnulli Adamo sicut & nobis necessariam fuisse gratiam voluntatis simul cum gratiâ intellectûs; in hoc autem discrimen utriusque statûs collocant, quod licet homo lapsus vere possit agere per gratiam sufficientem, nunquam tamen de facto acturus sit, nisi uberiori gratiæ efficacis auxilio roboretur, quæ necessitas adjutorii efficacis nulla erat in statu innocentiæ.

4°. Alii inter utriusque statûs auxilia discrimen illud assignant, quod natura innocens jam evecta ad

eſſe ſupernaturale per gratiam habitualem, potuerit recte operari cum sola mentis illuſtratione; nunc vero inſuper neceſſaria ſit gratia voluntatem movens ac præveniens, ſive ea ſit ex ſe efficax, ſive non. Plerique ex his qui huic adhærent ſententiæ, primum actum quo Adamus & Angeli ſe præpararunt ad gratiam ſanctificantem diſtinguunt à cæteris actibus ſubſequentibus, ajuntque ad illum primum actum neceſſariam fuiſſe gratiam voluntatis, non autem ad ſubſequentes. Ità Zumel, Driedo, Bellarmin. Iſambert, &c.

5°. Tandem alii ſtatuunt Adamo ad bene agendum & perſeverandum nullâ aliâ opus fuiſſe gratiâ quam habituali: unde ſtatum innocentiæ in eo discrepare volunt à natura lapſa, quod homo innocens nullâ planè gratiâ præveniente, ne quidem intellectûs indigeret; nunc autem neceſſaria ſit gratia actualis præveniens. Omiſſa in præſenti Yprenſis opinione, cujus hæreſim alibi demonſtrabimus, ſit

Conclusio I. Adamo neceſſaria fuit gratia aliqua actualis, ſeu auxilium aliquod à gratia habituali & concurſu ſupernaturali diſtinctum.

Prob. 1°. ex iis S. Aug. verbis lib. de nat. & grat. c. 20. *Sicut oculus pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, non poteſt rectè vivere*: atqui generalia hæc verba ipſum etiam primum hominem non obſcurè comprehendunt.

Prob. 2°. ex eod. S. Aug. lib. de corr. & grat. c. 11. & 12. auxilium *ſine quo* ità Adamo & Angelis fuit neceſſarium, *ut ſi eo caruiſſent, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent*: atqui auxilium creaturis gratiâ ſanctificante jam inſtructis neceſſarium debet eſſe gratia actualis; ergo.

Prob. 3°. Non potuit Adamus quidquam velle niſi ex prævia intellectus cognitione: atqui intellectus Adami non potuit determinari ad hoc potiùs quam illud objectum ſupernaturale cognoſcendum, niſi per gratiam actualem. Unde enim determinatus fuiſſet? An ex ſe ipſo? ſed intellectus eſt facultas paſſive indifferens quæ non poteſt ſeipſam determinare. An à voluntate? at voluntas non poterat intellectum applicare libere ad unum potius quam aliud objectum, niſi cognitione aliquâ præcedente, dirigatur: ſicque eadem ſemper recurreret difficultas. An à gratia

habituali? ast ipsa non magis proxime activa est, quàm alii habitus. Ergo.

CONCLUSIO II. Ad primum amoris actum, Adamo & Angelis necessaria fuit actualis gratia voluntatis.

Prob 1°. ex S. Aug. lib. 12. de Civit. c. 9. ubi de bona voluntate quâ boni Angeli ad Deum conversi sunt, eique adhæserunt, sic habet: *Non est dubium quin ab eo facta sit* (bona illa voluntas) *à quo & ipsi facti sunt. . . . profecto & bonam voluntatem quâ meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent.* Et paulo post: *Et istam* (bonam voluntatem) *qui fecerat, nisi ille qui eos cum bonâ voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit?* Demum sic concludit: *Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos homines pertinere; verum etiam de SS. Angelis dici posse, quod caritas Dei diffusa est in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis.* Ex his sic: Nusquam S. Aug. prævenientem voluntatis gratiam significantioribus verbis indigitat, quàm cùm ait, *Deum in nobis operari bonas voluntates; Deum creare in nobis bonam voluntatem, eamque nos habere non posse, nisi operante Dei adjutorio*; ac demum caritatem actualem, seu amorem Dei castum, *diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: atqui omnes isti caracteres, gratiæ Angelis ad primum actum concessæ apprime congruunt, ex textu adducto; ergo. Quod de Angelis dixerat Aug. loco citato, ad primum hominem transfert lib. de corr. & grat. c. 11.

Prob. 2°. ratione, quâ post S. Th. 1. p. q. 62. art. 2. utuntur communiter Thomistæ: Cùm Adamus in ipso ortu suo perfectum rationis usum habuerit, par fuit ut modo libero se haberet ad receptionem gratiæ sanctificantis, illamque, sicut adulti, ex prævia dispositione consequeretur: atqui non poterat Adamus ad hanc gratiam recipiendam se disponere per actus mere naturales; ergo necessaria fuit gratia actualis per quam voluntas ejus redderetur capax eliciendi actus perfectæ caritatis, cui in præmium rependitur gratia habitualis.

CONCLUSIO III. Adamus innocens ad primum & subsequentes bonos actus non indiguit gratiâ ex se efficaci aut physicè præmovente.

Prob. ex Aug. qui latissimum quoad vim & efficaciam, inter utriusque status gratiam, discrimen constituit integris præsertim capitibus 11. & 12. libri de corr. & grat. *Hæc prima est gratia*, inquit c. 11. *quæ data*

in primo Adam: sed hæc POTENTIOR *est in secundo Adam.* Et paulo post: *Hæc autem tanto* MAJOR *est, ut parum sit homini, &c.* atqui funditùs ruit discrimen illud, si natura innocens opus habuit gratiâ per se efficaci aut physicè præmovente: tunc enim æqualis omnino fuit in utroque statu gratiæ efficaciter & physicè præmoventis energia; ergo.

2°. Ex Aug. ibid. cap. 11. *Tale est adjutorium naturæ innocentis quod desereret cum vellet; & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* Et rursùs: *Hæc prima est gratia quâ fit ut habeat homo justitiam si velit. Secunda plus potest, quâ etiam fit ut velit.* Atqui gratia ex se efficax & physice præmovens semper facit, ut homo bonùm velit & operetur; ergo.

3°. Si Adamo innocenti ad perseverandum in justitia necessaria fuisset physica præmotio aut gratia ex se efficax, debuisset excusari quod non perseveraverit: absque enim ullâ suâ præcedente culpâ, caruisset auxilio, quod plane supponitur necessarium ad perseverandum. Et vero ex SS. Aug. & Thoma gratia efficax non denegatur à Deo, nisi in pœnam præcedentis peccati; neminemque Deus deserit nisi prius deseratur; atqui in hypothesi adversariorum Deus ante deseruit, quam desertus esset. Non enim hic recurri potest vel ad peccatum originale, cùm quæstio sit de creatura innocente; vel ad præcedens peccatum, cùm agatur de auxilio ad primum peccatum vitandum necessario; ergo. *August. ibid.*

Conclusio IV. Adamo innocenti actualis & prævia voluntatis motio necessaria non fuit ad actus bonos primum subsequentes; sed cum gratiâ sanctificante & auxilio cognitionis poterat bene operari & perseverare si vellet. Ita Bellam. Isambert, Gamach. Frassen, &c.

Prob. 1°. Augustinus gratiam voluntatis solet appellare, 1°. *spiritum caritatis*; 2°. *inspirationem dilectionis*; 3°. *bonam voluntatem*; 4°. *boni cupiditatem*; 5°. *suavitatem*; 6°. *delectationem*; 7°. *cordis voluptatem*: atqui ex tot nominibus quæ perpetuo usurpat S. Doctor, quoties de gratia medicinali loquitur, ne unum quidem vel semel adhibet, cum de gratia Adamo in Angelis concessa disserit: imo iis duntaxat nominibus utitur, quibus mentis illustrationem solet exprimere; vocat enim illud auxilium, lumen & lucem. Ita lib. de nat. & grat. c. 48. & lib. de Civit. c. 11. *eâque comparatione*, inquit Jansenius, *crebro utitur S. Doctor ad exprimendum primi hominis adjutorium*; ergo.

Prob. 2°. Ideo nunc in homine gratiâ habituali instructo præter gratiam intellectus necessaria est immediata voluntatis motio, quia vincendos habet concupiscentiæ motus à boni prosecutione removentes. Ita passim ex Aug. probat ipsemet Jansenius: atqui in Adamo innocente nulli erant inordinati concupiscentiæ motus: nullâ is noxia delectatione consensum antecedente stimulabatur, ut ibidem docet Aug. ergo.

Prob. 3°. argumento ad hominem: Si Adamus innocens adjutorio voluntatis donatus fuisset, istud adjutorium in principiis Jansenii fuisset per se efficax: quia juxta Jansenium, gratia voluntatis est quædam motio seu delectatio indeliberata, quæ si sola sit, vel contrariâ delectatione fortior existat, secum invictè rapit voluntatis consensum: aliunde vero si quæ fuerit gratia voluntatis in Adamo, certum est eam nullâ motione sibi contrariâ oppugnatam fuisse; ergo in principiis Jansenii, si quæ extitisset in Adamo gratia voluntatis, ea fuisset per se & necessario efficax: falsum consequens, tùm ex dictis, tùm ipsomet fatente Jansenio; ergo.

Conclusio V. In eo præcisè stat specificum discrimen utriusque statûs, quantum ad auxilia, quod homo innocens per intellectus adjutorium cum gratiâ habituali posset bene agere, & perseverare si vellet; homo vero lapsus gratiâ voluntatis præveniente indigeat.

Prob. 1. pars ex dictis præced. Concl.

Prob. 2. pars ex constanti & millies repetitâ Augustini doctrinâ. Hinc lib. 4 ad Bonifac. c. 5. Pelagianos reprehendit S. Doctor, *quod vellent nos à Domino Deo adjutorium cognitionis habere, quo ea quæ facienda sunt noverimus, non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.*

Dixi *specificum* discrimen, non verò unicum: plerique enim ex his qui nostram tuentur sententiam, gratiam ex se efficacem in præsenti statu admittunt; unde novum sed secundarium exurgit discrimen inter adjutoria utriusque statûs.

Obj. 1°. contra 1. Concl. Aug. lib. de corrept. & grat. c. 10. hæc habet: *Angeli sancti cadentibus aliis per liberum arbitrium steterunt.* Hinc lib. de corr. & grat. c. 7. *Qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo: non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet;* ergo juxta S. Doctor. homo innocens per naturæ vires potuit in bono perseverare, subindeque ad id non indiguit gratiâ.

R. S. Aug. nomine *naturæ* & *liberi arbitrii*, ubi agitur de Adamo & Angelis, passim intelligere voluntatem ut sanam & ornatam gratiâ sanctificante, aliisque prærogativis quas in posteros transfudisset, si culpâ suâ non excidisset à tam felici statu: id enim naturaliter dicimur habere, quod nascendo accipimus. Ità multoties sese explicat S. Doctor; sic lib. 1. Retractat. cap. 15. *Proprie natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus:* Et Ep. 107. *Naturam ipsam* (hoc est dona supernaturalia in creatione accepta) *perdidit in semetipso primus Adam*. Porro libero arbitrio gratiæ donis in suâ creatione exornato, perseverantiam merito adscribit S. Doctor. Etenim, libertas sic spectata, seu voluntas sana non indiguit ad perseverandum nisi gratiâ intellectus: id porro quod fit cum solâ gratiâ intellectus debet potius tribui libertati quàm hujusmodi gratiæ: hæc enim est quid extrinsecum voluntati, nec influit in ejus actionem; sed se habet duntaxat per modum conditionis sine qua non; ergo.

Obj. 2°. Ex probatis antea, necessariò non fuit Adamo gratia voluntatis, quia nulla ipsi inerat concupiscentia: atqui pariter nulla in eo erat ignorantia propter quam tollendam requiritur gratia intellectûs. juxta S. Aug. lib. 2. de pecc. meritis, &c. c. 17. ergo. R. dist. min. Nulla erit in Adamo ignorantia habitualis, C. actualis, subdist. beneficio gratiæ intellectus, quæ in singulis occasionibus suggerebat ei quid agendum esset, C. seclusâ illâ gratiâ. N. Sepositâ gratiâ intellectus fuisset in Adamo ignorantia actualis rerum hic & nunc agendarum; nec similiter dici potest in ipso futuram concupiscentiam actualem si non habuerit gratiam voluntatis. Ratio disparitatis est, quia ignorantia actualis est mera privatio cognitionis actualis; at vero motus concupiscentiæ non est mera privatio coelestis motionis, quæ habetur per gratiam voluntatis, sed ei contrarie opponitur.

Obj. 3°. contra 2. Concl. Sequeretur ex nostra sententia, Angelos & Adamum in primo suæ creationis instanti non fuisse ornatos gratiâ sanctificante; si quidem ad illam recipiendam per proprios actus sese disposuerunt: falsum consequens, ex dictis: ergo. R. neg. maj. ut enim Angeli & Adamus sese præparaverint ad gratiam sanctificantem, sufficiebat gratiam actualem inter & habitualem prioritas naturæ, in eo posita quod Deus in gratiam habitualem non infuderit nisi intuitu actûs amoris, qui in ipso creationis instanti ab ipsis

per gratiam actualeam eliciebatur; eo fere modo, quo actus contritionis perfectæ, qui femper conjungitur cum gratia fanctificante, eft tamen ipsâ prior prioritate naturæ, cùm ad eam præparet & disponat.

Obj. 4°. contra Concl. IV. ex S. Aug. lib. 14. de Civ. c. 13. *Si voluntas* (Adami) *in amore fuperioris immutabilis boni, à quo illuftrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, ftabilis permaneret, non inde ad fibi placendum averteretur;* ergo S. Auguft. agnovit in Adamo gratiam voluntatis.

R. verbum *accendebatur* vel referri ad gratiam intellectûs, quâ Adam metaphoricè ad amorem Dei accendebatur: quo fere modo Pelagius apud Aug. lib. de grat: Chr. c. 10. afferit per gratiam intellectûs *ftupentem fufcitari voluntatem:* vel Aug. ibi non agere de illuftratione & accenfione, quæ amorem Dei præcedant & ad eum provocent; fed de ipfo potiùs amore Dei, à quo primi parentes illuftrabantur & accendebantur, ut cætera viderent, & recte amarent. Poftrema hæc folutio optimè concordat cum inftituto S. Aug. Probat nimirum S. Doctor, fuperbiam in caufa fuiffe cur Eva ferpenti crediderit, & Adamus Evam perversè dilexerit: idque probat, quia fi primi parentes per fuperbiam non defeciffent ab amore Dei, à quo illuftrabantur ut cætera viderent, & accendebantur ut rectè amarent, nec Eva potuiffet credere *verum dixiffe ferpentem*, nec Adamus *Dei mandato uxoris præpofuiffet voluntatem.*

Obj. 5°. Talis fuit Adami gratia ut poffe tribueret ejus voluntati; id oftendit S. Aug. lib, de corr. & grat. c. 11. atqui gratia intellectûs non dat poffe voluntati in quam non influit; ergo. R. dift. ant. Gratia intellectûs fola non dat poffe voluntati, C. cum gratia habituali & aliis donis quibus inftructus erat in ortu Adamus innocens, N.

Obj. 6°. S. Auguft. libris de Civit. & de corr. & grat. paffim afferit Angelos & Adamum gratiam accepiffe quæ *efficeret ipfum velle*, quæ *operaretur bonam voluntatem:* atqui hæc funt ipfiffima verba, quibus prævenientem voluntatis gratiam in præfenti ftatu defcribit S. Doctor; ergo eandem in homine innocente agnovit. R. dift. maj. quæ operaretur primam bonam voluntatem, C. fubfequentes actus & ipfam perfeverantiam, N. Loquitur iis in locis Aug. de prima bona voluntate ad quam neceffariam fuiffe gratiam voluntatis ex profeffo contendimus.

Obj. 7°. ex S, Fulgentio lib, 2. ad Trafimundum c.

2. *Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo nè caderet:* atqui gratia quæ hominem lapsum erigit, est gratia voluntatis; ergo pariter & gratia primi hominis & Angelorum. R, dist. maj. eadem gratia in genere, & quatenus videlicet significat auxilium supernaturale naturæ meritis indebitum, C. eadem omnino in specie, N. alias inferri posset nullum occurrere specificum discrimen inter gratiam utriusque statûs, quod certè nusquam admittent adversarii. Eadem responsio adhibenda est simili argumento quod ex Conc. Araus. can. 8. & 19. & ex S. Bernardo in Cantica solet proponi.

Obj. 8°. Mens S. Aug. circa discrimen gratiæ utriusque statûs perspicue aperitur in famosa distinctione adjutorii *quo* & *sine quo*, lib. de corr. & grat. c. 12. his verbis; *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit; & aliud est adjutorium quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit; ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo quam non habet homo; cum data fuerit, continuo fit beatus: adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur.... Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverari non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine illo dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Ex iis sic: Adjutorium *sine quo* est gratia voluntatis sufficiens ac versatilis; adjutorium *quo* est gratia per se invincibiliter ac necessario efficax: atqui totum utriusque statûs discrimen ex S. Aug. in eo positum est, quod Adamus acceperit auxilium, *sine quo*; nunc vero detur duntaxat auxilium *quo*, &c. ergo, &c. En palmare argumentum Calvini & Jansenii.

R. 1°. non consentire inter se Theologos, quid nomine adjutorii *sine quo* intellexit S. Aug. Alii hoc nomine ab eo unice intellectam volunt gratiam habitualem: alii solam gratiam intellectûs; alii grattiam versatilem voluntatis; alii denique habitualem gratiam, & simul coelestem intellectûs illustrationem: hæcque ultima sen-

tentia præ cæteris nobis videtur ad mentem S. Aug. accommodata. Enim vero adjutorium *sine quo* ex S. Doct. tale erat, cum quo poterat Adamus perseverare, & de facto perseverasset, si voluisset: sine quo autem non poterat perseverare: atqui hi caracteres, nec soli gratiæ illustrationis competunt, bene vero gratiæ habituali prout adjunctam habet cognitionis gratiam, uti constat ex supra dictis; ergo.

R. 2°. non magis inter se congruere Orthodoxos Theologos circa notionem adjutorii *quo*. Plerique existimant adjutorium illud exponendum esse de actuali gratiâ efficaci, quâ Deus ipsam in sanctis perseverandi voluntatem, non quidem invicte, ut placet Jansenio, sed certo duntaxat ac infallibiter operatur: hanc suam expositionem firmant hi Theologi ex antecedentibus & consequentibus: series enim, inquiunt, Augustiniani textûs omninò vetat, ne adjutorium *quo* intelligatur de perseverantia formali.

Alii cum Bellarm. Frassen. &c. contendunt loco citato nomine adjutorii *quo* intelligendum esse adjutorium formale perseverantiæ, seu ipsammet formalem perseverantiam: idque probant 1°. quia verba quibus adjutorium illud explicat S. Doctor, causam formalem non obscure indigitant; sic enim ait, *Ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint:* quod idem videtur significare ac si diceretur, ut per hoc donum formaliter constituantur perseverantes; 2°. quia ex Aug. ibid. se habet adjutorium perseverantiæ sanctis concessum, sicut beatitudo est in genere causæ formalis, ut per se patet; ergo. 3°. quia Aug. Massiliensium occasione citati textûs, querimonias expendens ac diluens lib. de dono perseverantiæ c. 6. aperte declarat se de perseverantia duntaxat formali locutum fuisse in præfato libri de corrept. & grat. loco: *Sed nolunt isti fratres* (Massilienses scilicet) *ità hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel contumaciter amitti possit; ubi quid dicant parum diligenter attendunt : de illa enim perseverantia loquimur, quâ perseveratur usque ad finem: quæ si data est, perseveratum est usque ad finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data.... Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest; sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest: cum enim perseveraverit quisquam usque in finem, neque hoc donum potest amittere, neque alia quæ poterat ante finem: quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur, etiam quod posset amitti?*

Atqui, ajunt, ex his nitide patet S. Aug. locutum fuisse non de adjutorio efficaci, sed de ipsamet formali perseverantia. Namque 1°. id sonant ac præ se ferunt laudata verba; 2°. idem evincit ratio quam ibidem profert, cur donum illud amitti non possit; *quia*, inquit, *metuendum non est, nè forte cum perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur*; 3°. si de auxilio efficaci, quod invictè voluntatem perseverandi efficeret, loqueretur S. Doctor, Massiliensium querelas augeret magis quàm compesceret, & immeritò ipsis ignorantiam exprobraret per hæc verba: *ubi quid dicant parum diligenter attendunt.*

Cæterùm quidquid sit de variis illis Theologorum, circà utrumque adjutorium *quo* & *sine quo* opinionibus, hoc prorsus certum, quo funditus ruit prætensum Jansenii circà gratiæ utriusque status discrimen, scilicet 1°. nullum esse ex Orthodoxis Theologis qui auxilium *quo* exponat de cœlesti delectatione relative ac necessario determinante; 2°. ex iis qui nomine adjutorii *sine quo* intelligunt gratiam voluntatis versatilem, nomine vero auxilii *quo* gratiam ex se efficacem; nullum pariter esse qui in eo cum Yprensi discrimen auxiliorum reponat, quòd ista ad statum naturæ lapsæ duntaxat pertineat, illa vero sit duntaxat naturæ innocentis, imò ii omnes constanter docent adjutorium *sine quo*, non ità esse addictum gratiæ sanitatis & naturæ hominis innocentis, quin etiam locum habeat in præsenti statu naturæ lapsæ & gratiæ liberantis.

CAPUT SECUNDUM.

De statu naturæ puræ.

Unum hic quærimus, an videlicet habitâ ratione non solùm omnipotentiæ Dei, sed ejus etiam sapientiæ, bonitatis & justitiæ, possibilis sit status naturæ puræ, seu status in quo homo nasceretur absque ullo dono supernaturali & sine peccato, cum omnibus perfectionibus & imperfectionibus quæ naturam ipsam consequuntur, obnoxius proinde ignorantiæ, concupiscentiæ morbis, aliisque hujus vitæ ærumnis, ac ipsi tandem morti. Negant Baianistæ & Janseniani. Sit.

Conclusio. Status naturæ puræ, sub omni respectu possibilis est.

Prob. Si impossibilis sit status naturæ puræ, non po-

tuit homo talis à Deo primum condi qualis nunc nascitur, excluso solum peccato, sed creari necessario debuit cum justitiâ originali: atqui falsum conseq.

Prob. min. 1°. ex censura tum hujus Baïi propositionis n. 22. *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ* (quod fit per gratiam) *debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*, tum & istius n. 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*, (excluso scilicet peccato: aliàs Deus posset esse autor peccati, creando naturam peccato infectam.) Atqui triplex harumce propositionum censura Conclusionem nostram diserte probat, & simul evincit statum nat. puræ omnimodis esse possibilem. Quod enim vel uni Dei attributo, æquitati puta vel sapientiæ repugnaret. Judicandum est simpliciter impossibile: Deus enim qui *seipsum negare non potest*, nec quidquam moliri pôtest, quod suæ justitiæ, sanctitati, cæterisque attributis adversetur: *In Deo*, uti tradit S. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo, c. 1. *quantumlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas.*

Timot. 2.

Prob. 2°. eadem minor ex S. Aug. qui Lib. 3. de lib. arb. c. 20. ut confutet Manichæos, qui visibilium creatorem vituperabant tanquam autorem mali, propter illam, quam patimur, ignorantiam & bene agendi difficultatem: quatuor supponit modos quibus animæ produci possunt & corporibus uniri; in quibus modis Deus creator non esset peccati autor, neque culpandus, potius laudandus. Ex his autem modis secundus sic exprimitur: *Si altera anima talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde creatori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus inchoatio quovis perfecto opere est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solùm quod anima est, quâ naturâ jam omne corpus præcedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quòd si ità est, non erit nascentibus animis ignorantia & difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio; & perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parùm est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.* Unde sic: Ille status nullatenus repugnat

bonitati & ſapientiæ divinæ, in quo, 1°. *anima non parvum bonum haberet unde creatori ſuo gratias ageret;* 2°. *poſſet ſeipſam excolere ac virtutes acquirere;* 3°. in quo *ignorantia & difficultas non forent ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio & perfectionis exordium:* atqui talis eſt hypotheſis de qua loquitur S. Aug. ergo. Et vero datâ operâ Manichæos ibidem debellat S. Doctor: an autem eos valide impugnaſſet ex hypotheſi quam ipſe impoſſibilem judicaſſet? abſit à tanto Doctore tam gravis injuria: præſertim cum eandem hypotheſim ad Manichæos efficaciter revincendos plurimum valere ſæpius teſtetur.

Prob. 3°. Status naturæ puræ ille eſt, in quo homo primitus à Deo crearetur abſque gratiâ, & ſine peccato, obnoxius tamen miſeriis quibus nunc premimur: atqui 1°. poteſt homo creari abſque gratia; quia ſine eo condi poteſt quod eſt ſupernaturale, ipſiusque naturæ omnino indebitum: atqui talia ſunt gratiæ dona, alioquin *gratia jam non* eſſet *gratia,* inquit Apoſt. Rom *11.* 2°. creari poteſt ſine peccato; imo non potuit cum peccato primitus condi: alias Deus peccati autor foret; 3°. creari potuit obnoxius concupiſcentiæ, morbis, & ipſi tandem morti; iſta ſiquidem forent naturæ appendices, ut loquitur S. Aug atque in ipſa hominis conſtitutione fundarentur ; ſic concupiſcentia prodiret ex conjunctione corporis cum anima, quo ſit ut mens de corpore ſollicita bonum ſenſibile proſequatur tanquam corpori conveniens: pariter morbi, dolores, aliæque miſeriæ ex influxu cauſarum naturalium profluerent, quæ quia hominem circumdediſſent in ſtatu naturæ puræ, hujusmodi ærumnas quâdam neceſſitate naturali influxiſſent; ipſa denique mortalitas fundatur in compoſitione ex quatuor elementis, quæ mutuâ ſecum pugnâ mortem generant; ergo.

Obj. 1°. S. Aug. Pelagianos Regnum cœlorum parvulis denegantes ſic compellat L. 3. contr. Julian. c. 12. *Quâ juſtitiâ, quæſo, à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgreſſa legem Dei?* atqui admiſſo ſtatu nat. puræ, imago Dei in nullo legem Dei transgreſſa, à regno Dei alienaretur: ergo. R. diſt, maj. Imago Dei in præſenti rerum ſtatu, & ſuppoſitâ naturæ rationalis ad finem ſupernaturalem gratuitâ ordinatione, quam agnoſcebant Pelagiani, non poteſt à Dei Regno alienari, C. in alio quocumque ſtatu, N. Porro qui de præſenti ſtatu diſputans, quærit cur in-

nocentes ad gloriam conditi, ab ea alienantur: in alia hypothesi disputans, quæreret an non laudandus esset Deus, tametsi hominem, sine ordine ad gloriam condidisset;

Obj. 2°. Homo creari non potest sine ordinatione ad eum finem, quem appetitu necessario & naturaliter insito desiderat: atqui ex S. Thoma 1. q. 4. 12. homo habet *naturale desiderium intuendi causam cùm intuetur effectum;* ergo. R. dist. min. Homo habet naturale desiderium intuendi causam, &c. naturale, inquam, ratione beatitudinis in communi, C. ratione hujus præcise beatitudinis, N. Audiatur ipse S. Thomas in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. ubi sic: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit in hoc vel in illo summum bonum hominis constare. Et ideò quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter ibi conjungitur appetitus naturalis, & appetitus rationalis. Et ex parte appetitûs naturalis, semper est ibi rectitudo: sed ex parte appetitûs rationalis, quandoque est ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi beatitudo ubi verè est; quandoque autem perversitas, quando appetitur ubi vere non est. Et sic in appetitu beatitudinis, potest aliquis vel mereri adjuncta gratiâ vel demereri, secundùm quod ejus appetitus est rectus vel perversus.* Unde sic: desiderium visionis beatificæ est desiderium hujus numero beatitudinis; atqui ex D. Thoma desiderium hujus vel illius in specie beatitudinis est ab appetitu rationali & libero, non autem ab appetitu naturali, nisi quatenus per istum tendit homo ad beatitudinem in communi; ergo. Et certe quod naturaliter appetitur per naturæ vires obtineri potest: frustra enim natura indidisset appetitum, quem satiare non posset: atqui visio beatifica, utpote supernaturalis, per naturæ vires obtineri nequit: ergo appetitus ejusdem non est à natura.

Inst. Id potest naturaliter appeti quod potest naturaliter cognosci: atqui naturaliter potest cognosci finem ultimum consistere in visione Dei intuitivâ: hoc enim Platonici agnoverunt, teste Aug. L. 8. de Civ. c. 8. R. dist. min. Platonici agnoverunt finem ultimum hominis positum esse in visione Dei abstractivâ, C. clarâ & intuitivâ, subdist. agnoverunt de eloquiis sacris, C. per solas naturæ vires, N. Unde ibid. c. 11. declarat S.

Aug. ſe pluribus argumentis adduci ut credat Platonem Moſis libros legiſſe porro his in libris viſionis intuitivæ mentio fit videlicet Exodi 33.

QUÆSTIO SECUNDA.

De naturâ Gratiæ actualis.

Gratia dividitur in habitualem, & actualem.

Gratia habitualis definitur Habitus vel qualitas ſupernaturalis, animæ permanenter inhærens, quâ homo fit intrinſece juſtus, ac *divinæ naturæ* conſors.

Quod gratia ſanctificans ſit habitus communiter receptum eſt, quia nullum ſuppetit nomen, quo commodius explicari poſſit forma animæ permanenter inhærens. Quod autem ſit reipsâ aliquid animæ inhærens, ac proinde quidpiam creati, non autem, uti juxta D. Thomam & alios plures, ſomniaſſe dicitur Magiſter Sent. ipſemet Spiritus S. fide certum eſt, tum ex Scrip: I. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te.* Et Rom, 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis ;* ubi gratia habitualis eſt aliquod Dei donum animæ inhærens, quodque à Spiritu ſancto, ſicut effectus à causâ diſtinguitur. Tum ex Trid. Seſſ. 6. cap. 11. ubi, *Si quis dixerit homines juſtificari.... excluſâ gratiâ & caritate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam quâ juſtificamur, eſſe tantum extrinſecum favorem Dei; anathema ſit;* his ergo, quæ nihil ſolidæ difficultatis habent, prætermiſſis; videndum in quo ſita ſit actualis gratiæ eſſentia. Hanc porro alii reponunt in omnipotenti Dei voluntate: alii in ſolâ illuſtratione intellectûs; alii in voluntatis motione, quæ neceſſario ſit amor caritatis. Sit

CONCLUSIO I. Gratia actualis nullo ſenſu dici poteſt ipſa omnipotens Dei voluntas.

Prob. 1°. Gratiæ aliquando reſiſtitur, Act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Omnipotenti autem Dei voluntati nusquam reſiſtitur, Rom. 9. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Certe notio omnipotentiæ adjuncta voluntati ſummam importat efficaciam: porro non omnis gratia eſt efficax; ergo male prorſus gratia ut ſic dicitur omnipotens Dei voluntas; merito proinde damnata eſt hæc Quenelli prop. 19, *Dei gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas.*

Prob. 2°. Gratia passim à SS. Patribus, & præsertim ab Aug. libris contra Pelagianos, appellatur, *vox, suasio, lumen, adjutorium* quo Deus movet & inclinat corda hominum: atqui inepte admodum ista omnia dicerentur *omnipotens Dei voluntas*; sicut impetus quo homo globum movet, inepte prorsus diceretur homo ipse.

Prob. 3°. ex constanti Theologorum doctrinâ, qui post S. Th. 1. 2. q. 110. art. 1. expresse tradunt gratiam actualem esse quid creatum in anima realiter existens: atqui omnipotens Dei voluntas non est aliquid creatum.

CONCLUSIO II. Gratia excitans non solum in illustratione intellectûs, sed & in voluntatis motione reponenda est. Ita vulgo contra Vasq.

Prob. 1°. ex Scripturis: Psalmo 118. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.* Proverb. 8. *Præparatur voluntas à Domino*: atqui inclinatio cordis & bonæ voluntatis operatio, ad voluntatem pertinent.

Prob. 2°. Constans Patrum Traditio gratiam donat nominibus dilectionis, delectationis, tactûs cordis: atqui hæc nomina denotant actionem voluntati propriam; ergo.

Prob. 3°. Gratia utpote quæ ad medelam detur, languidæ imprimis facultati applicari debet: sed infirmitas est potissimum in voluntate; ergo.

CONCLUSIO III. Non omnis gratia voluntatis, nec proinde rectus quicumque amor Dei est caritas proprie dicta: ideoque datur amor medius vitiosam cupiditatem inter & supernaturalem caritatem.

Not. Tria docent Jansenistæ, 1°. omnem voluntatis motum esse amorem, non solùm eo sensu quod ab amore derivetur, aut ad amorem tendat, ut post S. Th. docent Theologi; sed eo sensu quòd sit formaliter & proprie amor; 2°. non esse nisi duos amores, videlicet caritatem, virtutem theologicam, quæ Deum diligit tanquam finem ultimum; & vitiosam cupiditatem, quæ creaturæ inhæret tanquam fini ultimo, absque ullo ad Deum respectu; 3°. idque consequenter ad præcedentia, omnem voluntatis gratiam esse caritatem proprie & strictè dictam: si enim omnis motus voluntatis sit formaliter amor, nullusque detur amor rectus à caritate theologica distinctus, manifestum est, veram Christi gratiam esse solam caritatem pro-

prie dictam, aut ejus inſpirationem. His præmiſſis, Concluſio

Prob. 1°. In opinione adverſariorum omnis motus voluntatis eſt formaliter amor; atqui id dici non poteſt. Odium enim & timor haud dubie motus ſunt voluntatis: atqui motus illi, qui directe adverſantur amori formaliter & eſſentialiter, eſſe amor non poſſunt. Nomine ſiquidem amoris intelligitur inclinatio, propenſio voluntatis versùs aliquod objectum; unde amor à S. Aug. paſſim dicitur ſpes, pondus animæ, &c. atqui odium non eſt inclinatio versus objectum conveniens & appetibile; imò potius, repudiatio objecti displicentis; ergo. Pariter timor ſervilis non eſt caritas, ut patet; non eſt etiam concupiſcentia; cum ſit à Spiritu ſancto movente, ut tradit Trid. ergo non eſt formaliter amor.

Prob. 2°. Ex fide admittenda eſt ſpecifica inter virtutes diſtinctio: atqui ruit diſtinctio hæc: ſi nullus admittatur amor vitioſam inter cupiditatem & caritatem proprie dictam medius. Major conſtat 1°. ex Script. I. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes. caritas, tria hæc: major autem horum eſt caritas.* Coloſſ. 3. *Induite vos viſcera miſericordiæ,benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.... Super autem omnia hæc, caritatem habere;* 2°. ex Trid. Seſſ. 6: Can. 28. in quo definitur, veram fidem poſſe ſtare abſque caritate; 3°. ex conſtanti Orthodoxorum doctrina præeunte Angelico Doctore 1. 2. q. 65. art. 4. Prob. itaque minor ratiocinio S. Th. 1. 2. q. 18. a. 7. quod ſic proponi poteſt: Ubi nec ſunt, nec eſſe poſſunt, niſi duo actus, duo motiva ſeu principia, quorum unum eſſentialiter rectum eſt, alterum vero eſſentialiter vitioſum, ibi duo duntaxat occurrere poſſunt habitus, alter eſſentialiter bonus, alter eſſentialiter malus: atqui ſtando Janſenianorum principiis, duo duntaxat ſunt aut eſſe poſſunt actus voluntatis; duo duntaxat principia ſeu motiva horumce actuum, caritas proprie dicta ſcilicet & cupiditas, hæc eſſentialiter vitiosa, illa eſſentialiter laudabilis & bona; ergo.

Prob. 3°. ex Trid. Seſſ. 6. c. 6. ubi varios gradus recenſens quibus peccatores ad juſtificationem disponuntur; actus fidei, ſpei, timoris, &c. commemorat, ac tandem octavo loco, *initium dilectionis* recenſet; *Diſponuntur autem ad juſtitiam*, inquit, *dùm excitati divinâ gratiâ*: 1°. *fidem ex auditu concipientes.* 2°. *libere moventur in Deum;* ... 3°. *& dùm peccatores ſe eſſe in-*

telligentes; 4°. *à divinæ juſtitiæ timore quo utiliter concutiuntur;* 5°. *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo;* 6°. *in ſpem eriguntur;* 7°. *fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore;* 8°. *illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Ex his ſic: Septem priores illi actus profecto pii ſunt ac laudabiles; iis enim ad juſtificationem disponi peccatores declarat Concilium: atqui iidem actus nec ſunt formaliter caritas, nec ab ipſa oriuntur, cum, docente eodem Concilio, initialem caritatem antecedant; ergo dantur recti ac laudabiles motus diſtincti à caritate proprie dictâ.

Prob 4°. ex SS Pontificibus Pio V. Greg. XIII. Urbano VIII qui has Baii propoſitiones confixêre: 16. *Non eſt vera legis obedientia quæ fit ſine caritate.* 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut eſt vitioſa cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Atqui Conſtitutiones Pii V. &c. vera ſunt ac dogmatica, ex ante dictis, univerſalis Eccleſiæ decreta.

Prob 5° ex SS. Patribus, quorum inſtar ſit, quo plus gloriari ſolent Janſeniſtæ, Auguſtinus: ſic ille Serm. 349. *Caritas alia eſt divina, alia humana: alia eſt humana licita, alia eſt illicita* Et paulo poſt: *Non ſolum ita licita eſt caritas humana ut concedatur, ſed ità licita ut ſi defuerit, reprehendatur:* atqui cæcus ſit oportet, qui non videat effectum caritatis humanæ quem ut honeſtum eo loci approbat S. Auguſt, omnino disjunctum eſſe à caritate divinâ, cum ipſi opponatur, ut unum membrum diviſionis alteri ejuſdem diviſionis membro. Idem probant ea omnia S. Doctoris loca, quibus infra demonſtrabimus quædam bona opera exerceri poſſe ab hominibus fide deſtitutis. D. Thomam, & qui eum denſo agmine ſtipant Theologos, ſtudio brevitatis, omittere cogimur. At nefas fuerit id ſilere Ill. Boſſueti in lib. cui titulus, *Quietiſmus redivivus,* ſect. 4 cap. 2. pag. 366. n. 5. & 6. ubi Ill. Archiepiſcopo Camerac. iſtud præcipue perſtringit, quòd juxta ipſum ſpes Theologica ſine quodam ſaltem initio caritatis eſſe non poſſit: *Quod,* inquit Boſſuet. *eſt falſiſſimum, cùm* omnes Theologi uno ore sentiant, *caritatem quidem non ſint fide & ſpe; ſed fidem ac ſpem ſine caritate eſſe poſſe,* contrariamque sententiam reputent erroneam. Audis, teſte doctiſſimo Præſule, *falſiſſimum eſſe* atque *ex omnibus Theolo-*

gis erroneum, quod velut palmare principium nobis obtrudunt Janfeniani. Non aliud fuit de ea doctrina judicium Em. Noallii & Ill. P. Godet des Marais, ut conftat ex Scripto cui titulus, *Declaratio trium Epifcoporum*, pag. 258. & 283.

Prob. 6° Principium unde peffima profluunt confectaria, peffimum effe oportet: atqui ex principio gemini amoris, qui vel noxia fit cupiditas, vel caritas laudabilis, profluunt peffima hæc confectaria.

I. *Gratia naturæ fanæ & innocenti debita fuit ac connaturalis, eratque fequela creationis.* Itâ Baius prop. 21. 23. &c. Queuell. prop. 34. & 35. Et vero Deus non potuit hominem primitus condere durâ peccandi neceffitate adftrictum: fed fi abfque gratiâ & caritate creatus fuiffet, neceffariò peccaffet, quia in homine caritate deftituto sola manet cupiditas, quicum femper peccatur ex hypothefi.

II. *Repugnat ftatus naturæ puræ, imo & integræ.* Uterque enim ille ftatus fupernaturalem caritatem excludit: atqui ex hypothefi repugnat hominem primitus condi abfque gratia & caritate: ergo.

III. *Extra Ecclefiam nulla conceditur gratia.* Omnis enim gratia eft caritas, alioqui effet cupiditas noxia: atqui extra Ecclefiam nulla eft caritas: ergo. Ac proinde *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à J. C. influxum: adeòque hinc rectè inferes in illis effe voluntatem nudam & inermem fine omni gratiâ fufficienti;* quæ propofitio eft quinta è damnatis ab Alex. VIII.

IV. *Omnia quorumlibet Infidelium opera funt peccata.* Ipfi enim deftituuntur qualibet fide; ergo quolibet caritatis motu; ergo fola in illis viget concupifcentia: fed cuncta carnalis cupiditatis opera totidem funt peccata; ergo.

V. *Cuncta Fidelium, imò & juftorum opera, quæ eliciuntur finè caritate actuali, funt vera peccata.* Opus ex cupiditate vitiosâ elicitum, verum eft peccatum: fed ubi nulla eft caritas actualis, opus elici non poteft nifi ex vitiosa cupiditate, &c.

VI. *Actus five fidei, five fpei fine amore peccaminofus eft.* In ea quippe hypothefi, hujus actûs principium fola poteft effe cupiditas, cujus omnes effectus vitiofi funt; ergo *intentio quâ quis deteftatur malum & profequitur bonum, merè ut cœleftem obtineat gloriam, non eft recta, nec Deo placens.* Hæc ipfa eft decima propofitio ab Alex. VIII. profcripta.

Prop. 27. Baii. VII. *Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.* Liberum enim arbitrium sine gratia, solam habet comitem concupiscentiam, ex adversariis: atqui ubi sola adest concupiscentia, solum potest esse peccatum.

VIII. *Unica est virtus, nempe caritas.* Virtus enim definitur habitus inclinans ad bonum: atqui sola caritas ad bonum inclinat: ergo. Et certe ille habitus virtutis nomine donari non potest, cujus motus (si sumatur independenter à motu alterius virtutis) est intrinsece vitiosus: atqui motus cæterarum à caritate virtutum, si sejunctim ab illius impulsu sumatur, est essentialiter vitiosus; cum nequeat esse nisi carnalis cupiditatis impulsus effrenis; ergo ut tot erroneis propositionibus præcludatur via prorsus, admitti debet rectus ac laudabilis amor à caritate distinctus. Is autem amor ad minus triplex est, nimirum 1°. indeliberatus boni generatim ac propriæ beatitudinis amor: 2°. ordinatus ac deliberatus, tum Dei ut autoris naturæ, tum sui & proximi amor de quo S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 6. 3°. amor supernaturalis spei Theologicæ, quo Deus diligitur ut nobis bonus, seu ut autor & objectum nostræ beatitudinis.

Obj. 1°. ex S. August. Enchyr. c. 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas.* Idem docet S. Leo Serm. 5. de jejunio septimi mensis: *Duo amores sunt,* inquit, *ex quibus omnes prodeunt voluntates. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi; in dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.*

R. 1°. adductum S. Aug. textum adversariis esse solvendum. Certum est enim ex Yprensi ejusque discipulis, medium aliquod reperiri vitiosam cupiditatem inter & caritatem perfectam quæ justificat; atqui tamen si ad litteram urgerentur laudati textus, nullum foret tale medium: nomine enim caritatis simpliciter & sine addito, apud S. Aug. & alios PP. vulgo intelligitur caritas saltem appretiative perfecta.

R. 2°. dist. Regnat carnalis cupiditas quoad habitum, C. homo enim vel justus est, vel injustus; si justus, regnat in eo caritas; si injustus, cupiditas. Regnat quoad actum, subdist. ut plurimum, & ordinarie loquendo, C. homo enim ordinarie agit ex habitu dominante: Regnat semper & absolute, iterum dist. regnat cupiditas ubi non est caritas late sumpta, pro

quolibet bono voluntatis motu, C. (*Quælibet enim boni cupiditas*, ait Aug. lib. 2. ad Bonif. c. 9. *caritas est*) propie & ſtricte ſumpta, N. Sicque intelligendus eſt S. Aug. quando univerſim peccatum appellat id omne quod non fit ex caritate, & quoties ſignificat ex caritate, vel cupiditate fieri quidquid fit ab homine. Eadem mens aliorum Patrum.

Inſt. Omnis amor vel hæret in creatura, vel in Deo; ſi 1. vitioſa eſt cupiditas: ſi 2. eſt vera caritas quâ Deus propter ſe diligitur. R. diſt. Si amor hæreat in creatura, eſt vitioſa cupiditas: ſi hæreat. inquam, poſitive, ità ut excludat omnem relationem ad Deum, C. ſi hæreat præciſivè duntaxat, ita ut præſcindat à relatione explicita ad Deum, non eam tamen poſitive excludat, ſed implicite potius contineat N. Similiter diſt. aliam partem: ſi amor hereat in Deo, eſt proprie dicta caritas; ſi hæreat inquam, in Deo per formalem & explicitam relationem ad Deum propter ſe dilectum, C. ſi hæreat in Deo per implicitam ordinationem, quatenus nempe refertur ad finem bonum & rectum qui generatim intenditur ut honeſtus & ordinate amandus, N. Nam amor qui ſic implicite hæret in Deo, non eſt niſi caritas latius ſumpta.

Obj. 2°. S. Auguſt. pluribus in locis voluntatem bonam, caritatem appellat. Sic lib. de gr. Chr. c. 21. *Quaſi verò*, inquit, *aliud ſit bona voluntas quàm caritas*. Et lib. 2. ad Bonif. c. 9. *Quid eſt enim boni cupiditas, niſi caritas?* atqui hinc ſequitur. 1°, nihil omnino boni fieri poſſe abſque caritate; 2°. gratiam nihil aliud eſſe quam caritatem aut caritatis inſpirationem. R. diſt. ex S. Aug. *bona voluntas eſt caritas* latius ſumpta, nimirum pro quolibet pio ac ordinato voluntatis motu, C. ſtricte ſumpta. N. Hanc eſſe S. Auguſt. mentem, patet 1°. quia S. Doctor ſupponit rem eſſe omnibus exploratam, quod bona voluntas ſit caritas; *quaſi vero*, inquit, *aliud ſit bona voluntas quam caritas!* at ſi caritatis nomen ſtricto ſenſu ſumpſiſſet, procul dubio non ita confidenter iſtud principium veluti ab omnibus ſtatim concedendum propoſuiſſet: neque enim ita clarum eſt primam ipſam boni cupiditatem eſſe caritatem ſtricte ſumptam; imo inſulse admodum id diceretur; 2°. quia idem S. Aug. paulo poſt verba ex cap. 21. libri de grat. loquens de eadem bona voluntate quam appellaverat caritatem, utitur exemplo Aſſueri, cujus cor convertit Deus & tranſtulit indignationem ejus in lenitatem: porro converſio illa & lenitas

quam Deus operatus est in corde Assueri longius profecto distabat à caritate proprie dicta.

QUÆSTIO TERTIA.

De necessitate Gratiæ.

Tria hic inquirimus; 1°. an gratia ad verum cognoscendum necessaria sit; 2°. an ad faciendum bonum; 3°. an ad perseverandum in ipso.

ARTICULUS PRIMUS.

An Gratia ad veri cognitionem necessaria sit?

Verum aliud *naturale*, quod intra naturæ ordinem continetur, & nullum dicit respectum ad Deum intuitive videndum, aliud *supernaturale*, quod excedit naturæ ordinem, & ad claram Dei visionem ex se ordinatur. Utrumque illud verum, aut mere *speculativum* est, quod ad exercitium actionis moralis, nihil conducit: aut *practicum*, quod ordinatur ad operationem in ordine morali. Sit

CONCLUSIO I. Potest homo lapsus certo cognoscere absque gratiâ quasdam veritates naturales etiam practicas.

Prob 1°. ex Rom. 1, ubi S. Paulus declarat Philosophos Gentiles ex creaturis ad Dei cognitionem devenisse, & in hoc esse inexcusabiles, quia *cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt;* sed qui Deum noverant glorificandum, veritatem noverant maxime practicam.

2°. S. Aug. lib. 2. Conf. c. 4. *Furtum punit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa delet iniquitas:* atqui lex vitandi furti lex est practica.

3°. Potest homo per naturæ vires illud cognoscere, quod ipsius intellectui proportionatum est: atqui quarumdam veritatum naturalium, etiam practicarum, cognitio,.. Siquidem homo etiam post lapsum, praeditus est lumine naturali; quod non ità per peccatum originale vitiatum fuit, ut nulla remanserit ipsius perspicacia. Ita S. Thom.

Dixi, *quasdam veritates:* neque enim universas sibi relictus homo detegere potest; quod & nimis patet 1°. ex earum multitudine; 2°. ex brevitate vitæ; 3°. ex

angusta admodum mentis humanæ capacitate; 4°. ex infinitis pene impedimentis. Hinc tritum illud: *Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experientia laboriosa, judicium difficile.*

CONCLUSIO II. Sine interioris gratiæ auxilio, neque fides, neque illius initium haberi potest.

Prob. 1°. ex Scripturis. I. Cor. 4. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Hoc præcipue testimonio,, fatetur S. Aug. lib. de prædest. SS. cap. 3. se convictum fuisse, cum anteà putaret fidem aut ejus initium non esse Dei donum, sed à nobis esse in nobis.

II. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quo ex loco sic Massilienses premit Aug. ibid. c. 2. *Nullus credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.... Ergo si non simus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra quâ credere incipimus, ex Deo est.*

Prob. 2°. ex Concilio Arausic. II. Can. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum.....non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs sancti...,. sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Idem definit Trident. Sess. 6 Can. 3.

Prob. 3°. Fides & ipsius initium, basis est & fundamentum totius salutis: atqui fundamentum salutis debet à gratia inchoari; alioquin homo prior Deo daret, contra istud Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

Obj. 1°. contra Concl. 2. Hæretici nonnullos fidei articulos credunt; v. g. Trinitatis & Incarnationis sine gratia: hæc quippe illorum fides cum errore conjungitur; ergo sine speciali gratiæ interioris adjutorio fides haberi potest. R. dist. Credunt fide humanâ, dubiâ, aut firmâ quidem, sed ex pertinaci animo ac prorsus inutili ad salutem, C. fide divinâ, firmâ, ex motivo divinæ revelationis, seu, quemadmodum tradunt Concilia Araus. & Trident. *ut oportet* ad salutem, de qua fide hic duntaxat loquimur, N. Sicuti enim recte advertit Bellarminus, ut actus fidei sit *ut oportet* ad salutem, requiritur 1°. ut res certo credatur ex parte objecti; id est, tanquam à Deo revelata; 2°. ut firmiter credatur ex parte subjecti; id est, ut homo malit mori, quam non credere. Porro hæretici fidem neutro modo cer-

tam habent. Ad id enim duæ causæ infallibiles requiruntur; causa revelans articulos & causa proponens articulos revelatos: hæretici autem, utpote negantes infallibilem Ecclesiæ autoritatem, non habent causam quæ revelationem certo proponat aut declaret.

Obj. 2°. Fidei nostræ articuli habent motiva quibus redduntur evidenter credibiles, juxtà. d Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: atqui quod evidenter credibile est, sine gratia credi potest. R. dist. Res credibiles sine gratia credi possunt, fide humanâ, incertâ, ac inutili ad salutem; C. fide divinâ, firmâ, & ex pio affectu subjiciendi se Deo revelanti, N. Is enim affectus, cum Deum autorem gloriæ respiciat, supernaturalis est, proinque à gratia procedere debet. Præterea cum evidentibus & extrinsecis motivis credibilitatis, fidei mysteria obscura semper in se remanent, adeoque mens humana superiori auxilio indiget ut assensum suum captivet in obsequium fidei.

ARTICULUS SECUNDUS.

De necessitate Gratiæ ad bonum operandum

Quinque hic expendi solent; 1°. an gratia ad bonum supernaturale operandum necessaria sit; 2°. an sine caritate proprie dicta bonum aliquod morale fieri possit; 3°. an sine fide; 4°. an sine gratia actuali; 5°. quod bonum absque gratia actuali fieri possit.

§. I. *An gratia ad opus bonum supernaturale necessaria sit.*

Pelagiani constanter negavêre necessitatem interioris gratiæ, ut voluntas posset agere, & de facto ageret opera salutis æternæ meritoria.

Jansenistæ contra Pelagianos docent hominem nunquam de facto sine gratia operari; at cum iisdem sentiunt hominem sine ulla gratia, ex innata sibi libertate posse potentiâ ab actu sejunctâ quodcumque bonum opus in particulari agere.

Thomassinus docet caritatem habitualem independenter à gratia actuali conferre voluntati vires operi bono in ordine supernaturali perficiendo relative proportionatas; unde juxta ipsum, homo solâ instructus gratiâ habituali potest supernaturale operari bonum. Sit.

Conclusio I. Homo lapsus sine gratiæ interiori auxi-

sio nullum potest bonum ad salutem pertinens velle aut perficere.

Prob. 1°. ex Scripturis, Joan. 15. sic loquitur Christus: *Sine me nihil potestis facere* II. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare, aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hæc & alia innumera testimonia urget S. Augustinus.

Prob. 2°. ex Conciliis quibus confossa fuit Pelagiana hæresis. Talia fuêre duo Carthaginensia, Milevitanum, &c. Horum verba non exscribemus; id enim supervacaneum esset in re tam manifesta.

Prob. 3°. quia ut benè August. Ep. 177. *Oratio est gratiæ testificatio.* Atqui constat semper fusas fuisse rationes ut gratia impetretur.

CONCLUSIO II. Homo per solas naturæ vires non potest, etiam potentia ab actu sejunctâ, opus bonum supernaturale agere.

Prob. 1°. ex mox citatis Scripturæ textibus, qui omnes manifeste supponunt veram & physicam impotentiam in homine sine gratia ad bonum supernaturale; ergo.

Respondent Janseniani, quæstionem esse de potentia conjuncta cum actu, non vero de potentia ab actu sejuncta. Sed 1°. expositio hæc manifestam vim facit Scripturæ. Non ait Christus, sine me nihil facitis; sed, *sine me nihil potestis facere*: unde Concilia & SS. Patres gratiæ necessitatem commendant non solum ut homo agat, sed ut reipsâ agere possit. Porro in rebus præsertim dogmaticis, Scripturæ & Traditionis verba stricte sunt intelligenda non ad nutum exponenda.

Prob. 2°. ex S. Aug. lib. de corr. & grat. c. 11. *Si autem hoc adjutorium,* inquit, *vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio divino posset manere si vellet, non utique suâ culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent, &c.* Ex his sic arguo: Robustius erat & vegetius in Adamo liberum arbitrium ad bonum quàm in nobis: atqui ex S. Aug. sine gratia Adamus vere non potuisset bonum operari; unde nec suâ culpâ cecidisset; ergo à fortiori idem dicendum in præsenti statu.

Neque hic solito effugio de potentia juncta cum actu, superest locus. Excusatio enim ut sit legitima, cujuslibet veræ ad oppositum potentiæ exclusionem importat: atqui teste S. Aug. excusabiles fuissent & absque suâ culpâ cecidissent Angelus & homo, si cum

primum facti sunt, ipsis gratiæ auxilium defuisset; ergo.

Prob. 3°, Si homo lapsus veram ex libero arbitrio ad bonum supernaturale potentiam habeat, quâ non utendo peccet: idem homo vere potest esse sine peccato veniali in hac vita absque auxilio Dei speciali: potest Deum tantâ intensione quantâ Beati in cœlo diligere: potest naturaliter agere aliquid supernaturale, id est, quod superat naturæ vires & exigentiam; ac proinde vires habet ad agendum id ad quod vires non habet, &c. quæ omnia quàm sint absurda nemo non videt.

CONCLUSIO III. Homo justus, præter sanctificantem gratiam, indiget actuali voluntatis adjutorio ut bonum supernaturale operari valeat. Ità pene omnes contra Thomassinum.

Prob. 1°. disertissimo S. Aug. textu, lib. de nat. & grat. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic homo etiam justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere;* ergo.

Prob. 2°. Tum quia facultas etiam habitu instructa, operari non potest, nisi prius, si quæ sit, tollatur difficultas: atqui in homine justo semper remanet difficultas ad bonum, seu in tentationibus quæ frequentes ingruunt, seu ex concupiscentia & naturæ infirmitate; ergo. Tum quia Adamo innocenti & perfectissimâ gratiâ habituali instructo, necessarium fuit insuper auxilium actuale, quodquidem auxilium fidei si ei defuisset, suâ culpâ non cecidisset, uti mox vidimus: ergo à fortiori, homini lapso, etsi plenè justificato, necessarium est hujusmodi actuale auxilium.

Obj. 1°. contra Concl. 1. In Scripturis sæpissime indicatur primam hominis bonam voluntatem præire gratiæ. Sic Zachar: 1. *Convertimini ad me, ait Dominus, & ego convertar ad vos.* Proverb. 16. *Hominis est præparare animam;* ergo. R. hæc & alia hujusmodi Scripturæ testimonia gratiæ necessitatem non excludere, sed liberam hominis sub gratia commendare operationem; quemadmodum, cum dicitur, *Converte nos, Deus salutaris noster: Præparatur voluntas à Domino,* gratia præveniens commendatur sine dispendio libertatis. Ita Aug. lib. de grat. & lib. arb. & Triden. Sess. 6. c. 5.

Obj. 2°. Nonnulli e Patribus tum Græcis, tum Latinis, sensisse videntur voluntates nostras à Deo non

præveniri, sed Deum nostra subsequi desideria. Ita SS. Justinus Apol. 1. & 2. Irenæus lib: 4. Clemens Alex: lib: 1. Stromatum, Chrysost: Homil: 12. in Ep. ad Heb: &c. Hinc Semipelagianorum adversùs S. Aug: querimonia, quòd ab antiquis Patribus circà gratiam recessisset. R. hæc SS. Doctorum placita, facillimè Catholicum in sensum posse adduci, si hoc unum præ oculis habuerimus, eos in hoc potissimùm laborasse, ut adversùs Marcionitas, Manichæos, & alias ejusmodi pestes, liberum hominis arbitrium vindicarent, illæsis nihilominus divinæ gratiæ juribus. Quocirca citatis in locis gratiam non negant Patres, sed supponunt eam omnibus ita præsentem esse, ut quisque semper habeat in potestate inchoationem suæ salutis, cujus merito uberiora auxilia & incrementum fidei Deus paratus est impertiri, si nullus apponatur obex; id autem necessitati gratiæ nullatenus officit.

Obj: 3°. contra Concl: 11. S. Aug: lib: de prædest: SS. c. 5. *Posse habere fidem,* inquit, *sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum & habere caritatem, gratiæ est fidelium;* ergo ex S. Aug: habemus in natura potentiam habendi fidem & caritatem. R. dist: conseq: Habemus in natura potentiam passivam habendi seu recipiendi fidem, C. potentiam activam naturalem, N. Uno verbo, ut loquitur S. Fulgent: lib: de Incarn: & Grat: c. 24. *naturam habemus credulitatis fidei capacem, quod animalibus irrationalibus datum divinitus non est.* At non ideo activam in libero arbitrio habemus potentiam assurgendi ad fidem, uti docet Aug: lib: 1. ad Bonif: c. 2. his verbis: *Quid est, quod iste* (Julianus) *libero arbitrio vult bene vivendi tribuere, potestatem, cum hæc potestas non detur nisi gratia Dei per* J. C.

Obj: 4°. De fide est mandata Dei omnibus hominibus esse possibilia: *Quis enim peccat,* inquit Aug: lib. de lib. arb: c. 18. *in eo, quod caveri nullo modo potest?* atqui tamen de fide non est, omnibus hominibus, induratis præsertim & infidelibus, gratiam concedi: hanc enim iis denegari contendunt quidam Theologi, inter quos Massoulié; ergo gratia necessaria non est ut observatio mandatorum dicatur esse possibilis; & ideo per solas naturæ vires impleri possunt. R. id unum de fide certum est, iis scilicet mandata Dei esse vere possibilia, quibus de fide certum est dari gratiam sufficientem, & vice versâ: porro justificatis omnibus dari

gratiam sufficientem, fide constat; aliis autem omnibus concedi, etsi non sit de fide, attamen est certissimum, ut infra ostendemus; idem ergo pronuntiandum de possibilitate mandatorum Dei. Unde hic in Jansenistas contorqueri potest, quod ipsi nobis opponunt, eos scilicet fidei addere, imo & ipsam corrumpere, dum veram mandatorum Dei possibilitatem, per solas naturæ vires, ad omnes omnino homines extendunt.

§. II. *An sine caritate fieri possit aliquod bonum opus morale.*

Not. 1°. caritas stricte dicta, de qua hic quæstio, est gratuitus amor, quo Deus propter se diligitur ut autor gloriæ.

Not. 2°. caritatem sic sumptam dividi in habitualem & actualem: hæcque à Jansenio iterum distinguitur in perfectam, & imperfectam: prior, firmior est ac robustior qua Deus super omnia diligitur; altera cum adhuc infirma sit; nondum eo provecta est ut Deum rebus omnibus anteponat.

Multiplex occurrit in præsenti negotio Novatorum lapsus; 1°. enim Wiclef, & Joan: Hus asseruêre ex ipsa præcise sanctificantis gratiæ absentiâ, coinquinari omnia peccatoris opera, adeo ut nullum ante justificationem opus bonum elici possit. Errorem hunc non modo avide arripuere Lutherani & Calvinistæ, sed & amplificarunt, affirmando omnia etiam justorum opera totidem peccata esse, tametsi propter fidem justis non imputentur.

2°. Baïus caritatem, non quidem habitualem, sed actualem perfectam, necessariam esse contendit ut homo bonum opus perficere valeat.

3°. Jensenius lib: 5. de grat: Chr: c. 7. contendit imperfectæ caritatis motum, requiri & sufficere ut homo non peccet: Idem summo consensu docent Jansenistæ. Sit

Conclusio I. Potest homo sine caritate habituali bonum aliquod etiam supernaturale perficere.

Prob: 1°. ex Scripturis quæ peccatores hortantur ad opera pietatis, atque ita indicant omnia eorum opera non esse peccata. Daniel. 1. *Peccata eleemosynis redime.* Ezechiel. 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris;* ergo.

2°. Ex Concilio Constanciensi, Sess: 15. ubi damnatus est eà de re Wiclefi & Joan: Hus error. Trid. vero Sess: 6. can. 7. sic pronuntiat: *Si quis dixerit opera*

omnia quæ ante justificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, vera esse peccata .... anathema sit.

3°. Ex SS. Pontificibus, Pio V. Greg XIII. Urbano VIII. qui hanc Baïi propositionem proscripserunt Num. 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Ubi servus peccati is est, qui nondum agit ex caritate dominante.

4°. Qui homo peccator non semper agit ex corrupto principio, sicut justus non semper agit ex dominante justitiâ: & certe alias homo semel infectus peccato mortali nusquam posset ad justificationem seipsum præparare; neque enim per actionem malam potest Deum sibi conciliare.

CONCLUSIO II. Potest homo sine caritate actuali etiam initiali recte ac laudabiliter operari; seu dantur opera vere christiana absque ullo caritatis proprie dictæ motu.

Prob: 1°. Potest homo recte ac laudabiliter operari absque fide & gratia, ut ex infra dicendis constabit; ergo a fortiori & absque caritate actuali etiam tenui ac remissa.

Prob. 2°. Adversariorum sententia manifeste supponit, 1°. omnem voluntatis motum, formaliter esse amorem; 2°. nullum dari medium vitiosam cupiditatem inter & proprie dictam caritatem; 3°. omnem veram Christi gratiam in motu caritatis essentialiter esse repositam: atqui hæc tria falsa sunt ex dictis superius.

Prob: 3°. Actus fidei, spei, timoris, &c. etsi ab amore caritatis separati, recti sunt, & à Spiritu sancto, non quidem inhabitante, sed movente producti, uti teste Bossueto supra *ore uno docent Theologi*: sed si absque ullo caritatis amore, recti sint ac laudabiles fidei, spei, &c. actus; evidens est caritatem actualem minime necessariam esse ut homo pie ac virtuose operetur.

Obj: 1°. Scriptura passim reprobat opera impiorum, etiam in speciem bona, scilicet sacrificia, orationes, &c. ergo. R. dist. reprobat impiorum opera, quæ ex perverso fine & affectu fiunt, C. quæ ex bono animo & recta intentione proficiscuntur, N.

Obj: 2°. Matth: 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere;* sed peccator est arbor mala; ergo. R. dist: maj: Quando agit ut mala formaliter, C. præcise quia mala est, N. Sicut bonus aliquando malum, ita & malus quandoque bonum operatur.

§. III. *An sine fide bonum morale fieri possit.*

Not: 1°. quæstionem hic moveri de fide supernaturali & Theologica, de ea nimirum qua creditur mysteriis Religionis Christianæ propter autoritatem Dei revelantis; aut saltem quæ supernaturalem Dei cognitionem importat.

Not: 2°. in omni opere bono morali officium à fine distingui. Officium, seu objectum & materia operis, est, inquit S. Aug: lib: 4. contra Julian. c. 3. *id quod faciendum est*; finis vero, *est id propter quod faciendum est*: porro ex S. Doctore ibid: ad integram actionis moralis bonitatem requiritur ut bona sit, tum ratione officii, tum ratione finis.

Not: 3°. duplicem in actione morali distinguendum esse finem, nempe *operis* & *operantis*. Finis operis ille est ad quem actio ex natura sua tendit; talis est in eleemosyna sublevatio pauperis: finis operantis, is est quem agens pro arbitrio sibi proponit.

Circa quæstionem sic propositam non una est opinio.

1°. Enim aliqui explicitam in Christum mediatorem fidem requirunt, ut homo absque peccato possit operari. Ita Arnaldus in Opere cui titulus. *De necessaria in Christum mediatorem fide*; & in examine istius propositionis, *An Philosophus qui de Christo nihil audivit, Deum autem cognoscit, possit recte & absque peccato operari.*

2°. Janseniani, ut actio bona sit ratione finis, necessariam existimant supernaturalem veri Dei cognitionem. Et hi communiter hodie fatentur actionem bonam esse, sed nihilominus agentem semper peccare contendunt saltem peccato omissionis, defectu scilicet relationis in Deum tanquam in finem ultimum. Errorem hunc confixit Alex. VIII. in suo decreto anno 1690.

3°. Alii distinguunt inter infideles qui veri Dei notitia destituti sunt, & eos quibus sublucet aliqua veri Dei cognitio. In istis non omnia opera peccata esse fatentur; ast alias ex perverso semper fine operari, ac proin peccare, contendunt. Ita Greg: Ariminensis in 2. dist: 39. q. 1. a. 2. & è recentioribus Carolus Joseph Tricacissinus Capucinus, libro cui titulus, *De necessaria ad salutem gratiâ sufficiente*, 2. parte, sect: 2. §. 5.

4°. Alii cum Card: Norisio in vindiciis Augustinianis parag: 4. non illibenter agnoscunt in infidelibus o-

pera etiam ex fine bona; verum hæc non nudæ infidelium voluntati, sed divinæ gratiæ esse adscribenda contendunt; de quo §. seq: Sit cum agmine Theologorum.

CONCLUSIO. Absque fide proprie dicta, imo & absque ulla veri Dei cognitione, fieri possunt aliqua opera, tum ex objecto, tum ex fine, moraliter bona; unde omnes infidelium actiones non sunt peccata.

Prob. 1°. ex Scripturis, in quibus aliqua infidelium opera velut bona commendantur ac temporali donantur mercede. Exodi 1. dicitur: *Benefecit Deus obstetricibus, & quia timuerunt Deum,* neque juxta Pharaonis imperium nascentes Hebræos interfecerunt; *ædificavit eis domos,* id est, prolem copiosam eis concessit. Similiter Ezechiel 29. Rex Nabuchodonosor propter bellum adversus Tyrios feliciter gestum, sicut imperaverat Deus, mercedem temporalem accepit, terram scilicet Ægypti & manubias ejus. Unde sic arguo: Illa opera tum ex objecto, tum ex fine bona sunt, quæ laudantur in scripturis, quæque temporali mercede donantur à Deo: opera enim ex fine prava supplicium à Deo justo judice merentur, non præmia: atqui quædam infidelium opera laudantur.... Siquidem obstetrices illæ, licet non ignoraverint Deum Hebræorum, quem timuisse dicuntur, fidem proprie dictam non habuerunt. Ad hanc enim, juxta Jansenianos, non sufficit quævis Dei cognitio; sed requiritur cognitio influens in actum tanquam aliquod initium dilectionis Dei propter se; quod sane dici non potest de fide obstetricum; hæc enim in illis nihil aliud peperit, quam aliquam divinæ potentiæ formidinem, quâ inductæ sunt in pium misericordiæ affectum erga Israelitas.

Ceterum duplex actio distingui debet in istis obstetricibus: una qua ex humanitatis sensu pueros Hebræorum servaverunt; altera qua mentitæ sunt Regi crudeliter imperanti. Prior ex objecto & fine bona, laudem meruit: posterior intrinsece mala fuit, nulloque præmio compensanda: *Non est in eis remunerata fallacia,* inquit S. Aug: L. contra mendacium c. 15. *sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.*

Eadem nostra thesis evincitur ex Rom: 2. ubi sic Apostolus: *Cum Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis con-*

scientiâ ipsorum. Ex his sic: Per opera legis de quibus hic agitur, intelliguntur opera bona ex officio & fine simul: atqui gentes a quibus hujusmodi opera fieri dicuntur, sunt infideles verâ fide destituti; ergo.

Majorem admittunt adversarii, & merito: cum enim quis in opere bono ratione officii finem malum sibi proponit, nedum simpliciter dicendus sit facere ea quæ legis sunt, quin potius manifeste legis prævaricator efficitur: lex enim non solum imperat ipsum opus, sed etiam modum operis intrinsecum, nempe ut fiat ex recto fine. Prob: itaque min. His verbis, *Gentes quæ legem non habent, &c.* de iis ipsis Gentibus loquitur Apostolus de quibus paulo ante dixerat, *quicumque sine lege peccarunt, sine lege peribunt*: atqui hæc postrema verba certissime referuntur ad infideles omni cognitione Dei destitutos; quandoquidem in illis præsertim locum habebat objectio quam ibi occupat Apostolus quomodo scilicet peccare potuerant, qui nullam legem habebant; ergo. Et vero hunc Apostoli locum de infidelibus vulgo exponunt SS. Patres tum Græci, ut Chrysostomus, Theodoret. Theophilact. Æcumenius & alii; tum Latini, ut SS. Ambros: Hieron. & ipsemet August. qui tametsi pluries hunc Apostoli textum exponat de Gentibus ad fidem conversis, quod hæc interpretatio directe repugnet falsæ Pelagianorum expositioni, qui legem integram naturalem solis naturæ viribus observari posse contendebant, attamen aliam expositionem de Gentibus incredulis approbat lib: de spir. & lit. c. 27. & 28.

Accedit quod á summis Pontificibus damnata fuerit hæc Baii propositio n. 23. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apost. Rom:* 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, *intelligunt de Gentibus, fidei gratiam non habentibus.* Quæ censura nostram interpretationem tutam omnino esse decernit.

Prob. 2°. ex censura hujus Baïanæ propositionis n. 25 *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*: atqui propositio hæc pure & simpliciter damnari non potuit, si infideles in omni opere peccent.

Prob. 3°. ex S. August: de cujus mente tota ferè præsens volvitur difficultas. Sic ille lib. de spir. & lit. c. 27. *Quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justi-*

tiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus, quanquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniantur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.

Hujus rei rationem reddit c. 28. *Quia non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.* Atque in eum sensum asserit exponi posse laudatum Apost: textum, *Gentes quæ legem non habent, &c.* Subjungit ibidem S. Doctor: *Sicut non impediunt à vita æterna justum peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.*

Unde sic 1°. Illa opera tum ex officio, tum ex fine recta sunt, quæ secundum justitiæ regulam merito recteque laudantur: atqui ex Aug. quædam infidelium opera secundum justitiæ regulam, &c.

2°. Opera bona tum ex objecto, tum ex fine, simpliciter recta dici debent: atqui infideles possunt producere, tum ex objecto, ut omnes fatentur, tum ex fine recta, quod indicat S. Aug. loco citato: *Quanquam si discutiantur quo fine fiant,* vix *inveniuntur, &c.* quibus verbis clare supponit S. Doctor, aliqua saltem, tametsi raro, fieri ab illis infidelibus opera, vel ex ipso fine honesta.

Prob: 4°. Ideo potissimum contendunt Baïanistæ omnia infidelium opera esse peccata; quia existimant nullum dari amorem medium cupiditatem inter & caritatem: porro inter hæc duo dari amorem medium naturalem, rectum ac laudabilem, probavimus suprà.

Ex dictis facile convellitur distinctio juxta quam fatentur Janseniani quamlibet actionem infidelis non esse peccatum, quia recta & honesta esse potest, tum ex officio, tum ex fine proximo: at volunt infidelem ipsum in omni opere suo semper peccare peccato saltem omissionis, opus illud ad Deum ut oportet non referendo; quod vitium agentis est, non actionis. Et verò à summis Pontificibus non tantum damnata fuit hæc propositio, *Omnia infidelium opera sunt peccata*: sed & ista, *Necesse est infidelem in omni opere peccare*: ut videre est in Decreto Alex. VIII. an. 1690.

Obj. 1°. Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: atqui opera infidelium non sunt ex fide. R.

dist. quod non est ex fide practica, id est, ex conscientia, peccatum est, C. quod non est ex fide theologica, N. Hanc esse germanam hujusce textus expositionem patet, tum quia eum sic intellexêre omnes fere Interpretes Græci & Latini: tum quia interpretatio hæc omnino congruit scopo Apostoli: ibi enim agitur de iis, qui cum cibos discernerent, nonnullosque vetitos existimarent ex ipsis nihilominùs comedebant. Hos admonet Apostolus, id omne quod ex fide non est, seu quod sit contra dictamen conscientiæ, eo ipso esse peccatum.

Quia vero SS. August: & Prosper textum hunc quandoque interpretantur de fide theologica, paulo aliter ad eorum mentem, dist. quod non est ex fide théologica positive & contrarie, id est, quod fit contra fidem & ex animo infidelitatis, peccatum est, C. quod non est ex fide negativé, id est, quod fit absente fide, iterum dist. peccatum est, ut plurimum, quia scilicet infidelis sæpissime agit ex motivo suæ infidelitatis, C. peccatum est semper, quasi nullo prorsus honesto motivo ad agendum moveri unquam possit, N. Ita S. Aug. exponit S. Th: 2. 2. quæst: 10. art: 4. & quæst: 23. art: 7.

Inst: 1°. ex Apost. ad Titum 1. *Infidelibus nihil est mundum;* ergo. R. dist. ant. Infidelibus nihil est mundum, quando & quoties infideliter vivunt, C. quando ex honesto motivo operantur & juxta præscriptum legis naturalis, N. Ita Estius in hunc locum.

Inst: 2°. Hebr: 11. *Sine fide impossibile est placere Deo;* ergo infidelis nullum opus bonum exercere potest quod Deo placeat. R. dist: ant. Sine fide impossibile est placere Deo, hoc est, homo infidelis non potest placere Deo, C. hoc est, opus bonum ab infideli factum, non potest Deo placere subdist. Non potest placere Deo in ordine ad meritum vitæ æternæ, C. in ordine ad honestatem pure moralem, N. Siquidem supra vidimus à Deo mercedem aliquam temporalem infidelibus præparatam fuisse propter opera moraliter bona.

Obj: 2°. S. Aug: ex professo contra Pelagianos asserit virtutes infidelium non esse veras virtutes, sed potius vera vitia, eorumque opera, quæ videntur bona, ex ipso præcise fidei & rectæ intentionis defectu vera esse peccata; ergo. Ita præcipue S. Doctor, L. 1. de nupt. & concup: & lib. 4. contra Julianum.

R. dist. ant. S. Aug: asserit virtutes infidelium non

esse veras, ad sensum Juliani quem impugnat, C. ex propria sua mente, & ad sensum nostræ Conclusionis, N. Tria docebat Julianus: 1°. virtutes & opera quæ ex officio duntaxat bona sunt, licet ex pravo fine fierent, esse tamen simpliciter bona. Hanc Juliani sententiam refert ac explodit S. Aug: lib. 4. adversus ipsum c. 3. his verbis: *Ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes, & ideo nullomodo germanæ veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur pulchræ, ut nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium..... Noveris itaque non officiis sed finibus, à vitiis discernendas esse virtutes.* Opposito huic Juliani doctrinæ sensu contendit Aug: veras non esse infidelibus virtutes, sed potius vera vitia, quæ scilicet ex pravo fine ac perversa intentione fiunt.

2°. Julianus tribuebat infidelibus virtutes simpliciter veras, quibus illi absolute justi constituebantur, atque æternam effugiebant damnationem: commentum hoc carpit ibid. August: his verbis: *quis eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium;* at non ideo negat S. Doctor, in infidelibus aliquas veras virtutes quibus secundum quid boni dici possint; & temporalem aliquam mercedem sibi concilient, ut colligitur ex textibus supra adductis.

3°. Julianus invictis S. Aug: argumentis pressus, tandem fateri coactus fuit, quas in infidelibus admittebat virtutes, omnino steriles esse ad vitam æternam: Verum hæc declaratio fuci & contradictionis plena erat. Namque aut virtutes illæ steriles, bonæ duntaxat erant ex officio, non autem ex fine; aut ex omni parte perfectæ. Si 1. non modo steriles illas dicere debebat, sed plane falsas & vera vitia. Si 2. quomodo vera ac perfecta virtus, per quam proinde vera comparatur justitia, potest esse sterilis ad vitam æternam? Hanc doctrinæ absurditatem & contradictionem urget S. Aug: ibid: unde & opposito huic sensu negat in infidelibus veras virtutes, quibus simpliciter & absolute justi sint, & quæ tamen ad vitam æternam nihil conferant: verum in ipsis ultro agnoscit veras virtutes, opera moraliter bona, alio sensu quem antea exposuimus; ut patet ex probationibus.

R. 2°. aliter dist. S. August: asserit in infidelibus non esse veras virtutes, id est, perfectas ac supernaturales, quæ scilicet æternæ beatitudini acquirendæ deserviant, C. veras, sed imperfectas, naturales & ad

ad

beatitudinem steriles, N. S. August: adversus Julianum disputans, virtutis nomen usurpabat more theologico, pro habitu supernaturali quo homo simpliciter bonus denominatur, quique ad vitam æternam ordinatur. Id patet ex lib: 4. contra Julian c. 3. *Si ergo*, inquit *ad consequendam veram beatitudinem, quam vera fides nobis promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes*. Cum ergo omnino steriles sint ad beatitudinem infidelium virtutes, hinc est quod in ipsis nullas esse veras virtutes absolute pronuntiet S. Doctor.

Inst: Aug: lib. de nupt: &c. c. 3. aït infideles *eo peccare, quod dono Dei male utantur, non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt*; ergo. R. neg: conseq: hæc enim S. Aug. verba, *non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt;* intelligenda non sunt mere negative quasi ex ipsa præcise fidei absentia peccent infideles; sed positive & contrarie, ita ut sensus sit ipsos peccare, quia opera sua ad Deum non referentes, in pravum finem sæpissime ea detorquent. Hunc esse S. Doctoris sensum demonstrant hæc cap: 4. verba: *Copulatio itaque maris & fœminæ generandi causa, bonum est naturale nuptiarum; sed isto bono male utitur, qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluntate libidinis, non in voluntate propaginis*. Ubi infidelium opera ideo vitiosa sunt, quia non referentes ea ad Dei cultum, in pravum finem vulgo illa referunt.

Obj: 3°. Omnia opera nostra debent in gloriam Dei fieri, & in nomine J. C. ad Deum Patrem referri. Ita præcipit Apost, I. Cor: 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*: atqui infideles, præsertim ii qui verum Deum ignorant, nequeunt opera sua in Dei gloriam referre; ergo.

R. 1°. juxta Scotistas hæc esse perfectionis consilia, non vero præcepta: ipsis favent Cajetanus, Gammach. Corn. à Lapide, & Bellarm. lib. 5. de grat. & lib. arb: c. 10.

R. 2°. juxta Estium hic *præceptum referendi omnes actiones in gloriam Dei per Christum, ad solos pertinere Christianos quibus Christus innotuit, non vero ad infideles qui de Christo nihil plane audierunt. Ex quo fundamento*, addit ille, *solvitur objectio de infidelibus, qui quamvis suas actiones alioqui bonas in hunc finem gloriæ Dei non referant, imo nec referre possint; ii saltem qui de Christo nihil audierunt, cum tamen in illis*

spectent finem, ad quem dictante ratione naturali, referendæ sunt, non reprehensionem merentur, sed laudem. Unde constat propositam difficultatem non officere nostræ Conclusioni. Idem tradit Sylvius 2. 2. quæst: 10. a. 4.

R. 3°. cum S. Th: 1. 2. q. 100. art. 10. dist: maj. Omnia opera nostra debent in gloriam Dei fieri, id est non debent esse contra gloriam Dei, C. id est, debent fieri ex motivo gloriæ Dei, subdist: implicite, C. explicite, aut ex motivo caritatis proprie dictæ, nego. Solutio constat ex dictis, huicque subscribunt plerique omnes Teologi. Sic Card. d' Aguirre Theol. S. Anselm. tom. 3. disp. 129. sect. 1. *Omnes actiones deliberatæ,* inquit, *in materia virtutum moralium elicitæ propter ipsarum propriam & objectivam honestatem.... sunt innocuæ & moraliter bonæ, quamvis non dirigantur explicite in gloriam Dei, neque imperentur, ab ullo actu caritatis, nec procedant ex aliquo ejus influxu actuali aut virtuali.* Ita omnes Scholastici cum divis Thoma et Bonaventura. Idem docet ac probat Bellarminus, lib. 5. de grat. & libero arb. c. 9.

§. IV. *An absque gratiâ possit homo aliquod bonum opus naturalis ordinis exercere.*

Baïus docuit proposit. 27. *liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere:* nullum proinde absque gratia supernaturali & proprie dicta perfici posse opus moraliter ex omni parte bonum. Doctrinam hanc avide excepit Jansenius. Quin & eidem adhæsêre nonnulli è Catholicis, ut Card. Norisius in Vindiciis Augustinianis. §. 4. Vasquez ad omnia opera moraliter bona requirit aliquod auxilium speciale naturalis ordinis, indebitum tamen naturæ lapsæ, & quod nonnisi ex meritis Christi datur. Aliud vulgo tenent Theologi, ut S. Th. 1. 2. q. 109. a. 2. Cajetanus, Salmaticenses, Lemos, Sylvius, &c.

Conclusio. Potest homo lapsus absque ullo speciali auxilio bonum aliquod morale ordinis naturalis exercere.

Prob: 1°. Damnata est à Pio V. Greg. XIII. &c. hæc Baii prop: n. 27. *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet;* atqui ex hujus propositionis censura sequitur, liberum arbitrium sine speciali Dei adjutorio posse aliquod opus bonum morale perficere.

Prob. 4°. ex S. Aug. libro de spir. & lit. c. 27. &

28. & Serm: 349. ubi caritatem distinguit in divinam & humanam: tum etiam libro 1. de nuptiis & concup. c. 3. ubi fatetur *liberum nostrum arbitrium parum valere ad bonum.* Et lib. de perfect. justitiæ c. 2. *parum illud esse ad non peccandum, nisi sanetur gratia Dei*: Porro si parum ad ista valet liberum arbitrium; ergo saltem tantillum valet; seu illud bonum morale naturalis ordinis, quod facillimum est, sine speciali gratiæ auxilio operari potest.

Prob. 3. iisdem momentis quibus ostendimus infideles absque fide aliquod opus morale ex omni parte bonum exercere posse.

Prob. 4°. quia ut bene S. Th. potest homo illud facere ad quod liberam habet patestatem: atqui homo etiam lapsus liberam habet potestatem ad aliquod bonum morale, quando scilicet non est arduum & á ratione proponitur tanquam honestum: etsi enim per peccatum debilitatæ plurimum fuerint liberi arbitrii vires, non tamen fuerunt omnino extinctæ: unde Trid. Sess. 6. Can. 5. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse. ... anathema sit.* Idem docet S. Aug. lib. 1. ad Bonif. c. 2. ubi sic: *Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?*

1. 2. q. 109. a. 2.

Hinc merito Clemens XI. istas propositiones præscripsit: 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia Liberatoris.* 39. *Voluntas quam gratia non prævenit.... est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.* Si enim absque gratia Liberatoris homo non est liber nisi ad omne malum, & incapax ad omne bonum, &c. ergo quilibet motus qui non est à gratia, peccatum est, quantumvis ex honesto fine & rectæ rationis dictamine procedat: quod certe SS. Aug. & Th. doctrinæ, necnon & Ecclesiæ definitionibus repugnat.

Obj. 1°. Scripturæ, Concilia & Patres sæpissime inculcant hominem sine Dei adjutorio nihil posse. R. exponenda esse illa testimonia de bono supernaturali, quod ut invicte contra Pelagianos probavit Aug. nonnisi ex speciali gratia haberi potest: non vero de bono simpliciter morali ordinis naturalis, quod tamen merito etiam refundi potest in Deum ut autorem naturæ.

Obj. 2°. Homo per peccatum quandam contraxit peccandi necessitatem. Hinc S. Aug. lib. de natura &

grat: c. 6c. *Quod ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, sit quædam peccandi necessitas.* R. dist: ant: contraxit necessitatem peccandi, id est, non potest homo lapsus ante gratiam vitare omnia & singula collective peccata, sicut contendebant Pelagiani quos ibi refellit S. Doctor, C. necessitatem determinatam, specificationis vel exercitii, N.

§. V. *Quod bonum absque Gratia fieri possit?*

Quinque hic potissimum inquiruntur, an sine gratia possit homo lapsus solis naturæ viribus, 1°. legis naturalis præcepta observare; 2°. Deum super omnia diligere; 3°. graves tentationes superare: 4°. omnia peccata vitare; denique sese ad gratiam præparare.

An absque gratia præcepta servari queant?

Præcepta alia sunt *supernaturalia*, quæ à Deo tanquam autore gratiæ & in finem supernaturalam præscribuntur: alia *naturalia*, quæ per naturale lumen innotescunt, & à Deo tanquam naturæ autore imponuntur. Hæc porro vel *quoad substantiam* spectantur: id est, in se & secundum ea quæ pertinent ad bonitatem moralem vel *quoad modum*, seu secundum id quod habent, prout à caritate procedunt & ad vitam æternam ordinantur.

Non hic movetur quæstio de præceptis supernaturalibus, vel de naturalibus *quoad modum* consideratis; fide enim certum est, præcepta hujusmodi observari posse absque gratia vere supernaturali. Quæstio igitur est an homo præcepta mere naturalia, sive collective, sive distributive sumpta sine speciali auxilio observare possit potentia aut physica aut morali. Potentia *physica*, hic dicitur illa, cujus virtus activa proportionata est operi exequendo: potentia *moralis* est facultas non solum proportionata, sed etiam cunctis difficultatibus, saltem quæ graves sint, expedita. Porro potentia physica (quod sedulo observa) ut vere libera sit, debet esse proportionata, non solum operi faciendo in se præcise sumpto, sed etiam relative ad ingruentes quascumque difficultates, quæ ipsum agens impedire possent ab opere exequendo. Sit

CONCLUSIO. Homo lapsus non potest, etiam physica potentia, omnia & singula legis naturalis præcepta adimplere sine speciali gratia: potest tamen potentia tum physica, tum morali quædam facilia solis naturæ viribus exequi.

Prob: 1. pars ex decretis Conciliorum, quæ adversus Pelagianos definierunt universam legem impleri non posse sine speciali gratiæ adjutorio: ita Synodi Diospolit. an. 415. Carthag: II. an. 416. Arausic: II. an. 519. concinit id Aug: L. de nat. & grat. cap. 40. *Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum quomodo vivere debeat & ad bene vivendum sufficit sibi; ergo Christus gratis mortuus est,*

Prob: 2. pars: quia ut notat Trid: Sess: 6. de justificat. cap: 1. attenuatæ sunt liberi arbitrii vires, at non extinctæ: unde potest quidem homo lapsus, faciliora quædam ordinis naturalis bona, sine gratia perficere: sed non potest omnia bona, ne distributive quidem exercere, ea potissimum quæ vel ex objecto, vel ex adjunctis circumstantiis specialem habent difficultatem, ob gravissimum vulnus quod per peccatum naturalibus viribus inflictum est.

Hæc porro impotentia physica est, non moralis duntaxat, cum oriatur ex imminutione virium liberi arbitrii, ac similis sit illi quam patitur homo ex gravi morbo convalescens, qui etsi potest aliquod breve iter conficere, ad diuturnum tamen ac laboriosum, non moraliter tantum, sed etiam physice impotens est; ita S. Th. 1. 2. q. 109. a. 2.

Obj: Nemo tenetur ad impossibile: atqui tenentur omnes universam legem naturalem implere; ergo. R. dist. min. cum gratia quæ urgente præcepto semper omnibus adest, vel ad implendum præceptum, vel ad postulandum Dei auxilium; uti post S. Aug: declarat Trid: Sess: 6. c. 11. his verbis: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis,* C. per solas naturæ vires, N.

An Deus possit super omnia diligi absque gratia?

Amor Dei alius est naturalis, quo Deus lumine naturali cognitus diligitur ut naturæ autor; supernaturalis alter, quo Deus lumine supernaturali fidei cognitus, ur gratiæ & gloriæ autor diligitur: uterque vel est effectivus, qui conjunctam habet mandatorum Dei executionem, vel affectivus, quo quis transeunter Deo adhæret, atque ipsi super omnia placere intendit.

De fide est, amore supernaturali, sive ut loquitur Trid: *sicut oportet ad salutem,* Deum non posse sine gratia diligi; gratia enim est principium omnis actus supernaturalis. Non potest etiam solis naturæ viribus

Deus diligi amore effectivo, quia non poſſunt ſine gratia impleri omnia legis præcepta, ut mox dictum fuit: ſupereſt ergo difficultas de amore affectivo naturali.

CONCLUSIO. Homo lapſus non poteſt ſine gratia Deum diligere ut autorem naturæ, amore affectivo & appretiativo, ſeu ſuper omnia.

Prob: quia non intelligitur amor ille appretiativus & affectivus, ſine firmo & efficaci propoſito vitandi omnia peccata, implendi univerſam legem, omnes tentationes ſuperandi, uno verbo, Deo placendi in omnibus: atqui homo lapſus ſine ſpeciali auxilio tale propoſitum concipere nequit. Namque non poteſt homo id efficaciter ac naturaliter velle, quod non poteſt naturaliter aſſequi: ſed homo lapſus non poteſt per ſolas naturæ vires, omnem legem implere, omnia peccata vitare. Unde ex impoſſibilitate executionis quæ dicitur effectiva, naſcitur impoſſibilitas affectiva, ſeu propoſiti abſoluti ex ſe efficacis.

Et vero, amor Dei ſuper omnia, eſt actus omnium difficillimus ac perfectiſſimus; cum includat firmum propoſitum ſuperandi quamcumque difficultatem qua voluntas ab amore Dei poteſt deterreri: aſt qua ratione homo lapſus & ad terrena depreſſus, poſſet ſine auxilio ſuperiori in actum tam arduum ac ſublimem erumpere.

Obj: 1°. Poteſt homo naturaliter cognoſcere Deum ut ſumme amabilem; ergo & diligere. R. neg. conſeq. homo enim longe gravius vulneratus eſt in voluntate quam in intellectu: *Video meliora proboque, deteriora ſequor*. Certe *tametſi liberum arbitrium extinctum non ſit, viribus tamen attenuatum eſt ac inclinatum*.

Trid: Seſſ: 6.

Obj: 1°. Poteſt homo diligere ſuper omnia ſeipſum, amicos, patriam, ita ut etiam pro illis morti ſe objiciat; ergo poterit naturaliter Deum ſuper omnia diligere. R. neg conſeq: facilius enim eſt diligere ſeipſum, aut aliam creaturam ſuper omnia, quam Deum; quia homo a peccato deordinatus, ad ſe & ſua, aliaque ſenſibilia jugiter inclinatur. Porro, ut advertit S. Aug: lib: de patient. c. 17. qui pro ſuis amicis, patria, aut hæreſibus mortem oppetunt, ſeipſos quærunt, id eſt, gloriam propriam.

An gratia neceſſaria ſit ad ſuperandas graves tentationes?

Certum eſt gratiam requiri ad vincendam tentatio-

nem ex motivo caritatis & cum merito ad vitam æternam: neque minus certum est, necessariam non esse gratiam ut vincatur una tentatio per aliam: quæritur ergo an tentationes graves, ex honesto motivo naturaliter superari valeant.

Conclusio. Homo lapsus non potest sine gratia superare graves tentationes.

Prob: 1°. ex Scripturis quæ divino auxilio victoriam tentationum adscribunt. Psalm. 17. *In te eripiar à tentatione*; & Psalm. 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*. Hinc in oratione quotidiana supplices petimus; *Et ne nos inducas in tentationem*.

Prob: 2°. ex Conciliis, quæ, ut videre est in Synodo Diospolitan. n. 11. à Pelagio exegerunt, *Ut fateatur, quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicans, non ex propria voluntate, sed ex Dei adjutorio provenire victoriam*. Et vero ita ad malum inclinatur homo lapsus, ut longe potius cupiditate tangatur quam honestate: unde si gravis urgeret tentatio nec adesset gratia, in peccatum laberetur per concupiscentiam illectus.

Dixi, *graves tentationes* absque gratia superari non posse: constat enim leviores ex recto honestatis motivo viribus naturæ vinci posse; cum ex dictis per solas naturæ vires bonum aliquod morale ordinis naturalis fieri possit.

Utrum homo sine gratia possit omnia omnino peccata vitare?

Not: 1°. non posse hominem in præsenti statu per solas naturæ vires omnia peccata mortalia vitare: cum ex ante dictis sine gratiæ auxilio omnia Dei mandata impleri, & tentationes graves, quæ passim occurrunt superari nequeant. Imo nec usquam futurum est, ut homo omnia peccata mortalia ad longum tempus devitet sine gratia sanctificante: ut enim observat S. Greg: *Peccatum quod pœnitentia non diluit, mox ipso suo pondere ad aliud trahit.*

Not: 2°. non justos modo sed & peccatores cum ordinariis gratiæ auxiliis abstinere posse ab omnibus etiam venialibus peccatis distributive consideratis, alias enim non haberent rationem peccati; sed & id not. nulli puro homini, præterquam B. Virgini, concessum esse privilegium vitandi per totam vitam omnia peccata venialia. Hinc Aug: lib: de nat. & grat. c. 36. *Ex-*

Trid. S. 6. Can: 20.

cepta sancta virgine Maria, si omnes alios Sanctos & Sanctas cum hic viverent, congregare possemus & interrogare utrum essent sine peccato .... Nonne una voce clamassent, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est?

Difficultas est, utrum homo justus sine privilegio speciali possit per ordinaria gratiæ actualis auxilia ad longum tempus, imo & per totam vitam omnia & singula peccata venialia, non distributive tantum de quo nulla hic controversia, sed & collective devitare: collective, inquam, non quasi omnia simul vitare possit; neque enim omnia simul occurrunt cavenda; sed hoc sensu quod omnia successive cavere possit, id est, hæc & illa, & sic deinceps comparata ad se invicem & ad totum; ita ut saltem contingere possit, justum totam vitam decurrere, quin labatur aliquando etiam venialiter.

Affirmarunt Pelagius & Coelestius, idcirco damnati in Concil: Milevit. II. Can: 6. ubi fertur anathema in eos qui asseruerint, ex humilitate, non ex veritate dicendum illud I. Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

CONCLUSIO. Est in homine etiam justo cum ordinariis gratiæ auxiliis impotentia devitandi toto vitæ tempore omnia omnino peccata venialia.

Prob: 1°. ex constanti Traditione cujus præ cæteris eximii testes sunt SS. Hier: & Aug: Hier: lib. 2. contra Pelagianos: *Quamdiu,* inquit, *finis ille adveniat, necesse est nos subjacere peccato, non naturæ & conditionis vitio, sed fragilitate & mutatione voluntatis humanæ.* Idipsum docet Aug. lib. de dono persever: c. 2. *Tria sunt,* inquit, *quæ maxime adversus Pelagianos defendit Ecclesia; quorum unum est, in quantacunque justitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Hinc. Trid: Sess: 6. Can: 23. *Si quis dixerit hominem semel justificatum .... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Prob: 2°. ex naturæ humanæ infirmitate, quia fit ut homo non possit erecto semper ac vigili animo obrepentes undequaque tentationes superare; & insurgentes passim concupiscentiæ motus constanter elidere: quamvis ergo nullum sit singulare peccatum cui

vitando justus pares non habeat vires, si tamen venialium multitudo spectetur, & tentationum frequentia, necesse est ipsum brevi defatigatum fatiscere, & dum uni conatur obsistere, ab alio superari.

Obj: 1°. I. Joan: 3. *Omnis qui ex Deo natus est, peccatum non facit*: atqui homo justus ex Deo natus est per gratiam. R. dist. maj. qui ex Deo natus est non peccat mortaliter, quandiu nimirum in caritate manet á qua per peccatum letale excideret, C. non peccat saltem venialiter, N. Eccle. 7. *Non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet.*

Obj: 2°. Cuilibet justo urgente præcepto semper adest gratia vi cujus mandatum adimplere potest: porro si isti gratiæ consentiat justus, ut potest ac tenetur; novum ac uberius impetrabit auxilium, quo subsequens præceptum, & sic deinceps hæc & illa promptius adimplebit; ergo. R. quod cum ipse justus brevi pro sua infirmitate deficiat á constanti vigilantia, hinc est quod cito obrepant ipsi leviores quædam gratiis resistentiæ, ac venialia peccata. Unde in forma dist. min. potest justus consentire cuilibet gratiæ distributive, C. collective N. atque hinc qui impossibilia non jubet Deus, præcipit tantum ut omnia venialia peccata vitentur distributive & in particulari; quod valet justus, si eo quo potest ac tenetur modo, velit.

Inst: Ex mox dictis potest justus unumquodque peccatum distributive sumptum vitare; ergo & omnia collective. R. neg. conseq. nec enim valet consecutio á distributivo ad collectivum, ubi repugnantia fundatur in ipsa collectione: sic male inferres: Potest quis lapidem hunc vel illum gestare; ergo & acervum simul. Porro quæ in justo reperitur impotentia vitandi omnia venialia, in ipsamet horum collectione fundatur: scilicet multoties pleraque simul occurrunt cavenda, aut continue sibi succedunt: unde ferme se habet justus sicut homo viribus præpotens, qui centum homines sigillatim prosternere potest: sed indubie deficiet, si centum illi homines simul irruant, aut sibi immediate succedant.

Quæres an possit homo propriis se viribus ad gratiam præparare?

R. negat. Joan: 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Rom: 11. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Ex quibus clare colligitur hominem propriis viribus nihil conferre ad salutem, proindeque neque ad gratiam quæ est semen vitæ æternæ.

Imo nulla naturalis ordinis opera sunt motivum, causa vel occasio, aut conditio, quâ Deus ex certâ lege ac pacto ad gratiam conferendam infallibiliter moveatur; ita ut Deus voluerit non concedere gratiam nisi facienti quod in se est ex natura; & omni sic facienti certo concedat. Id enim purum Semipelagianismum redolet; hancque doctrinam debitâ censurâ confixit Clerus Gallicanus an. 1700. Et certe omnis dispositio debet habere proportionem cum formâ ad quam disponit: atqui actûs mere naturales nullam habent proportionem cum gratiâ, quæ est entitative supernaturalis; ergo.

Dices: ex communi axiomate, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*; ergo saltem ex infallibili ordinatione Dei gratia tribuitur operanti quod in se est viribus naturæ. R. dist. facienti quod in se est gratiæ adjutorio Deus non denegat gratiam, C. facienti per solas naturæ vires, N. Ita citatum axioma interpretatur S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 6.

Cæterum quod homo possit se remote disponere ad gratiam, removendo prohibentia, nihil dicere vetat; modo hæc duo addantur: 1°. Deum quandoque gratiam concedere iis etiam qui ne remote quidem ad eam se disponunt; 2°. nullo pacto, nullâ certâ lege Deum teneri ad concedendam gratiam homini sic remote disposito.

ARTICULUS TERTIUS.

De necessitate Gratiæ ad perseverandum.

Perseverantia finalis, alia est *pure passiva*, quæ nihil aliud est quam actualis conjunctio gratiæ sanctificantis cum morte: alia *activa & efficiens*, quâ quis constanter in bonis operibus ad mortem usque perseverat. Prior pertinet ad infantes baptisatos, qui ex hac vita decedunt ante rationis usus; & ad adultos qui statim post gratiam justificantem moriuntur. Posterior iis duntaxat competit adultis, qui acceptâ justificationis gratiâ, aliquandiu contra tentationes dimicando in mandatorum Dei observantiâ usque in finem persistunt.

Duo potissimum hic quæruntur, 1°. an homo in gratia sanctificante constitutus indigeat adhuc ad perseverandum novo speciali auxilio distincto, tum ab ipsamet gratia sanctificante, tum ab auxiliis actualibus & ordinariis quæ justis instante præcepto nunquam dene-

gantur; 2°. in quo proprie consistat ejusmodi auxilium. Sit

Conclusio I. Justis omnibus datur gratia vere sufficiens, cum quâ saltem mediate per orationem, uberius impetrando auxilium, possunt perseverare usque in finem. Est de fide.

Prob: 1°. I. Corinth: 13. *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere:* sed qui juvante Deo superare tentationem possunt, possunt perseverare.

2°. Ex Conc: Araus: 2. Can. 25. ubi sic: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptisati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere:* sed qui Christo auxiliante, possunt ac debent, quæ ad salutem pertinent, exequi, perseverare possunt.

3°. Ex S. Aug: lib: de corrept: & gr. c. 7. ubi de homine justo hæc habet: *In eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles.* Non potuit S. Doctor clarius exprimere gratiam vere sufficientem ad perseverandum concessam, etiam justo non perseveranti. Sed de his rursus quæst: seq:

Conclusio II. Gratia sufficiens justis ad perseverandum concessa, distinguitur à gratia sanctificante; non autem ab auxiliis actualibus & ordinariis quæ ipsis conferuntur ad præcepta quoties occurrunt observanda.

Prob: 1. pars, ex iis quibus supra ostendimus hominem justum, præter sanctificantem gratiam indigere actuali voluntatis adjutorio ut bonum supernaturale operari valeat.

Prob: 2. pars: Hominem posse perseverare in justitia, nihil aliud est quam hominem constanter posse observare mandata: atqui vi gratiæ actualis annexæ gratiæ sanctificanti potest justus constanter mandata observare dum urgent.

Obj: Trid: Sess: 6. Can: 22. hæc habet: *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse; vel cum eo non posse, anathema sit:* atqui gratia actualis sufficiens cuilibet justo concessa urgente præcepto, dici non potest auxilium speciale. R. neg. min. auxilium de quo ibi loquitur Concilium, dicitur speciale, non quod sit efficax, aut solis electis concedatur; sed quia distinguitur a gratia

habituali, & speciatim datur justo ut observando mandata, possit constanter in accepta justitia perseverare. Est ergo speciale, opposite ad gratiam habitualem, non autem ad gratias actuales superadditas gratiæ habituali.

Inst. Tam auxilium speciale hic Can. 22. est adjutorium distinctum à gratiis actualibus, quam speciale privilegium de quo Can: 23. sequenti, ubi de peccatis venialibus; atqui ex dictis speciale privilegium justo necessarium ut possit singula venialia devitare, distinguitur ab auxiliis actualibus & ordinariis quæ solent conferri justis; ergo à pari. R. neg. maj. Ratio disparitatis est repetenda, 1°. ex diversis nominibus: aliud est privilegium, aliud auxilium; 2°. ex subjecta materia; privilegium enim de quo can: 23. soli B. Virgini concessum est; ergo non potest esse gratia actualis conjuncta gratiæ habituali, cum illa concedatur omnibus justis. At vero speciale auxilium est ut justus perseverare possit, seu constanter observare mandata; & id posse justum docet Trid. Synodus; 3°. Vega qui interfuit Concilio Trid: illiusque mentem noverat, Canonem 22. ex quo exposuimus modo, interpretatur.

Sunt qui nomine auxilii *specialis* intelligunt id quod proprie & simpliciter appellatur perseverantiæ donum; auxilium scilicet efficax quo fit ut homo actualiter perseveret usque in finem: ii autem sic Canonem interpretantur, ut velint absque illo efficaci adjutorio justum perseverare non posse potentiâ junctâ cum actu, posse tamen sufficienter & in actu primo, seu potentiâ ab actu sejunctâ. Ita Sylvius, Estius, & Bossuet. Expositio hæc Conclusioni nostræ non obest.

Conclusio III. Justi præter gratiam sanctificantem & auxilia actualia, indigent adhuc speciali auxilio Dei ad perseverandum usque in finem in actu secundo. At auxilium istud simpliciter mereri possunt.

Prob: 1. pars ex S. Aug: pluribus in locis, præsertim L. de corrept: & grat. c. 6. *Negare non possumus*, inquit, *perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus.*

Prob: 2°. Ut homo finaliter in bono perseveret, debet omnibus carnis ac dæmonum tentationibus quæ instante morte gravius premunt, resistere, vel iis tentationibus carere: atqui sine speciali Dei auxilio non potest: sive externo, quo peccandi omnis removeatur occasio: sive interno, quo prementibus gravissimis tentationibus resistat; ergo.

Prob: 2. pars ex textibus proxime citandis.

Obj. 1°. Naturaliter fieri poteſt ut quis hoc vel illo tempore moriatur; ergo mors in ſtatu gratiæ, proindeque & ipſa perſeverantia, non eſt ſpeciale Dei donum. R. diſt. ant. Naturaliter fit ut quis hoc vel illo tempore moriatur ſimpliciter, C. ut quis moriatur in ſtatu gratiæ, N. Sicut enim naſci ex fidelibus parentibus ſpeciale Dei beneficium eſt, quamvis naſci præciſe ſit à natura: ita etiam ex hac vita eripi in ſtatu gratiæ ſingulare Dei beneficium eſt, etſi mors homini naturalis ſit; poſſet enim Deus permittere ut in iis juſtus moreretur circumſtantiis in quibus à juſtitia excidiſſet. Ita Aug: lib. de dono perſ: c. 9.

Obj: 2°. Si donum perſeverantiæ ſpeciale ſit, in culpa non erit juſtus qui non perſeverat, quia ſpeciale perſeverantiæ donum non accepit. R. neg. ſequelam: ſola hominis juſti culpa eſt quod ſpeciale perſeverantiæ donum non accipiat; *Hoc Dei donum*, ait Auguſt: lib: de dono perſev: cap. 6. *ſuppliciter emereri poteſt.* Et c. 7. *Poterat*, inquit, *etiam non orantibus dari; ſed oratione noſtrâ nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia.* Idem tradit Trid. Seſſ. 6. c. 13. *Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Oportet ergo ut quiſque tam aſſiduo bonorum operum exercitio, quam jugi oratione, magnum finalis perſeverantiæ donum à Deo obtineat: quibus ſi deſit, ipſe ſibi imputet.

QUÆSTIO QUARTA.

De Gratia ſufficiente.

Circa gratiam ſufficientem tria expendemus; 1°. quæ ſit illius natura; 2°. an exiſtat in ſtatu naturæ lapſæ; 3°. an omnibus concedatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura Gratiæ ſufficientis.

Lutherus & Calvinus, eorumque rigidiores aſſeclæ, gratiam ſufficientem ita reſpuunt, ut in homine lapſo ſolam agnoſcant gratiam cui reluctari homo non poſſit. Ab ea Novatorum opinione, re minus, quam verbis diſcrepat Janſenius, cui ſi fides, *Auguſtinus omnem omnino gratiam purè ſufficientem* abſtulit.

Longe alia mens est Catholicorum, qui tamen pro more varias in partes scinduntur.

1°. Enim Thomistæ gratiam sufficientem eam vocant, cum quâ potest homo hic & nunc bene operari; nunquam tamen bene operabitur, nisi novum ex parte Dei accesserit efficax ac physice præmovens auxilium.

2°. Augustiniani idem sentiunt ac Thomistæ, hoc excepto quod gratiam à seipsa moraliter efficacem in locum præmotionis physicæ admittant.

3°. Non pauci in eo gratiæ sufficientis naturam constituunt, quod nonnunquam in facilibus effectum suum consequatur; ad ardua vero pietatis opera requiritur gratia per se efficax. Ita præ cæteris Card. Norisius. Unde hujusce sententiæ autores in difficilibus consentiunt Thomistis & Augustinianis; in facilibus autem Molinistis aut Congruistis.

4°. Suarez, cum gratiæ efficaciam desumat à congruitate, gratiam sufficientem appellat eam quæ congrua non est, seu contemperata variis personæ loci & temporis circumstantiis, & ideo nusquam suum obtinet effectum, tametsi expeditam ad bene operandum conferat potestatem.

5°. Molina censet gratiam sufficientem eam esse, quâ homo ad arbitrii sui nutum absque ullo uberiori auxilio utitur vel non utitur. His de opinionibus mentem aperiemus paulo post: nunc determinandum Ecclesiæ dogma: quod ut fiat.

Not: 1°. duplicem esse potentiam in systemate Jansenii; *absolutam* videlicet, quæ competit gratiæ spectatâ ipsius naturâ, & præcisis subjecti cui conceditur circumstantiis, maxime vero gradibus titillantis hic & nunc concupiscentiæ: & *relativam*, quæ competit gratiæ, etiam habito respectu ad circumstantias, & prementem hic & nunc concupiscentiam.

Not: 2°. potentiam relativam vel proximam esse, vel remotam. Proxima seu immediata, ea est per quam immediate possumus, v.g. tantationem superare: remota vero, per quam id possumus mediante alio, puta oratione cujus gratiâ hic & nunc adesse supponitur. Sit

CONCLUSIO. Nomine gratiæ sufficientis, ea ex fide Ecclesiæ est intelligenda, quæ veram, expeditam ac relativam ad prementem hic & nunc tentationem & concupiscentiæ gradum confert ad opus bonum potentiam saltem mediatam.

Prob: 1°. generatim iis omnibus testimoniis, quibus infra gratiæ sufficientis existentiam adstruemus: hæc enim omnia, ut planum erit, ex æquo demonstrant, dari gratiam interiorem quæ ex culpabili voluntatis resistentiâ suo privatur effectu; & gratiam hanc veram ac relativam potentiam voluntati conferre.

Prob: 2°. Damnata est ut hæretica in sensu Jansenii, prima hæc ejus propositio: *Aliqua Dei præcepta*, &c. ut suo loco vidimus: atqui in justis volentibus, de quibus loquitur hæc propositio, ultro agnoscit Jansenius, vi gratiæ parvæ, potentiam absolutam, solamque negat relativam: ut liquet ex contextu propositionis, aliisque Yprensis textibus, & constanti Jansenianorum assertione; ergo.

Idem evincit censura secundæ Propositionis: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Et hæc enim, ut ceteræ, damnata est in sensu Jansenii; porro non negavit Yprensis gratiam parvam privari effectu quem potest habere absolute, sed duntaxat illo quem potest habere hic & nunc relative ad majorem actualem concupiscentiam; ergo.

Prob: 3°. Omnes ad unum Catholici libentissime subscribent palmari huic Doctoris Angelici principio: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum*: atqui hinc invicte adstruitur relativa gratiæ sufficientis potentia. Nam potentia quæ competit gratiæ, etiam habito respectu prementis hic & nunc cupiditatis, est potentia vere relativa: atqui minima gratia, ac proinde gratia sufficiens, confert hujusmodi potentiam; ergo.

Obj: 1°. id S. Aug: lib. de grat: & lib: arb. cap. 17. *Qui vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robustam.* Et lib: 8. Conf: c. 5. interiorem animi luctam quam initio conversionis expertus fuerat, sic habet: *Voluntas nova quæ mihi esse cœperat.... nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam*: atqui ubi est voluntas invalida, nondumque ad superandam malam voluntatem idonea, ibi non sunt vires relative pares dist: min. Ubi est voluntas invalida tam remote quam proxime, C. proxime tantum, N. Porro poterat Aug: à Deo uberiorem postulare gratiam: *Hoc restat in ista mortali vita libero arbitrio*, inquit, lib. 1. ad Simplic: q. 1. *non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum cujus dono eam possit implere.*

Obj. 2°. Si gratia sufficiens dat vires relative proportionatas vincendæ concupiscentiæ, jam in quodam æquilibrio constituitur voluntas, ita ut libratis hinc & inde tum gratiæ, cum concupiscentiæ viribus, in neutram partem magis inclinetur. Unde sequitur, eo majorem esse debere gratiam, quo magis animus erit induratus; & vice versa, eo debiliorem quo sanctior erit ac justior. Ratio est, quia alias destrueretur æquilibrium libertatis: atqui isthæc omnia tam absurda sunt & insulsa, ut nihil magis; ergo.

R. 1°. mirum videri quod Jansenistæ æquilibrii doctrinam quæ tota ipsorum est, nobis obtrudant. Vel enim apud eos gratia supponitur superior, vel æqualis. Si superior, necessario vincet: si inferior, necessario vincetur; si æqualis, in medio, ut loquitur Yprensis, id est, *in æquilibrio* remanebit. Unde sequitur, gratiam induratis, ut convertantur, eo majorem concedi debere, quo major est & ardentior illorum cupiditas, ac proinde longe perfectiorem gratiâ quâ donantur justi ut mandata observent. Contra vero nihil à Conclusione nostrâ magis alienum est, quam fictitia hæc graduum æqualitas necessaria gratiam inter & concupiscentiam: cum juxta nos, ut & juxta D. Thom: minima gratia possit resistere cuilibet concupiscentiæ & vitare omne peccatum mortale.

Verum ut ista quam perpetuo proponunt adversarii difficultas solide solvatur; triplex distinguendum æquilibrii genus, scilicet *inclinationis*, *virium* & *potentiæ* seu *electionis*.

Æquilibrium *propensionis* seu *inclinationis* & *facilitatis* illud est, quo voluntas in unam magis quam in aliam partem non propenderet, sed æqualiter hinc & inde afficeretur. Absurdum istud & Pelagianum æquilibrium, quod contra fidem non minus pugnat, quam contra rationem & experientiam, rejicimus Catholici. Certe sentiunt omnes, se longe magis ad malum, quam ad bonum esse propensos.

Æquilibrium *virium* & *graduum*, positum foret in æqualitate graduum ac virium concupiscentiam inter & gratiam, ita ut pares esse deberent ex utraque parte gratiæ & concupiscentiæ vires, ut voluntas libera esset. Istud etiam æquilibrium Janseniano systemati quasi innatum, explodimus, uti gratiæ summopere injuriosum: tanta siquidem est gratiæ virtus, ut vel minima ardentiorem valeat expugnare concupiscentiam.

Æquilibrium *potentiæ* seu *electionis* illud est, quo vo-

luntas sub motione gratiæ vel concupiscentiæ activam retinet indifferentiam, per quam immunis à necessitate etiam mutabili & relativâ in bonum vel malum, flectere se potest. Hanc æquilibrii speciem admittimus, hæcque ab omnibus cujuscumque Scholæ Theologis constanter admittitur; imo & ad fidem pertinere, iis omnibus momentis evincitur, quibus demonstratur ad merendum & demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ necessariam esse immunitatem à necessitate.

His ita expositis facilis est ad objectionem responsio. Scilicet quæ opponunt adversarii, pugnat adversus æquilibrium *inclinationis* & *virium*, quod utrumque rejicimus, neutiquam vero impugnat æquilibrium *electionis* quod unice sequitur ex nostra Conclusione.

Obj: 3°. Plerique Theologi memoratum S. Thomæ principium, *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ*, &c. exponunt de gratia sanctificante; ergo ex eo colligi nequit relativa gratiæ sufficientis potentia. R. dist. ant. Exponunt de gratia habituali, prout annexa habet actualia gratiæ auxilia, quæ etsi minima sint & in gradu inferiori, conferunt voluntati vires cuilibet concupiscentiæ superandæ pares, C. de gratia habituali solâ, & independenter ab actualibus auxiliis, N. Consuli potest S. Th. 1. 2. q. 109. art: 2. & 9. ubi ex professo probat gratiam actualem omnino necessariam esse ut habitualis in actum possit erumpere.

ARTICULUS SECUNDUS.

De existentia Gratiæ sufficientis.

CONCL: ADmittenda est in statu naturæ lapsæ gratia vere ac relative sufficiens sensu mox exposito. Est de fide.

Prob: 1°. ex Scripturis: Isaïæ 5. de populo suo sic conqueritur Deus; *Judicate inter me & vineam meam: Quid est quod ultrà debui facere vineæ meæ & non feci? expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Tria hic notanda: 1°. Deum Judæis concessisse gratias sufficientes: *Quid debui ultra facere vineæ meæ & non feci?* 2°. Judæos cum his gratiis potuisse hic & nunc bonum opus operari; *expectavi ut faceret uvas*: 3°. Judæos hisce gratiis usos non fuisse; *& fecit labruscas*: Ita SS. Basilius, Cyryllus Alex: Hieronymus, &c.

Matth: 23. *Jerusalem .... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos*

sub alas & noluisti? atqui, ait S. Hilarius in hunc locum, velle congregare, est per gratiam (utique vere sufficientem) ad conversionem excitare.

Actuum 7. S. Stephanus Judæos ita increpat: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis*: atqui resistere Spiritui sancto, est internis illius motibus resistere: Quis enim resistit ei qui non movet, aut non sufficienter movet ad motum hic & nunc producendum?

Apocalyp: 3. Dominus ait: *Ecce sto ad ostium & pulso: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Vel ii ad quorum cor Dominus pulsat, habent auxilium relative sufficiens ad aperiendum, vel non: si habent: ergo datur gratia relative sufficiens: si non habent, cur pulsat? neque enim ignorat eos aperire non posse. Hinc S. Ambrosius: *Si quis ergo non aperuerit; nunquid non ingredientis, & non magis non aperientis est culpa?*

Ex his sic arguo: Adductis Scripturæ textibus clare conficitur homini lapso præsto esse gratiam quâ hic & nunc potest bene & utiliter ad salutem operari, cui tamen gratiæ voluntas humana proprie resistit, quatenus eam privat effectu quem reverâ potest habere in illis circumstantiis! atqui absque apertâ Pelagianismi notâ, gratia hujusmodi non potest dici mere exterior. Minor constat: major vero non minus certa est: nonne injustæ essent querelæ, vanæ adhortationes, inordinatæ comminationes quæ iis locis habentur, nisi vere sufficientes supponantur vires in iis quæ redarguuntur? Quis cæcum reprehendat, eo quod scripturam non legat? manibus carentem eo quod non pingat, &c.

Prob: 2°. ex Conciliis: Arausican. II. Can: 25. *Hoc*, inquit, *secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ omnes baptisati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere;* ergo adest baptisatis gratia quâ juvante possint & vere possint concupiscentiam prementem debellare: porro plerique è baptisatis huic gratiæ resistunt: ergo.

Concil: Trid: Sess: cap: 11. sic habet: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis & adjuvat ut possis*: ibi aperte supponitur dari gratiam vere sufficientem quæ suo interdum privatur effectu.

Idem invicte adstruit censura hujus propos: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistetur*: atqui Jansenius hoc uno duntaxat sensu interiori gratiæ jam non resisti contendit, quod omnis gratia Christi interior eum semper consequatur effectum cujus est capax relative ad præsentem cupiditatem, ut alibi probavimus; ergo ut propositionem hanc in ipsius sensu damnemus cum Ecclesia, dicendum est in præsenti statu dari gratiam quæ vincendæ actuali concupiscentiæ vires idoneas subministret, & cui voluntas resistat.

Prob: 3°. ex SS. PP. quoniam vero Græcos ingenue dimittit Jansenius, Augustino potissimum inhærebimus. Sic ergo loquitur S. Doctor, L. de nat: & grat: c. 69. *Eo ipso quo firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*: atqui si gratia hæc quâ aut agere aut orare possumus non esset relative sufficiens, jam mandatum esset impossibile: homo enim tunc non posset hic & nunc illud observare.

Lib: de cor: & grat: c. 7. de justo non perseverante hæc habet S. Doctor: *Justior videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam, quam dicentium, Non accepimus perseverantiam; quoniam dici potest, Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares, si velles; nullo modo autem dici potest: Id quod non audieras, crederes si velles*. Ex his sic: Dum S. Aug: asserit de Adamo quod perseverasset si voluisset, hæc verba ne diffitente quidem Jansenio, probat gratiam Adamo concessam ipsi contulisse potentiam relativam; ergo a pari cum loquitur de justo; siquidem ubi est eadem ratiocinatio & locutio, ibi idem debet esse ratiocinandi & loquendi fundamentum.

Et: lib. de peccat: mer. & remiss: c. 39. de justo sic loquitur: *Habet concupiscentiam cum quâ pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit*. Ergo inest justis gratia interior cum quâ prementem concupiscentiam frænare possunt, quam tamen non semper superant.

Prob: 4°. ratione, scilicet enim possibilia sunt divina mandata; nec enim Deus summe bonus & justus impossibilia præcipit: atqui non sunt hic & nunc possibilia mandata, præsertim difficiliora ac supernaturalia, nisi per gratiam relative sufficientem, uti supra probavimus; plerique autem etiam justi divinis mandatis non obtemperant; ergo.

Obj: 1°. ea Scripturæ loca, quæ solam gratiam efficacem videntur probare, Philipp: 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Rom: 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Et rursus: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

R. Hæc & similia probant tantum dari gratiam efficacem cui nulla reluctatur voluntas, quod ultro fatemur; nullatenus autem excluditur gratia sufficiens quæ tot aliis Scripturæ textibus astruitur.

Obj: 2°. ex S. Aug: omnis qui habet internam Christi gratiam, eo ipso bene operatur; ergo omnis gratia interior est efficax. Prob: ant: ex c. 8. lib: de Prædest: SS. *Si omnis qui audivit à Patre & didicit, venit profecto omnis qui non venit, non audivit à patre nec didicit; nam si audisset & didicisset, venisset.*

R. 1°. hæc & alia ex Aug: testimonia, in ipsos adversarios militare; siquidem inde sequeretur nullas dari gratias parvas seu debiles, quas tamen impense fovent Janseniani ut Catholicis illudant.

R. 2°. dist. ant. Omnis qui habet gratiam efficacem eo ipso bene operatur, C, qui habet gratiam sufficientem, N. Porro objecti testimonii sensus est, eum qui non venit, non audiisse per gratiam efficacem, quamvis aliâ gratiâ invitatus potuerit venire; utique enim jubebatur venire: atqui ex Aug: Lib: de nat: & gr. c. 43. *Deus impossibilia non jubet;* ergo.

Obj: 3°. Nihil frequentius in Augustini doctrinâ, quam discrimen auxiliorum utriusque status; atqui dogma gratiæ sufficientis funditus evertit discrimen illud, in eo positum, quod Adamo innocenti concessum duntaxat fuerit adjutorium *sine quo*, id est, sufficiens; nunc vero homini lapso concedatur adjutorium *quo*, id est, efficax, ut patet, ex c. 11. & 12. lib: de cor. & grat: ergo. R. neg: min: inconcussum enim remanet utriusque status discrimen à S. Aug: assignatum: 1°. quoad gratiam sufficientem quatenus nempe homini *integro* cum gratia habituali sola sufficeret intellectus illustratio ad perseverandum; cum è contra ob naturæ lapsæ infirmitatem requiratur gratia voluntatis præveniens, per quam ipsius vires resarciantur; 2°. quoad gratiam efficacem, quia homo innocens *in tanta*, ut loquitur Aug: *non peccandi facilitate*, eâ non indigebat: secus de homine lapso, cui hæc jam necessaria est, saltem pro difficilioribus pietatis operibus.

Obj: 4°. Ex Cœlestino S. Pontifice, Epist: ad Episcopos Galliæ, *lex supplicandi statuit legem credendi:*

atqui Ecclesia non orat pro impetrandâ gratiâ sufficiente quæ dat nudum posse, sed pro obtinendâ efficaci quæ dat velle & operari. R. dist: maj. Statuit legem credendi, quatenus non petimus nisi quod credimus, C. quatenus id omne petimus quod credimus, N. credimus enim bona ordinis naturalis opera fieri posse, & tamen petimus ut cuncta nostra operatio in Christo & per Christum sanctificetur. Et vero hortatur Apostolus ut *charismata meliora* æmulemur.

Obj: 5°. Gratia sufficiens quæ nunquam effectum obtinet, quoddam est monstrum gratiæ, *solummodo* (Jansen.) *peccatis faciendis, & majori damnationi accersendæ serviens*, quodque dæmon vellet semper concedi:

R. 1°. argumentum istud meliori jure contorqueri contra parvam Jansenii gratiam, quæ suum nusquam obtinet effectum, quod viribus sit oppositâ concupiscentiâ inferior.

R. 2°. propositâ objectione minimè impeti gratiam sufficientem eorum qui cum Norisio, Thomassino, & aliis arbitrantur eam in facilibus aliquando effectum obtinere.

R. 3°. non ex Dei aut Gratiæ vitio, sed ex culpabili hominis resistentia contingere quod gratia sufficiens suum effectum non assequatur; ipsa etenim expeditam boni hic & nunc peragendi confert potentiam. Unde Alex. VIII. an. 1690. hanc propositionem confixit: *Gratia sufficiens, statui nostro non tam utilis quam perniciosa est; sic ut merito possimus petere,* A GRATIA SUFFICIENTE LIBERA NOS, DOMINE.

ARTICULUS TERTIUS.

De distributione Gratiæ sufficientis.

Videndum hic 1°. an justis omnibus urgente præcepto dentur gratiæ sufficientes; 2°. an dentur fidelibus peccatoribus; 3°. an infidelibus omnibus 4°. an parvulis quibus subveniri non potest.

§. I. *An justis omnibus detur Gratia sufficiens.*

Negârunt Lutherani & Calvinistæ, negant hodiedum Janseniani; contra quos sit cum Ecclesia.

CONCLUSIO. Justis omnibus, urgente præcepto, confertur gratia verè sufficiens, per quam possint actualem hic & nunc concupiscentiam superare, ac mandatum urgens adimplere.

Prob: 1°. ex Scriptura, I. Cor: 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Hæc ad justos pertinere clare ostendunt verba immediate præcedentia, *qui se existimat stare, videat ne cadat*: Atqui tentarentur justi supra id quod possunt, nisi urgente tentatione gratiam haberent vincendæ actuali concupiscentiæ idoneam, vel saltem nisi ad id possent uberius impetrare auxilium, quod supponit Apostolus à Deo concedendum, cum addit: *Faciet etiam cum tentatione proventum*: hoc est, ut interpretatur S. Cypr: *Faciet cum tentatione facultatem evadendi*; ergo.

Reponit Jansenius, textum hunc ad solos prædestinatos restringi debere, quasi diceret Apostolus, Deus non patietur vos ita tentari ut in æternum pereatis, &c. Verum gratis conficta est ista expositio. Tum quia S. Paulus generatim loquitur de omnibus justis, quorum animos excitat ut tentationi resistant, eo quod fidelis Deus non patietur eos tentari supra id quod possunt. Tum quia Trid: Seff: 24. can. 9. votum castitatis, ab omnibus eo adstrictis, qui utique non omnes prædestinati sunt, posse servari affirmat, quia *Deus non patitur nos supra id quod possumus tentari.*

Prob: 2°. ex Conciliis. Arauf: II. can: 25. sic definit: *Secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptisati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant si fideliter laborare velint adimplere*; ergo fide Catholicâ constat justis nusquam deesse gratiam quâ vere possint Dei præcepta servare.

Idem pluries docet Trid: Sic 1°. Seff: 6. c. 11. *Nemo temerariâ illâ & à Patribus prohibitâ voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat ut possis.* Idem definitur can: 18. ejusd. Sessionis: atqui si justis urgente præcepto non semper adest gratia per quam præceptum fiat hic & nunc possibile, clare sequitur contra Concilii definitionem præcepta quandoque esse homini justificato ad observandum impossibilia; ergo.

Sic 2°. ibidem *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur.* Porro si justis urgente præcepto deest aliquando gratia relative sufficiens quâ possint vel illud implere, vel uberius auxilium impetrare Deus justos prius desereret quam ab ipsis desereretur.

Prob: 3°. ex definitionibus Ecclesiæ. Scilicet Innocent. X. & Alex: VII. solemnibus & ab universa Ecclesia receptis Constitutionibus primam inter quinque famosas Propositiones tanquam hæreticam damnarunt *in sensu* à Jansenio *intento:* atqui sensus à Jansenio intentus circa primam propositionem, hic est: non omnibus justis *etiam conantibus*, possibilia esse Dei mandata per gratiam quæ sit vere sufficiens ad vincendam actualem concupiscentiam, vel cujus ope possit uberius auxilium impetrari; ergo de fide est, &c.

Prob: 4°. ex citatis supra Aug: textibus, quibus & hunc addere placet ex L: de nat: & grat: c. 26. *Deus, cum per mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, & cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit nisi deseratur, ut pie semper, justeque vivatur:* atqui gratia quam concedit *Deus ut pie semper, justeque vivatur,* est gratia actualis; non habitualis, ut Jansenio placet; 1°. quia ibi disputat S. Doctor contra Pelagianos qui gratiæ actualis necessitatem negabant ad observanda præcepta; quia id evincunt verba proxime sequentia: *Sicut enim,* pergit S. Doctor, *oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æternæ luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.*

Prob: 5°. Ex solâ hominis culpâ est quod privetur gratiâ ad agendum necessariâ: atqui nulla omnino ex parte hominis culpa fingi potest, cur justis Deus deneget gratiam sufficientem sine quâ non possunt præceptum adimplere; ergo. Majorem clare docent SS. Aug: lib: 2. de peccat: meritis, &c. c. 17. & Thomas 1. 2. q. 111. 2. 3. his verbis: *Defectus gratiæ prima causa in nobis est.... secundum illud Osee* 13. *Perditio tua ex te Israël.* Prob: itaque min: Hujus denegationis causa esset vel peccatum originale, vel concupiscentia, vel peccatum aliquod actuale: atqui nullum horum dici potest. Non: 1. *Nihil quippe damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu,* ex Apost: Rom: 8. & ut habet Trid: Sess: 5. c. 5. *In renatis nihil odit Deus.* Non 2. ob eandem rationem. Non 3. tum quia agitur de prima gratia quæ justo denegaretur, ac proinde si supponatur lapsus in aliquod peccatum, de hoc ipso

quæri debet, cur gratiâ privatus fuerit ad illud vitandum necessariâ: tum quia summæ Dei erga electos bonitati adversatur, quod ipsi ob levem culpam omni prorsus auxilio sufficienti destituantur. Scio equidem nonnunquam à Deo in pœnam negligentiæ subtrahi gratiam uberiorem; quâ sublatâ justus in peccatum labitur: verum adhuc superest gratia orationis, quâ potest justus ad Deum supplici pietate sese convertere, ut multoties tradit S. Aug: locis antea citatis.

Obj: 1°. Sine gratiâ efficaci justi non possunt divinis obtemperare mandatis: atqui justis non semper adest gratia efficax. Minor constat: alias enim nusquam Dei præcepta transgrederentur; Prob: itaque mai. tum ex Joan: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum;* tum præcipue ex innumeris S. August: testimoniis, quibus adversus Pelagianos gratiæ efficacis necessitatem astruere videtur. R. ad 1. neg: maj. Nam ex dictis Art: superiori, præter gratiam efficacem est alia gratia quæ voluntati conferat vires relative proportionatas ad vincendam concupiscentiam: atqui talis gratia urgente præcepto justis omnibus conceditur, &c.

Ad 2. dist. Nemo potest.....nisi pater traxerit eum per gratiam sive efficacem, sive non, C. per gratiam reipsâ efficacem, subd: Nemo potest potentiâ ad actum redactâ, id est, nemo unquam venit, C. nemo potest potentiâ ab actu sejunctâ, saltem mediatâ, N. Aug: objectis Christi verbis aliquando utitur, ut contra Pelagianos probet necessitatem gratiæ prævenientis, abstrahendo ab ejus efficaciâ. Sic & S. Thom: 1. 2. q. 109. & ejus discipuli eodem utuntur textu, ut probent hominem *non posse seipsum ad gratiam præparare per seipsum;* nec tamen eorum ullus docet, eum qui gratiâ efficaci caret, non posse vi alterius auxilii præsentis ad Christum venire: quandoquidem *apud Thomistas de fide est infallibiliter dari gratiam sufficientem, quotiescumque occurrit præceptum implendum.* Quod si Christi verba de gratia efficaci exponantur, ut plerumque ab August: factum est; non plus proficient, quia tunc dicetur cum Bellarm: L. 2. de grat: & lib: arb: c. 8. eum qui non trahitur per gratiam efficacem non posse venire, non quod absolute non possit venire, sed quia infallibiliter non veniet: sicut è contra qui trahitur, potest non venire, & tamen infallibiliter veniet.

B. Guy. art: dist. crim: p. 232.

Obj: 2°. S. Aug: lib: de dono persever: c. 22. hanc expendens propositionem, *Si qui obeditis, si prædesti-*

nati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis; eam approbat si in tertia persona exprimatur, hoc pacto: *Si qui obediunt, &c.* Supponit ergo S. Doctor justis non prædestinatis subtrahi vires obediendi, hoc est gratiam vere sufficientem. R. neg: ant: dictam enim propositionem improbat S. August: etiam quoad rem ipsam, seu virium subtractionem: 1°. quia S. Doctor propositionem hanc appellat *abominabilem, durissimam, odiosam;* 2°. quia propositio quam substituit, non continet illam virium subtractionem. Sic enim habet ista: *Quid sententiæ deperit, si ita dicatur: Si qui obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in fidem in eadem obedientia permanebunt;* 3°. addit S. Doctor: *sperandum & quotidianis orationibus poscendam esse obediendi perseverantiam.* Supponit ergo adesse singulis saltem orationis gratiam, quâ possint obediendi perseverantiam impetrare.

Inst: August: lib: de corrept: & grat: cap: 11. postquam asseruit, Adamo concessum esse adjutorium sine quo perseverare non poterat, addit: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium jam pœna peccati est:* atqui hæc supponunt, sufficientem ad perseverandum gratiam justis aliquando deesse.

R. neg: min: tum quia auxilium de quo loquitur Aug: denegatur in pœnam peccati: injustis autem nullum potest assignari peccatum, in cujus pœnam denegetur ut modo probavimus, tum quia si ad justos extendantur citata verba, sensus erit, justis nonnunquam denegari auxilium immediate sufficiens (quale datum fuit Adamo, qui poterat sine uberiori auxilio per solas originalis justitiæ vires in bono perseverare) non autem etiam mediate sufficiens, quo per orationem uberior Dei gratia impetrari possit; imo gratiam illam orationis justis omnibus urgente præcepto semper præsentem esse sæpissime docet Aug:

Obj: 3°. S. Petrus erat justus antequam negaret Christum: atqui ei defuit gratia, quâ posset Christum confiteri: maj. constat ex Joan: 13. *Et vos mundi estis, sed non omnes;* quæ restrictio solum Judam spectat. Prob: itaque min: 1°. ex Scripturis, *Non potes me sequi modo, sequeris autem posteà;* ex Patribus. Chrysost: Homil: 31. in Epist: ad Rom: *Negatio Petri, non tam erat socordiæ ac negligentiæ, quam ex eo quod Deus eum deseruerat.... ut sciret quod absque Deo nihil fieri potest.* S. Aug: serm: 124. de tempore: *Quid est ho-*

mo, inquit, *sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum? .... & ideo Petrum Dominus paululum subdeseruit, ut in illo totum hominum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere;* ergo.

R. 1°. neg: maj. dici enim potest Petrum, prius quam Dominum negaret, jam excidisse à justitia, per temerariam de viribus suis præsumptionem, quam Chrysost: *crimen* appellat, Homil: 83. in Matth: & Homil: 72. in Joan: *casus magnitudinem;* Aug: vero *ruinam cordis.*

Nec obstant probationes in contrarium allatæ. Non Scripturæ: laudata enim verba Petro dicta sunt ante temerariam responsionem in quâ de viribus suis præsumebat; & in qua factus est *casus ille magnus*, de quo mox Chrysost: Non etiam SS. PP. qui in Petri responsione nonnihil quidem agnoscunt, amoris, sed amoris *præposteri, deordinati & carnalis*, ut Aug: serm: 296. & conjunctl cum *præsumptione & arrogantiâ*, ut Chrysost.

R. 2°. dist: min: Defuit S. Petro gratia efficax, C. gratia sufficiens, subd. proxima, per quam immediate posset resistere tentationi & Christum confiteri, C. remota per quam mediante oratione, cujus proximam habet potentiam, uberius auxilium impetrare posset, N. *Cum dicendum esset*, ait Hom: 83. Chrysost: *Opem nobis feras, ne scandalizemur; è contrario nimium sibi arrogans.... totum sibi tribuebat, &c.* Hinc juxta illum, Petri negatio non erat socordiæ ac negligentiæ timidæ, scilicet & vacillantis; sed erat socordiæ, timidæ & de suis viribus nimium præsumentis. Ceterum mirum est quod S. Chrysost: hic objiciuntur, qui si fides Jansenio, *Pelagianizat.*

Quod spectat S. August: 1°. laudatus in object: sermo 124. in ultima editione Benedictinorum inter spurios in Appendicem rejectus est; 2° verbum *subdeseruit*, omnimodam non significat derelictionem, sed aliqualem tantum, quâ uberior ac proxima gratia subtrahitur. Hinc lib: de Unitate Eccl: c. 9. *Petrus, si voluisset*, inquit S. Doctor, *ter Dominum non negasset: nam dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis timorem, & Deo cum Propheta dicere, Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Quomodo autem Petrus dicere potuisset, nisi per gratiam vere sufficientem orationis?

Quod ex Scriptura objicitur, nullius est momenti: neque enim cum S. Petrum alloquebatur Christus, tunc urgebat præceptum moriendi pro ipso; unde ex

eo quod S. Petrus tunc non potuerit pro Christo mori, male infertur ipsum non potuisse Christum non negare.

Obj: 4°. Gratia sufficiens est illustratio mentis docens quid faciendum sit, & effectus bonæ voluntatis inclinans ad præceptum implendum: atqui experientiâ constat, non omnibus justis urgente præcepto dari hanc illustrationem, huncque voluntatis affectum; alias nusquam peccarent ex ignorantia, aut ex inadvertentia, aut ex indeliberato passionis motu; ergo.

R. 1°. nihil infirmius hâcce palmari adversariorum objectione. Ad hoc enim satis est, 1°. ut dentur cogitationes imperceptibiles, hoc saltem sensu, quod leviori fugaciorique sensu intimo percipiantur, quo fit ut subito transeant & homo penitus ignoret se eas habuisse; 2°. ut possit esse idea formalis, aut alia animæ modificatio, quin mens reflectat circa *illius* præsentiam, porro utrumque clare constat experientiâ, imo & ipsius, qui hic contra nos pugnat, Arnaldi consensu.

R. 2°. etiam justis urgente præcepto quandoque deesse proximam actionis gratiam, iisque tunc sola, ut observat S. Augustinus, adest orationis gratia, quâ præcepti hic & nunc implendi cognitionem & amorem obtinere possunt: his in circumstantiis si negligat orare justus, licet non attendat aut ignoret quid agendum sit, peccabit tamen, quia ignorantia illa & inadvertentia tunc voluntaria est & culpabilis.

Quod additur posse à Deo victricem gratiam concedi, verissimum est: insuper tamen quæri debet, an Deus sincere velit talem gratiam suppeditare; neque enim vi illius gratiæ possibile erit justo præceptum, nisi Deus paratus sit illam gratiam concedere; sicut non censetur captivus è carcere liberari posse, nisi homo dives paratus sit ad numerandam pecuniam, quæ ad captivi liberationem necessaria est: porro nemo dixerit Deum sincere velle gratiam victricem conferre justo, cui antecedenter ad quodlibet peccatum lethale, denegat gratiam sufficientem; ergo, &c.

§. II. *An detur, fidelibus omnibus Gratia sufficiens?*

Quæstio est, utrum pro loco & tempore, præsertim cum urget præceptum, detur Fidelibus omnibus etiam obduratis gratia saltem mediate sufficiens, tum ut nova peccata caveant, tum ut à veteribus resipiscant. Negant aliqui: afferunt alii longe communius. Sit

Conclusio. Peccatoribus obduratis & excæcatis non

deest gratia saltem remote sufficiens, quâ possit nova peccata vitare, præcepta implere, & cordis duritiam ac cæcitatem deponere.

Prob: 1°. ex Script: Ezechiel: 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat.* II. Petr: 3. de Deo dicitur; *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Act: 7. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* ad Rom: 2. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Sententiæ istæ ad omnes homines pertinent absque ullâ prorsus exceptione, quæ excludat obduratos; imo obdurati clare designantur, Act: 7. atqui vanæ forent ac irrisoriæ adhortationes illæ, si Deus quibuslibet peccatoribus non concederet gratiam, quâ saltem remote possent à peccato per veram pœnitentiam resurgere.

Prob: 2°. ex Conciliis Valentinum III. can: 2. docet, *malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt;* quod universaliter verum non esset, si mali non acciperent gratiam quâ possent vitare peccatum.

Trident: Sess: 6. de Justific c. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis:* quæ cum generatim pronuntiet Concilium, etiam de obduratis sunt intelligenda, ut infra ostendemus.

Prob: 3°. ex August: in Psal: 6. ubi sic: *In eam* mentis cæcitatem *quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur; sed nondum penitus cum in hac vita est,* Sed qui quandiu in hac vita manet, nondum ab interiori luce penitus secluditur, non omni prorsus gratiâ caret; ergo.

Magistro suo concinit S. Prosper Resp: ad Objectiones Vincentianas, his verbis: *Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.* Et Lib: 1. de vocat. gent: c. 21. sæpius inculcat, *nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse substractam,* quod & L. 2. c. 23. adaptat Caïno excæcatorum & obduratorum principi: atqui ubi manet correctionis via & boni possibilitas per opem gratiæ, hic utique gratia non deest penitus.

Prob: 4°. duplici ratione Theologicâ. I. *Deus impossibilia non jubet,* ut totidem verbis docent August: & Trident: atqui impossibilia præciperet, si hominibus, etiam obduratis, urgente præcepto, non tribueret gra-

tiam sufficientem; pleraque enim præcepta sine gratia omnino sunt impossibilia, etiam quoad substantiam, nimirum ea quæ sunt supernaturalis ordinis, & ea etiam quæ ex ordine naturali graves habent annexas difficultates superandas; ergo.

II. Nemo peccat in eo quod vitare nullomodò potest: atqui certum est obduratos, cum perverse agunt, ita peccare, ut facinora ipsis culpæ deputentur; ergo.

Et certe præceptum conversionis omnes etiam obduratos sæpius urget, præsertim vero in fine vitæ; ergo possunt tunc resipiscere; ac proinde ipsis adest gratia saltem remote sufficiens sine qua impossibilis est sincera ad Deum conversio.

Obj: 1°. Joan: 13. de induratis Judæis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaïas: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum:* ergo induratis non conceditur gratia sufficiens. R. dist: non poterant credere proxime, & ex hypothesi voluntariæ eorum indurationis, C. non poterant etiam remote, N. *Quare non poterant credere*, inquit Aug: tr act: 53. in Joan: *quia nolebant?* Simili ratione solvi possunt plurima alia Scripturæ testimonia.

Obj: 2°. ex Trid: Sess: 6. *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur;* ergo obdurati, qui Deum sæpissime deserunt, ab ipso quoque deseruntur per gratiæ subtractionem. R. dist: conseq: deseruntur per subtractionem gratiæ uberioris, C. per subtractionem gratiæ cujuscumque, etiam orationis, N. *Omnes enim*, ait ibid: S. Synodus, *firmissimam spem in Dei auxilio reponere debent*.

Obj: 3°. Ex S. Aug: tract: 35. in Joan: lib: 1. ad Simplician: & Epist: 194. Deus indurat, *non impertiendo misericordiam*. Hinc excæcatus vocatur à S. Doctore lib: de perfect: justit: c. 19. *desertus lumine veritatis*. Hinc etiam idem passim asserit, *obduratos non posse credere & bene facere;* ergo obduratis nulla conceditur gratia. R. hæc & similia S. August: testimonia intelligenda esse ad sensum eorum quæ in probanda nostra Conclusione ex eodem S. Doctore retulimus. Nimirum obdurati dicuntur, non quibus omnis penitus subtrahitur gratia; sed quibus uberior, qualis justis & nondum obduratis concedi solet, denegatur.

Obj: 4°. Ideo conceditur gratia sufficiens obduratis, ut reddantur inexcusabiles dum peccant: atqui ad hoc gratia non est necessaria. Impotentia enim concomitans & voluntaria non excusat à peccato: atqui talis est

impotentia quæ reperitur in obduratis omnis gratiæ interioris auxilio destitutis.

R. 1°. neg. maj. ideo enim potissimum conceditur obduratis gratia, quia hanc ipsis à Deo misericorditer concedi indicant Scriptura & Traditio.

R. 2°. ad 1. neg: min: ad 2. dist: maj. Impotentia pure concomitans non excusat à peccato, C. qui enim impotentiâ hâc laborat, ita affectus est ut velit peccatum, quod posset non velle. Impotentia ita concomitans ut simul sit antecedens, N. talis porro foret impotentia excæcati, cui præciperetur supernaturalis ad Deum conversio, dum interim omni gratiâ privaretur.

§. III. *An gratia sufficiens Infidelibus detur?*

Infideles alii sunt tales *negative*, qui Evangelii prædicationem nec audierunt, nec audire recusârunt: alii tales sunt *positive*, qui Evangelium audire recusârunt, vel auditum contempserunt. De utrisque, potissimum autem de prioribus loquimur in præsenti. Quia vero nulla est affinitas inter istam de Infidelibus & præcedentem de obduratis controversiam, paucis rem absolvemus. Sit:

CONCLUSIO. Omnibus Infidelibus dantur gratiæ, quibus remote saltem ad fidem converti, & ad salutem pervenire possunt.

Prob: 1°. quia sic docent Patres. S. Aug: enarratione in Psalm. 18. n. 7. sic habet: *Non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit verbi calor*: Atqui excusari possent Infideles, si quâlibet gratia interiori destituti essent; cum absque illa nihil fieri possit quod ad salutem conducat.

S. Prosper sive autor Operis de vocat. gentium lib: 2. c. 5. *Adhibita semper est*, inquit. *universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Loquitur ibi S. Doctor de gratia in omnes diffusa, & quæ omnem etiam Infidelibus excusationis causam adimit: atqui de gratia interiori duntaxat id dici potest.

S. Thom: q. 14. de verit. a. 11. ad 1. *Si quis*, inquit, *nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia ductum rationis naturalis sequeretur, in appetitu boni & fugâ mali certissime est credendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad creden-*

dum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. Is est ergo, juxta S. Doctor. certissimus divinæ bonitatis ordo, ut unicuique rationis compoti concedantur auxilia sufficientia ad legem naturalem implendam, quam si observet, non deerunt ex parte Dei uberiores gratiæ, quibus ad fidei notitiam pervenire possit.

Prob: 2°. Alexand: VIII. hanc Propositionem damnavit an. 1690. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à J. C. influxum: adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni gratiâ sufficiente.* Et Clemens XI. istas proscripsit Quenelli propositiones. 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.* 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia:* atqui ex his censuris sequitur, gratiam à Deo illis concedi, qui fidem non habent & in Ecclesiæ sinu non continentur.

Prob: 3°. ex principiis supra positis: 1°. Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire; 2°. Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus; 3°. Deus impossibilia non jubet; 4°. nemo peccat in eo quod vitare non potest; 5°. Infidelibus merito imputatur in culpam quando mandata Dei volentes transgrediuntur: atqui ex his omnibus manifeste sequitur in omnes homines etiam infideles derivari aliquando gratiæ interioris auxilium, sine quo, nequidem remote, tum ad agnitionem veritatis, tum ad salutem pervenire possent.

Obj: 1° id Aug: Ep. 217. *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari.* Et Serm: 11. de verbis Apost: c. 4. *Communis est natura, non gratia.* Idem docent SS. Prosper, Fulgentius, &c. ergo R dist ant: Non omnibus datur gratia specialis, quæ Evangelii cognitionem involvit, quæ discernit fideles ab Infidelibus, vel etiam justos ab impiis; quæque præcipue nuncupatur gratia Christi, C. gratia quævis universim & proprie dicta, subdist: non omnibus datur ad sensum Semipelagianorum, id est, non omnibus æqualiter datur; aut etiam non datur propter pium credulitatis affectum, qui sit ex solis naturæ viribus, quique sit motivum cur gratia conferatur, C. nullatenus datur, N. Solutio ex dictis hactenus patet.

Obj: 2° Fides est prima gratia, juxta istud Aug: lib: de Prædest: SS. c. 17. *Fides ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera:* atqui non omnium est fides,

ex Apost: I. ad Thess: 3. ergo nec omnium est gratia. R. dist: maj. fides inchoata, & imperfecta, qualis est quælibet Dei cognitio, si modo cœlitus immissa sit, est prima gratia, C. fides perfecta & explicita, qualis est fides Christianorum, quâ credunt Deum unum & trinum, &c. subdist: est prima gratia quæ speciali modo gratia Christi dicitur & quâ ad sanctificantem gratiam homo proxime disponitur, C. est prima gratia simpliciter & absolute, sine quâ nihil omnino boni fieri potest in ordine ad salutem, N. Ante fidem perfectam in Christum, dari aliam imperfectam ex qua aliquid boni fieri possit, quod ad salutem mediate disponat, manifeste probat exemplum Cornelii Act: 7. de quo sic Aug: ibid: *Cornelii acceptæ fuerunt eleemosinæ & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum:* NEC TAMEN SINE ALIQUA FIDE DONABAT ET ORABAT.

Obj: 3°. Positâ nostrâ sententiâ facile explicatur cur ex Infidelibus alii ad fidem perveniant, alii non: id quippe peti potest ex gratia sufficiente, cui alii consentiunt, alii vero reluctantur: atqui tamen S. Aug: lib: de spiritu & lit: c. 34. hanc in rem exclamat cum Apostolo, *O altitudo!* ergo. R. neg: maj. namque generalis illa gratia cunctis infidelibus concessa, sufficit quidem ut ostendatur reprobos suâ culpâ perire, non vero ut explicetur: 1°. cur e duobus æqualiter gratiæ reluctantibus, unus per summam misericordiam Evangelii collustretur, alter vero per justitiam relinquatur; 2°. cur è duobus generali gratiæ perinde consentientibus, illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo tantum cum S. Aug: responderi possunt: *O altitudo divitiarum!* &, *Numquid iniquitas apud Deum?*

Obj: 4°. Si daretur Infidelibus qui de Christo nihil audierunt, gratia sufficiens ad credendum, infidelitas negativa, seu absentia fidei in ipsis esset voluntaria saltem indirecta, nempe in libera violatione legis naturalis; adeoque foret peccatum illis imputabile: atqui tamen doctrina hæc damnata est propos: 68. inter Baïanas; ergo. R. neg: sequel: maj. namque ut effectus censeatur voluntarius, non sufficit ut sequatur ex aliquo etiam libere volito, sed insuper requiritur ut cognosci possit ex illo consequi: alias effectus ille non erit voluntarius, ut connexus cum alio, seu ex eo consequens.

§. IV. *An infantibus sufficienter providerit Deus de remedio salutis.*

Constat Deum de sufficienti ad salutem medio provi-

diffe parvulis, qui ex parentum aut aliorum incuriâ fine Baptifmo decedunt. Medicus enim quantum de fe cenfetur ægroto fufficienter providiffe de remedio & applicatione illius, qui non folum pharmacum præparavit, fed & miniftris commifit, ut illud ad ægrotum deferant, licet ex iftorum negligentiâ non poffit ægrotus pharmacum illud fumere ac fanari: unde Autor Operis de vocat. gentium, lib: 2. cap: 23. *Non irreligiofe arbitror credi, quod ifti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ femper univerfis impenfa eft nationibus, quâ utique fi bene uterentur eorum parentes, etiam ipfi per eofdem juvarentur.* Præfens itaque difficultas de iis duntaxat movetur infantibus, qui prius pereunt, quam poffit illis quâcumque humanâ diligentiâ Baptifmus conferri; de his autem duæ funt opiniones. Prima negat Deum iis fufficienter providiffe: ita præcipue Vafquez Secunda docet Deum ex parte fuâ fincere voluiffe iftis etiam infantibus falutem æternam iifque de medio neceffario quantum in ipfo eft providiffe. Ita Suarez, Ifambert, aliique communiter. Sit

Conclusio. His etiam parvulis, quibus per baptifmum fuccurri non potuit, fufficienter Deus providit de applicatione remedii ad falutem neceffarii.

Prob: 1°. Deus vult fincere hos ipfos infantes falvos fieri. *Numquid enim,* inquit Aug: L. 4. contra Julian. c. 8. *Parvuli homines non funt, ut non pertineant ad id quod dictum eft: Omnes homines vult falvos fieri?* Chriftus etiam pro iifdem infantibus mortuus eft, uti declarat Apoft: II. Cor: 5. his verbis: *Omnes mortui funt, & pro omnibus mortuus eft Chriftus*: ficut enim prima propofitionis pars, *omnes mortui funt*, ad omnes parvulos extendi debet; ita & tefte Aug: fecunda, *pro omnibus mortuus eft Chriftus*: Atqui nec fincera Dei voluntas erga parvulorum falutem concipi poteft, nec mors Chrifti ad illos pertinere intelligitur, nifi de falutis medio ipfis applicando fufficienter provifum fuerit. Qui enim vult alteri finem, fi prudenter agat, præparat ei media neceffaria ad illum finem, & providet ut ipfi applicentur: atqui baptifmum medium eft parvulis abfolute neceffarium ad falutem: ergo.

L. 2. de nupt. &c. c. 33.

Prob: 2°. Ut Deus cenfeatur hujusmodi parvulis fufficienter providiffe, neceffe non eft ut hujufce applicationem voluerit omni modo poffibili; id enim pertinet ad voluntatem abfolutam; fed fatis eft 1°. ut pro illis inftituerit ac præparaverit media ad falutem fufficientiffima: 2°. ut quantum in fe eft media illa ipfis fincere offe-

rat, atque iis conferri velit per causas secundas; 3°. ut nullâ peculiari ac directâ voluntate impedierit applicationem ejusmodi mediorum; 4°. ut quatenus provisor generalis præscriptam causarum naturalium seriem immutare non teneatur, etiamsi prævideat eam fore impedimento multis parvulis ad salutem; denique, ut istam causarum dispositionem ex qua secutura est parvulorum mors absque baptismo, possit velle, non quidem directe quatenus est impeditiva salutis: sed secundum se simpliciter, eamque ordinando ad altiores quosdam fines suæ providentiæ. Atqui omnia hæc occurrunt in casu præsenti de parvulis quibus baptisma applicari nequit: 1°. ex infinita caritate Christus pro illis mortuus est, & pro illis baptismum instituit; 2°. remedium illud ipsis sincere offert, iisque quantum in ipso est per causas secundas, prout capaces sunt, conferri vult, huncque in finem ministros instituit; 3°. nullum ex parte suâ ponit impedimentum applicationi Baptismatis, imo offert quantum in se est concursum ad ejusmodi applicationem ex parte suâ necessarium; 4°. tanquam provisor generalis, cujus est bono potissimum universali prospicere, hanc rerum seriem, quam prævidet saluti parvulorum obstituram permittit, ne antea institutus perturbetur causarum naturalium ordo; 5°. denique ista causarum secundarum dispositio, quatenus ex ipsâ sequitur, ut sine Baptismo intereant infantes, non est à Dei voluntate directâ: quasi prior fuerit in Deo voluntas negandi remedia parvulis, & ad hunc finem causas naturales disposuerit; sed est á voluntate Dei mere permissivâ, quatenus nimirum jam constitutam causarum naturalium seriem, ut provisor & causa universalis immutare, nec voluit nec debuit: ergo nihil obstat quominus dicatur Deum sufficienter providisse parvulis istis.

Obj: 1°. ex S. Aug: lib: de dono persever: c. 12. *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis Ministris ut parvulo Baptismus detur,* DEO *tamen* NOLENTE, *non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit ut daretur;* ergo. R. dist: Deo nolente, voluntate absolutâ, & consequente naturalem causarum secundarum dispositionem, C. voluntate antecedente, nempe si id pateretur naturæ dispositio, atque concurreret ministrorum diligentia, N.

Inst: Aug: ibid. & alibi sæpe, ad inscrutabilia Dei judicia recurrit, cur potius uni parvulo quam alteri conferatur Baptismus: atqui in nostra sententia facile

istius rei reddi potest ratio: nimirum, iste baptisatus est: quia non est impeditus à causis naturalibus; ille vere non est baptisatus quia obstiterunt causæ naturales; ergo. R. dist: maj: revocat ad inscrutabilia Dei judicia, aliquando & quantum ad causas particulares, quas Deus occultâ providentiâ in aliquorum favorem disponit, non autem aliorum, C. semper & quantum ad generaliorem rationem, N. unde hæc S. Doctoris loquendi ratio ostendit quidem nonnullorum saluti specialiter provisum fuisse, sed non probat omnibus non fuisse sufficienter provisum, ut medium salutis applicari posset.

Obj: 2°. ex S. Prospero in Resp: ad 4. objectionem Vincentianam, *insanum omnino est dicere, voluntatem ex Dei voluntate non fieri.* Atqui istud absurdum sequitur in nostra sententia. In hac enim Deus, quantum est de se, vult parvulis applicari Baptismum; & ejusmodi applicatio impeditur à causis naturalibus, quarum dispositio utique est à Dei voluntate; ergo. R. dist: maj. Insanum est dicere voluntatem Dei non fieri ex Dei voluntate directâ, C. ex voluntate Dei permissivâ, quæ non impedit activitatem causarum naturalium propter generalem suæ providentiæ administrationem, N.

Inst: 1°. Ea causarum naturalium dispositio ex qua fit, ut infans prius moriatur, quam possit illi applicari Baptismus, est à Dei voluntate non solum permissivâ, sed etiam directâ, siquidem omnia quæ in mundo contingunt, excepto peccato, Deus positive vult & ordinat; ergo. R. dist. ant: Si ejusmodi dispositio consideretur secundum se simpliciter, C. si spectetur quatenus impeditiva salutis, N. Sic enim spectata, semper est ex permissione divinâ tantum, non autem ex directa ordinatione. Ejusmodi autem permissio supponit in Deo præscientiam, & addit voluntatem non tollendi illud impedimentum, sed ordinat illud ad altiores quosdam fines suæ providentiæ cognitos.

Inst: 2°. Provisor non censetur sufficienter providisse ei cujus curam gerit, quando malum ipsi impendens non avertit, cum illud repellere posset: atqui Deus avertere potest, &c. R. dist: maj. Si sit provisor particularis & ad speciale bonum unius duntaxat ordinatus, C. si sit provisor generalis & commune bonum spectans, N. Cum enim provisori generali cura sit omnium rerum, ita singulis providere debet, ut ceterarum ordinatæ dispositioni non præjudicet: non potest autem singulis mala impendentia propulsare, sine præjudicio dispositionis factæ in aliis rebus: v. g. non

poteſt Deus illas prohibere cauſas, quæ puero in viſceribus maternis deliteſcenti necem afferunt, quin præjudicium aliquod earum naturæ inferat, & conſtitutum à ſe ordinem perturbet.

QUÆSTIO QUINTA.

De Gratia efficaci.

Circa Gratiam efficacem, eam nimirum quæ certo & infallibiliter conſenſum voluntatis elicit, tria hic expendenda veniunt; 1°. quid de ea tenendum præſcribat fides; 2°. quid de ea libere teneant Scholaſtici; 3 quæ horum opinio aliis ſit præferenda.

ARTICULUS PRIMUS.

Dogma Catholicum de Gratia efficaci.

Concl. I. Admittenda eſt gratia efficax quæ certo & infallibiliter dat velle & operari.

Prob: 1°. ex Apoſt: Phillipp: 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere;* 2°. ex Aug: lib: de prædeſt: SS. c. 8. ubi ſic: *Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippè tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Quæ verba de una gratia efficaci intelligi poſſunt; 3°. ex precibus Eccleſiæ, quæ Deum orat ut etiam rebelles compellat propitius voluntates; 4°. quia Ens ſupremum, ſupremam habet & omnipotentiſſimam humanorum cordium quo voluerit inclinandorum poteſtatem: atqui ea ſic inclinat ope gratiæ efficacis, ergo. Sed de his rurſus infra.

Concl: II. Gratia quantumvis efficax nullam voluntati neceſſitatem imprimit, nequidem mutabilem & relativam. Eſt de fide.

Prob: 1°. ex Scripturis. Eccli: 31. *Potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino:* ſed qui per Dei gratiam ita abſtinuit à malis, ut poſſet ab iis non abſtinere, activam habuit voluntatis indifferentiam, ac proinde ab omni neceſſitate immunis fuit.

I. Corinth: 15. *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum:* atqui liberam voluntatis cooperationem indicant verba hæc, *gratia Dei mecum:* nam longe aliter loquitur Apoſtolus de indeliberatis

concupiſcentiæ motibus quos impedire non poterat; Rom: 7. *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Prob: 2°. ex Trid: Seſſ: 6. can: 4. ubi ſic: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti . . . neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Unde ſic: citato Canone proſcriptus fuit Lutheri & Calvini circa gratiam error: atqui error ille in eo erat, quòd liberam & active indifferentem electionem abjudicarent voluntati: prout tradidêre quotquot ex Orthodoxis adverſus prædictos hæreticos decertàrunt.

Prob: 3°. ex S. Aug: lib: de ſpiritu & lit: c. 34. *Nemo habet in poteſtate quod ei veniat in mentem; ſed conſentire propriæ voluntatis eſt;* & infra: *Profectò & ipſum bonum velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Ex his liquet, juxta S. Aug: voluntatem ſic præveniri & moveri à gratia, ut conſentire vel non conſentire, in humanæ libertatis arbitrio poſitum ſit: id autem dici non poſſet, ſi gratia bene agendi neceſſitatem etiam ſimplicem induceret.

Prob: 4°. duplici ratione theologicâ I. Fide conſtat, bona juſtorum opera, quæ per Dei gratiam fiunt, vere eſſe meritoria; ita Trid: Seſſ: 6. can: 32. atqui non minus certum eſt ex fide Catholica ad merendum requiri immunitatem à neceſſitate, & activam ad utrumlibet indifferentiam, ut patet ex cenſura tertiæ Propoſitionis Janſenianæ, &c.

II. Difficilis ſemper viſa eſt gratia & liberi arbitrii concordia: *Iſta quæſtio,* aït Aug: lib: de grat: Chr: 47. *ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri:* atqui non ea fuiſſet Auguſtino componendæ libertatis cum gratia difficultas, ſi perſuaſum habuiſſet ea quæ voluntarie, etiamſi neceſſario fiant, libere tamen fieri: nihil enim facilius intelligitur, quam quod voluntarium ſtare poſſit cum gratia maxime invincibili, ſicut in amore beatifico & productione Spiritus ſancti ſtat cum neceſſitate omnium maximâ; ergo.

His accedit ſolemnis Clementis XI. Conſtitutio quâ hanc Quenelli propoſitionem confixit inter damnatas n. 10. *Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei,*

quam nihil impedire potest aut retardare. Nempe exprimit ista propositio, gratiæ non posse resisti, quod hæreticum est.

CONCLUSIO III. Efficacia gratiæ non est repetenda á delectatione relative victrici ad sensum Jansenii.

Prob: 1°. ex S. Aug: qui de se ipso sic loquitur lib: 8. Confess: c. 8. *Non faciebam quod incomparabili affectu mihi magis placebat.* Ibi nempe Aug: indubie loquitur de delectatione indeliberata; certissimum enim est, & omnes fatentur, voluntatem semper sequi majorem delectationem deliberatam: atqui diserte testatur S. Præsul, se non fecisse quod sibi multo magis placebat; ergo.

Confirm: ex Serm: 159. cap: 4. & 5. ubi postquam S. Doctor exhibuit intestinam utriusque delectationis pugnam in homine justo, sic pergit: *Decertant in te duæ delectationes, modo interrogo te quid præponas.... præponite delectationem mentis.* Sed qui è gemina delectatione eam quam malit alteri præponere potest, á neutra necessario rapitur; ergo. Et vero passim docet Aug: præsertim autem cap: 5. 6. 12. libri de corr: & grat: & lib: 1. ad Simpl: c. 19. *miris & ineffabilibus, diversis & innumerabilibus modis Deum homines ad se vocare & trahere*; ergo consequenter docet, delectationem indeliberatam unicum non esse pondus ac principium, quo voluntas ad agendum moveatur.

Prob: 2°. quia tria præcipue sunt Janseniani de victrici delectatione systematis fundamenta. Prima, voluntatem non posse moveri sine præviâ delectatione indeliberatâ. Secundum, non esse nisi duos amores, carnalem, qui est vitiosa cupiditas; & cœlestem, qui est laudabilis ac proprie dicta caritas. Tertium, in conflictu duarum delectationum, quæ gradibus superior est, alteram necessario vincere: atqui tria hæc principia sunt & erronea: 1°. falsum est voluntatem non posse moveri absque prævia delectatione indeliberatâ. Hæc enim necessitas vel oriretur ex natura volitionis quæ elici non potest nisi præviâ tali delectatione; vel ex infirmitate voluntatis lapsæ: atqui neutrum dici potest. Non 1. alias enim Adamus indiguit ad peccandum delectatione carnali indeliberatâ; ac proinde expertus est concupiscentiæ motus deordinatos; quod constanti Patrum, ac præsertim Aug: doctrinæ adversatur. Non 2. siquidem remanet in nobis integra ad peccandum libertas quæ fuerat in Adamo; ergo si Adamus sine motu carnali præveniente peccare potuit,

ita & nos; 2°. non esse nisi duos amores, &c. aperte erroneum est; quia hinc necessario sequeretur actus fidei, spei, timoris, &c. absque motivo caritatis, vitiosos esse; nullam proinde esse fidem virtutem Theologicam in peccatoribus: atqui unicam esse virtutem, caritatem scilicet, de quibus jam supra; 3°. quod additur, in pugna duarum delectationum, quæ gradibus superior est, alteram necessario vincere funditus evertit liberum arbitrium; ergo.

Prob: 3°. ex absurdis quæ systema delectationis relative victricis necessario sequuntur: 1°. enim in systemate Jansenii, Adamus non solum potuit peccare, sed & reipsâ peccavit sine ullâ delectatione terrenâ, & contra delectationem gratiæ, quæ non solum superior, sed & in ipso erat; homo vero lapsus jam non potest peccare sine delectatione terrestri præviâ, imo nec cum hujusmodi delectatione, quandiu gratia est aliquo gradu superior: atqui absurdum plane est, quod voluntas per peccatum vitiata, sit minus potens ad peccandum, quàm voluntas hominis innocentis; ergo.

2°. Favet errori Lutheri & Calvini asserentium quemlibet justum in sanctissimis suis operibus venialiter saltem peccare. Enimvero in systemate Janseniano, vel minima gratiæ delectatio semper producit aliquem imperfectum pietatis affectum deliberatum, quæcumque tandem ex adverso pugnet ardentior concupiscentia, ut expresse docet Yprensis, lib: 3. de grat: cap: 27. cum ergo ex mente ejusdem autoris, par sit conditio delectationis terrenæ ad malum, ac delectationis cœlestis ad bonum, consequens istud est, ut vel minima cupiditatis delectatio deliberatum aliquem in malum voluntatis motum excitet, qui non potest non esse peccatum saltem veniale; ergo, &c.

Obj: 1°. Gratia passim ab Aug: dicitur *victrix* & præbens *vires efficacissimas voluntati: à nullo duro corde respui: indeclinabiliter atque insuperabiliter operari*, &c. atqui ista conciliari non possunt cum facultate expeditâ consentiendi vel non consentiendi; ergo. R. his locutionibus tantum adstrui gratiam efficacem, quâ Deus certo & infallibiliter consensum voluntatis elicit, undecumque tandem oriatur illis efficacia; sed nullomodo probari à gratia veram bene agendi necessitatem induci; quamvis enim Deus aget in voluntate efficaciter, tamen velle & nolle, est in libertatis potestate, ut multoties tradit Aug:

Obj: 2°. SS. Patres, præsertimque S. August: cum-

parant gratiam cum opere creationis, eum Incarnatione Verbi, &c. atqui istæ comparationes indigitant gratiam necessario determinantem; ergo. R. SS. Patres his uti comparationibus ad declarandam auxilii divini gratuitatem, non autem ad exponendum ejus operandi modum. Unde Aug: Serm: 15. de verbis Apost: c. 11. *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te.*

Obj: 3°. ea S. Doctoris testimonia quibus affirmat sine delectatione voluntatem nullatenus moveri posse; Sic lib: 1. ad Simplic: q. 2. *Quis animo amplectitur aliquid quod non eum delectat? Aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit?* & paulò pòst: *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animam, moveri nullomodo potest;* ergo. R. hæc & similia S. Doctoris testimonia, non strictè, sed moraliter esse exponenda de eo quod ordinariè fit; ita ut sensus sit, voluntatem nonnisi prævio delectationis motu ut plurimum moveri, licet interdum contingat ipsam aliis motivis determinari. Et vero docet ibid. Aug: Deum *ad se trahere homines variis & ineffabilibus modis, per timorem, dolorem, &c.* ergo per solam delectationem.

Obj: 4°. Gratia efficax delectationis victricis nomine jugiter donatur apud August: puta lib: 2. de peccat. meritis & remiss: c. 19. lib: 2. ad Bonifac: c. 9. ergo. R. dist: ant: est delectatio victrix, relative seu per gradus, N. absolute, subdist: aliquando aut etiam sæpius, C. semper, N.

Obj: 5°. celebr: S. Aug: effatum exposit. in cap: 5. Epist: ad Galat: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est:* atqui paucula hæc totum dant Jansenii systema.

R. 1°. expositionem Epist: ad Gal: ab Aug: adhuc Presbytero scriptam esse, anno scilicet 394. uti testantur Autores novæ editionis Operum S. Aug: porro certum est tunc temporis Semipelagiano errore infectum fuisse Augustinum, prout aperte colligitur ex lib: 1. Retract: c. 23. & lib: de prædest: SS. c. 3. qui ergo fieri potuit ut tunc efficacem Jansenii sensu gratiam tueretur?

R. 2°. dist: quod amplius nos delectet *delectatione deliberata*, secundum id operemur necesse est, *necessitate* scilicet consequente, C. quod amplius delectat *delectatione indeliberatâ*, necessario amplectendum est *ne-*

cessitate antecedente. N. Ut veritas solutionis pateat, paucis hic ex SS. Aug: & Th. exponenda series actuum qui occurrunt cum voluntas ad agendum sese determinat: 1°. in nobis sine nobis excitantur quidam motus, quædam propensiones in objecta ab intellectu proposita. Hi motus sunt ut plurimum quædam *delectationes* eæque *indeliberatæ*; 2°. voluntas eas advertens, aliquam ex illis pro nutu suo approbat; seu in eâ sibi deliberate complacet, sicque ea delectatio fit major & prædominans: En *delectatio deliberata*; 3°. huic deliberatæ complacentiæ accedit electio, seu efficax propositum agendi juxta hanc majorem inclinationem; 4°. subsequitur rationis imperium, seu, ut aliis placet, judicium *practice practicum*, quo mens absolute pronuntiat, ut actio externa hic & nunc fiat juxta electionem: 5°. denique necessario necessitate consequente elicitur actio.

His præmissis, contendimus S. August: loco laudato agere de delectatione deliberatâ; quod quidem multa evincunt. Et 1°. ejusdem scopus. Ibi enim expendit S. Doctor hæc Apostoli verba, *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Probat autem illos spiritu duci, in quibus fructus Spiritus sancti ab Apostolo ibidem recensiti, *caritas, gaudium, pax,* &c. regnat: sed regnum horum fructuum non est nisi liberum: illis enim hominibus in quibus regnant, *major & præpollentior delectatio* (deliberata) *eorum justitiæ est*, ut ait ibid: S. Præsul: id est regnant fructus Spiritus, cum plus nobis libere placet justitia; ergo.

2°. Idem patet ex contentu. Sic enim prosequitur S. Doctor: *Quod amplius nos delectat secundum hoc* OPERAMUR *necesse est.* Ut v. g. *occurrit forma speciosæ feminæ, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc* VIVIMUS, *& secundum hanc* OPERAMUR. Unde sic: Eodem sensu accepit S. Doctor delectationem cœlestem, & carnalem: atqui eo loci delectatio carnalis deliberata est; hanc enim expresse distinguit à motu indeliberato, his verbis, *Movet ad delectationem fornicationis.* Quænam porro est illa delectatio ad quam motus indeliberatus tentationis hominem impellit, nisi ipsemet consensus & libera in actu peccati complacentia? ergo.

Eodem modo exponendum est id S. Doctoris L. 2. de pecc: merit, &c. c. 17. *Nolunt homines facere quod*

justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat: tanto enim quidquam vehementius volumus quanto certius quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius: Ibi enim de delectatione deliberata sermo est. Nam 1°. delectatio de qua ibi agitur est effectus gratiæ, ut aperte declarant ista S. Doct: verba immediate sequentia; *Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est quæ hominem adjuvat voluntate, quâ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo*: atqui talis delectatio profecto deliberata est; 2°. *Tanto magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum & incommutabile bonum. Ut autem diligatur Deus, caritas ejus diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, inquit ibidem S. Doct: Sed delectatio quæ est ab amore Dei, & caritate diffusâ in cordibus nostris per Spiritum sanctum, sane est delectatio deliberata; ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

De variis circa Gratiam Theologorum Systematibus.

QUinque potissimum sunt circa modum operandi gratiæ Theologorum systemata. I. Thomistarum. II. Augustinianorum. III. Molinæ. IV. Congruistarum V. denique Thomassini. De his breviter dicendum.

Thomistæ.

Duplex potissimum gratia distinguitur à Thomistis. Alia excitans & sufficiens, quæ voluntatem excitat, eique vires vere ac relative sufficientes subministrat, ut velle & operari possit, quamvis illa potentia nusquam ad actum reducatur, nisi aliud accedat ex parte Dei efficax ac physice præmovens auxilium: Alia efficax seu adjuvans, quæ liberum voluntatis consensum naturâ antecedit, illiusque causa est voluntatem ad actum physice applicando. Gratiam hanc physice præmoventem dicunt Thomistæ ad agendum necessariam in quolibet statu, *titulo dependentiæ*, in præsenti verò naturæ lapsæ statu, insuper & *titulo infirmitatis*: non quod citra gratiam hanc nullæ sint in voluntate vires operi exequendo proportionatæ: omnes enim ad unum Thomistæ contendunt, *per solum sufficiens auxilium compleri omnino potentiam, ita ut nihil omnino desit quod ad potentiam in ratione potentiæ pertineat;* quia etsi sanetur voluntas ope gratiæ sufficientis, nihilominus tamen propter carnis infirmitatem, perpetuamque ejus cum

Massoulié.

ſpiritu pugnam, ſummam patitur ad bonum ſupernaturale difficultatem, quam perfecte quidem poteſt vincere, ſed nuſquam vincit de facto, niſi acceſſerit auxilium efficax: adeo ut etſi neceſſarium non foret auxilium illud titulo dependentiæ, adhuc tamen foret neceſſarium propter dictam infirmitatem.

Quænam autem ſit gratiæ illius phyſice præmoventis natura, diſſentiunt Thomiſtæ. Longe communior ſententia docet, auxilium illud eſſe virtuoſam Dei motionem, quâ voluntas ad actum applicatur: motus autem ille à Deo voluntati impreſſus, inquiunt, vim quamdam ſingularem habet, & eſt divinæ omnipotentiæ participatio, vi cujus elevatur & perficitur humana voluntas, & ſupernaturaliter & libere operetur.

Thomiſtæ ſui totius ſyſtematis fundamentum præcipue repetunt ex rationibus cauſæ primæ & primi motoris: Deus ut cauſa prima debet influere in omnes actiones creaturarum; nec ſinit illius dignitas ut determinationem à cauſa ſecunda, id eſt à creatura ſua expectet; reſtat ergo ut prima cauſa ſecundam determinet ac applicet ad agendum. Atque hinc colligunt Thomiſtæ.

1°. In quocumque ſtatu, & ad quaſcumque actiones neceſſariam fuiſſe & eſſe Dei præmotionem; quæ quidem, ubi agitur de operibus naturalibus, appellatur, *prædeterminatio phyſica*: ubi vero de opere ſupernaturali, *gratia per ſe efficax*. Unde ſequitur, nullum quoad gratiæ efficaciam diſcrimen occurrere inter gratiam utriuſque ſtatus, innocentis nimirum, & lapſæ naturæ. Atque ideo gratiam efficacem ad opera neceſſariam, Adamo & Angelis, cum primum peccaverunt, fuiſſe denegatam. Et rurſus prædeſtinationem fuiſſe tunc ante præviſa merita, &c.

2°. Colligunt præſcientiam boni operis ex gratia conſecuturi in decreto efficaci, abſoluto & antecedente ejusdem gratiæ concedendæ: præſcientiam vero mali operis in decreto permiſſivo, quo ſcilicet Deus juſto judicio decernit non dare auxilium efficax iis quibus tale auxilium omnino neceſſarium eſt ad peccatum vitandum. Unde Deus illos videt in bonis perſeveraturos; iſtos vero in malo.

In hoc ſyſtemate recte intelligitur, 1°. omnipotentia illa quâ Deus hominum corda inclinat quocumque voluerit; 2°. & certitudo ſcientiæ divinæ. Tanta enim eſt connexio inter abſolutum Dei decretum & liberum creaturæ actum, ut major dari non poſſit: unde cum

illud decretum sit medium scientiæ divinæ, summa & metaphysica est illius certitudo. Verum non ita facile capitur libertatis conciliatio cum gratia. At id sibi in bonum vertunt Thomistæ: cum ipse gratiæ Doctor August: se hac difficultate plurimum premi diserte testetur lib: 2. de peccat. meritis & remiss: c. 18. his verbis: *Ipsa etiam ratio quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, nec sic defendamus gratiam ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superbâ impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.*

Augustiniani.

Nomine Augustinianorum intelliguntur ii qui gratiam, non quidem relative & per gradus; sed absolute & *ex natura sua* moraliter efficacem propugnant. Hi autem, 1°. distinguunt inter opera naturalia: item inter statum naturæ innocentis, & naturæ lapsæ; 2°. volunt creaturas liberas in quovis statu ad singulas actiones naturales actuali Dei concursu indigere, eoque non prævio ac physice determinante, sed simultaneo & indifferenti: 3°. quoad opera supernaturalia creaturas easdem in quolibet statu indigere speciali ac supernaturali actualis gratiæ adjutorio. Versatili quidem in statu naturæ innocentis ubi nulla fuêre decreta absoluta, nulla prædestinatio ad gloriam ante prævisa merita, nulla reprobatio nisi ex prævisis actualibus peccatis. At de se efficaci ad singula præsentis statûs opera supernaturalia, idque propter humanæ voluntatis infirmitatem: 4°. efficacis hujus gratiæ naturam ut plurimum sitam esse contendunt in suavitate & delectatione, non quidem per gradus, sed simpliciter & absolute victrici, per quam Deus liberrime, sed certo, moraliter tamen, non physice, ad bonum inflectit. Dixi, *ut plurimum*; ultra enim fatemur cum S. Aug: *miris & ineffabilibus modis Deum homines ad se vocare & trahere*: 5°. præter hanc gratiam efficacem, aliam agnoscunt, quæ dat voluntati satis virium, ut vere possit mediate vel immediate opera pietatis exercere, quæque tamen nusquam suum consequitur effectum, nisi accesserit uberius gratiæ efficacis auxilium. Hoc tribuit Deus in quos efficaciter vocare decernit: cæteris autem pro loco & tempore sufficientem gratiam largitur.

In illo systemate admittenda sunt, 1°. absoluta & de se efficacia quoad actus supernaturales decreta, in quibus fundatur futurorum hujusmodi operum præscientia; 2°. prædestinatio omnino gratuita; 3°. repro-

batio positiva propter actualia cujuslibet peccata, negativa vero ex sola peccati originalis prævisione.

Ex his facile colliges, Augustinianos pro statu naturæ lapsæ accedere ad Thomistas, & pro statu naturæ innocentis Molinæ placitis consentire.

Plerique præfatum systema emollire tentârunt, inde dicti molliores Augustiniani. Distinguunt illi inter opera facilia & difficilia: gratiam *à se* efficacem non requirunt nisi pro operibus arduis; pro facilibus vero, orationis præsertim, gratiam versatilem ita proxime sufficere contendunt, ut suum quandoque sortiatur effectum absque uberiori auxilio. Ita Card: Norisius, Thomassin, &c. Hanc ætate suâ communem fuisse Scholæ Sorbonicæ doctrinam testatur Habertus Vabrensis Episcopus, in opere cui titulus: *Theologia Græcorum Patrum*, lib: 2 cap: 15. n. 2. & 3.

Molina. Molina omnem gratiam *per se & ab intrinseco* efficacem, tamquam libertati prorsus inimicam explodit; docetque in quolibet statu omnem gratiam actualem prout à Deo venit, hoc unum voluntati tribuere, ut vere hic & nunc operari possit, ita ut gratia efficax reddatur, si eâ uti velimus, inefficax, si nolimus. Unde in eo systemate, 1°. gratia sufficiens & efficax naturâ & entitate à se invicem non distinguuntur: gratia efficax nihil ex parte sui includit, quod inefficax, & mere sufficiens non includat; sed eadem omnino, modo efficax est, modo inefficax prout voluntas ei consentit vel resistit; imo minor gratia quandoque est efficax, majus vero & intensius auxilium inefficax.

Neque tamen vult Molina gratiam ex humanæ voluntatis consensu reddi efficacem, quasi consensus vim aliquam gratiæ tribuat, illamque reddat efficacem in actu primo; omnem enim gratiæ vim à solo Deo proficisci ultro fatetur: sed hoc unum duntaxat intendit, consensum illum ut *hic & nunc* ponatur, à sola voluntate tanquam à causâ gratiam determinante pendere, eo fere modo quo Sacramenta signa sunt ex se practica & in actu primo efficacia gratiæ; attamen ex suscipientium dispositionibus, tanquam à conditione, quam non inferunt sed supponunt, omnino pendet; ut sint in actu secundo efficacia, gratiamque reipsa producant.

Rursus cum docet Molina, penes voluntatem esse *absque novo ex parte Dei auxilio* gratiam sufficientem reddere efficacem, id non debet intelligi de auxilio *qualicumque*, sed de *uberiori* duntaxat ac *prævio*. Duplex quippe in systemate Molinæ intervenit Dei actio

ſeu phyſicus influxus quando voluntas gratiæ conſentit. Primus eſt ipſamet gratia præveniens, ſeu motus indeliberati piæ cogitationis in mente, ac piæ motionis in voluntate, quibus moraliter allicitur ad conſenſum: ſecundus eſt concurſus ſupernaturalis quo Deus efficienter agit cum voluntate, ipſumque conſenſum phyſice producit. Unde infert Molina, Deum eſſe cauſam primam & præcipuam cujuſcumque actionis ſupernaturalis, quia ad eam duplici modo influit: 1. per gratiam prævenientem quæ vires voluntati tribuit; 2°. per gratiam cooperantem, ſeu concurſum qui adjuvat ad actum perficiendum. Influxus porro ille ſeu concurſus mere ſimultaneus eſt, hinc differt à Thomiſtico, qui naturâ & cauſalitate prævius eſt. Sic ergo progreditur Molinæ ſyſtema.

1°. Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ videt quidquid poſſibile eſt: infinitos proinde rerum ordines.

2°. Per ſcientiam mediam certo videt quid in unoquoque ex his ordinibus creata voluntas pro ſuâ innata libertate actura, ſi hæc vel illa conferantur ipſi gratiæ auxilia.

3°. Eum eligit ordinem qui ab initio mundi extitit & etiam tunc ex parte ſtat.

4°. Angelos & homines vult ſalvare voluntate antecedente & conditionatâ hâc unâ conditione, ut ipſi velint.

5°. Ad ſalutem iſtam conſequendam neceſſaria gratiæ auxilia iis omnibus abunde confert.

6°. Gratia illa Angelis & hominibus in ſtatu innocentiæ conceſſa, non fuit *à ſe* & *ab intrinſeco* efficax ſed fuit, ut aïunt, *verſatilis*, ſeu efficax *ab eventu*. Unde nullum, quoad gratiæ efficaciam diſcrimen, inter auxilia utriusque ſtatûs: nulla decreta abſoluta, ex ſe efficacia, antecedentia liberam voluntatis creatæ determinationem.

7°. Poſteros Adæ irâ licet & ſuppliciis digniſſimos vult Deus ſalvare voluntate antecedente, generali & conditionatâ, ſi nempe ipſi velint, aut non obſtet ordo cauſarum naturalium. Hæc autem voluntas, vera eſt, ſincera & actuoſa, ex qua Chriſtus deſtinatus eſt univerſo generi humano ſalvator, ſicque omnibus conceſſa, aut ſaltem præparata ſufficientiſſima gratiæ auxilia.

8°. Ope ſcientiæ mediæ ſeu conditionatorum certo conſpicit Deus, quinam in præſenti rerum ordine bene

usuri sint libero arbitrio, & quinam male, si hæc aut alia gratia ipsis conferatur.

9° Decreto absoluto statuit has & illas ipsis gratias largiri, quas postea habuerunt. Quod si velit aliquem efficaciter convertere ac in bonis perseverare, ipsi has & alias gratias cum quibus consensurus & in bonis perseveraturus præcognoscitur, conferre decernit.

10°. Per scientiam visionis decretum illud supponentem, omnia ordinis supernaturalis opera novit: ac proinde videt quinam bonum operaturi & perseveraturi usque in finem vitæ, quinam non sint perseveraturi.

Ex his facile intelligitur, 1°. Molinæ circa gratiam systema, Thomistico systemati omni ex parte adversari; Augustiniano vero quoad hunc duntaxat naturæ lapsæ statum; 2°. in eo recte stare voluntatem Dei salvandi omnes homines; Deus enim omnibus largitur sufficientissima ad salutem auxilia; 3°. nullo negotio conciliari libertatem cum gratiâ & decretis divinis: tum quia voluntas creata gratiam determinat ut hic & nunc influat in opus, & non vice versâ; tum quia decreta in dicto systemate liberam voluntatis determinationem nec præcedunt nec inferunt, sed præscitam supponunt; 4°. illæsâ remanente hujus systematis substantiâ, admitti posse prædestinationem ad gloriam ante vel post prævisa merita. Deus enim nihil absolute decernit circa liberas voluntatis actiones, nisi prius exploraverit quam in his vel illis circumstantiis, sub hâc vel illâ gratiâ, sese determinatura sit: hoc autem semel supposito, parum refert, utrum efficaciter Deus intendat prius gloriam quam gratiam, aut gratiam prius quam gloriam; aut unico & simplicissimo actu velit simul gloriam & seriem mediorum quæ ad illam conducunt

Hic duo notanda, 1°. in hoc systemate non omnino tolli à mysterio Prædestinationis difficultatem: cur enim Deus talem in his vel illis circumstantiis constituat, cur illi det vel deneget ea gratiæ auxilia quibus videt consensurum vel perseveraturum, pendet à sola ipsius voluntate, & inscrutabili judicio; 2° etsi systema illud nobis non probetur propter rationes infra deducendas: eorum tamen ferri non debere temeritatem qui spreto solemni Sedis Apostolicæ judicio, non verentur Semipelagianismi notam ei inurere. Audiatur Natalis Alex. Hist: Eccles: seculo 5. c. 3. art: 3. ubi sic: *Qui opiniones ab Ecclesia minime damnatas, &*

in ejus ſinu à Theologis impune impugnari ſolitas, temerariis cenſuris inurunt, & male conceptis parallelis doctrinæ Moliniſticæ cum Pelagianis & Semipelagianis erroribus, veritatem lædunt, violant caritatem, pacem Eccleſiæ perturbant. Idem ſyſtema contra Juriæi criminationes vindicat Ill. Boſſuetus.

Congruiſtæ.

Suarez Molinæ circa gratiam ſyſtema paulo aliter adornavit: aſſerit ſcilicet gratiam tunc efficacem eſſe quando voluntati congrua eſt. Eſt autem duplex diſtinguenda congruitas: *intrinſeca*, quæ duſumitur ex interna gratiæ vi antecedenter ad prævifum per ſcientiam conditionatorum voluntatis conſenſum; & gratia hoc ſenſu congrua, ipſiſſima eſt gratia *ex ſe* & *ab intrinſeco* efficax. Et *extrinſeca*, quæ in eo conſiſtit quod gratia hominis genio & diſpoſitionibus ſit attemperata, quodque Deus eo loco, eo tempore, iiſque in circumſtantiis eam largiatur, in quibus per ſcientiam mediam prævidet humanam voluntatem ei conſenſuram. In hac extrinſeca congruitate, efficaciam reponunt Suarez, Vaſquez, hinc dicti Congruiſtæ.

Ut autem innoteſcat in quo cum Molinâ conſentiant, & in quo ab ipſo diſſideant, exhibendus eſt decretorum ordo, juxta quem cuncta diſponunt in negotio ſalutis. Is autem ſic habet: 1°. Deus priori rationis inſtanti, ex infinitis rerum ordinibus qui eſſe potuerunt eum libere elegit in quo nunc verſamur; 2°. Deus creaturas omnes liberas in hoc ordine futuras ad beatitudinem ordinat, vultque ſincere earum ſalutem voluntate antecedente & conditionatâ: & primo quidem ſub una conditione, ſi nempe ipſæ velint; deinde poſt prævifum Adami peccatum, ſub alia duplici conditione, nempe, ſi non obſtet ordo & curſus cauſarum naturalium, aut aliorum hominum negligentia, malitia, &c. 3°. ſtatuit omnibus largiri auxilia ad ſalutem ſufficientia; 4°. per ſcientiam mediam noſcit quid eorum unaquæque in ſingulis circumſtantiis ſit actura, ſi hæc aut illa gratia ipſi conferatur; 5°. poſitâ hâc conditionatorum ſcientiâ, quaſdam pro ſuo beneplacito & peculiari in eos effectus ſeligit decreto abſoluto; 6°. iiſdem ſic electis, non item aliis, deſtinat hanc gratiarum congrua um ſeriem, cum quâ certiſſime ſunt in bono perſeveraturæ: 7°. per ſcientiam viſionis cognoſcit quænam ſint ſalvandæ, quænam non.

Et Congruiſtarum ſyſtema, in quo, ut patet, 1°. eadem omnino eſt natura & entitas gratiæ tum effi-

cacis tum sufficientis quæ solâ congruitate differunt: efficax tamen sufficiente semper major est in ratione beneficii, eo quod illa non ista opportunis in circumstantiis conferatur; eodem fermè modo quo gladius datus alicui tempore pacis & tempore belli; realiter idem gladius est, attamen in ratione doni melior & utilior censetur tempore belli, quam tempore pacis.

2°. In eodem systemate gratia sufficiens completam confert bene agendi potentiam, non dat tamen operari, utpote non congrua: hujus antem inefficaciæ causa nec in Deum refundenda est, qui gratiam eo animo concedit ut operetur; nec in ipsam gratiam quæ voluntati vires debellandæ hic & nunc concupiscentiæ idoneas subministrat; sed humanæ voluntati unice tribuenda est, quæ cum illa sufficiente gratiâ bonum velle & operari potest: *Quamvis enim*, inquit Suarez lib: 4. de grat: cap: 4. *in potestate hominis non sit facere, ut Deus ipsi tribuat vocationem quam prævidet futuram esse congruam, in ipsius tamen potestate est, ut vocatio sufficiens, quæ illi datur, sit congrua.*

3°. Congruistæ cum Molinâ consentiunt in eo quod caput est, nempe gratiam efficacem naturâ & virtute non distingui à sufficiente; unde omnem gratiam *ab intrinseco* efficacem, ut libertatis inimicam, explodunt; ast ab illo discrepant, quod gratiæ efficaciam in quadam congruitate, sensu mox exposito, constituant: Molina e contra illam à solo eventu repetat.

Præterea Congruistæ omnes, specialem, absolutum & antecedentem Dei erga electos affectum agnoscunt. An autem affectus ille primo sit ad gloriam, postea ad certam gratiarum congruarum seriem & merita; an e contra, primo ad gratias congruas & bona opera, deinde ad gloriam, scinduntur in varias partes.

Thomassinus. Docet pius æque & eruditus Thomassinus, 1°. *ineluctabilem vim gratiæ victricis consistere in multitudine, varietate, consonantiâ & conspiratione plurium auxiliorum, interiorum exteriorumque, quorum singula seorsim frustrari possunt, quin & frustrantur quandoque per libertatis humanæ contumacem dissensum; at universa obstinatissimos quosque fatigant tandem, & multitudine, conspiratione, indefessâ oppugnatione suâ ad assensum tandem pertrahunt.*

2°. Auxiliis illis omnibus, moraliter, non physice prædeterminari hominum voluntates, ac invictissime inflecti quocumque Deus voluerit: hæcque moralis prædeterminatio, inquit, æque est infallibilis, ac si physica esset.

3°. His gratiæ auxiliis posse resisti, singulis, non universis: quo ferme modo potest justus singula declinare peccata venialia, non omnia.

4°. Concludit ad explicandam vim & efficaciam gratiæ recurrendum non esse ad exploratricem conditionatorum scientiam; sed ad id desiderari sapientiam duntaxat & infinitam Dei potestatem, cui ad manum sunt innumerabilia adminicula quibus quo voluerit hominum voluntates ducere, & unde voluerit retrahere potest.

Præter memoratas hucusque circa gratiæ efficaciam Scholæ opiniones; est & alia, quæ crescit in dies, eorum scilicet qui cum videant adductas opiniones vel non satis dignas ex parte Dei; vel minus tute ex parte libertatis humanæ; vel nimis arctè nec satis adæquate ex parte ipsius gratiæ, ejusdem efficaciam exponere: malunt candide suam eâ de re profiteri ignorantiam, totamque vim gratiæ reponere in virtute supernaturali nobis prorsus incognitâ, quæ ex omnipotentissima Dei voluntate habet, ut voluntatem libere quidem, sed infallibiliter ad bonum determinet.

Ceterum nemini privato licet ullam ex dictis opinionibus, quas Ecclesia tolerat nec improbat, aliquâ censuræ notâ perstringere: ex earum quippe numero sunt in quibus, ut aït Aug: *salvâ fide quâ Christiani sumus ab invicem dissentire licet;* sit jam.

CONCL: I. Efficacia gratiæ non est repetenda a cooperatione voluntatis humanæ.

Prob: 1°. iis omnibus Scripturæ, SS. Patrum testimoniis, necnon rationum momentis quibus in seq: Concl: utemur: hæc enim si Suaresii opinionem, quæ multo plus omnipotentiæ divinæ consulere videtur, solide impugnant; à fortiori Molinæ systema convellunt.

Prob: 2°. quia Bellarminus ipse Molinæ sententiam tacito Autoris nomine referens, non dubitavit scribere illam esse omnino alienam à sententia S. Aug: & sacræ Scripturæ: *Prima opinio,* inquit lib: 1. de grat: & lib: arb: c. 12. *eorum est qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humanâ, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax,* &c. *Hæc opinio aliena est omnino a sententia S. August: & quantum ego existimo, à sententia etiam Scripturarum divinarum.* Quin & Tanneius, ejusdem cum Molinâ Societatis Theologus refert illam fuisse peculiari decreto præpositi genera-

lis ejusdem Societatis improbatam ac doceri prohibitam die 14. Decembris an: 1613.

Prob: 3°. quia in hac opinione homo prima est discretionis suæ radix, uti fuse satis probavimus in Tract: de Attrib: p. 144.

CONCL: II. Efficacia gratiæ non est repetenda ex convenientia & attemperatione illius ad circumstantias, prout illæ subjacent scientiæ mediæ.

Prob: 1°. quia Scripturæ dum gratiæ efficaciam explicant, recurrunt ad omnipotentiam Dei, non autem ad ejusmodi congruitatem. Proverb: 21. *Cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit flectet illud*: Ezech: 11. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis* ibid: c. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestrâ, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestrî, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Unde sic; cor lapideum, ex Aug: est cor durum, male affectum, pessime dispositum: atqui tamen cor illud pro suprema sua potestate Deus illico immutat, in carneum convertit, minime expectatis congruis circumstantiis. Sic cap: 15. Libri Esther cor Regis Assueri transtulit in mansuetudinem: Lucæ 7. peccatricem convertit: Act: 9. Saulum minarum & cædis in discipulos spirantem, ac proinde in circumstantiis omnium maxime incongruis, unâ voce convertit; ergo.

Prob: 2°. dictus modus exponendi efficaciam gratiæ repugnat D. August: sic enim loquitur S. Doctor, L. 1. ad Simplic: c. 19. *Traditur homo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in hominum cordibus operari, non ut nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Et lib: de corr: & grat: cap: 14. *Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium; sic enim velle aut nolle in volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et rursus ibidem: *Deus de hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit; habet enim humanorum cordium sine dubio quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem;* sed qui corda etiamsi hactenus nolentia, quo vult ducit, & cum vult convertit, is profecto circumstantiarum congruentiâ non indiget, sed solâ suâ *omnipotentissimâ potestate;* ergo.

Prob: 3°. Si gratia ex eo tantum supponatur efficax, quod congruis tempore, loco & circumstantiis detur, atque hominis ingenio & affectibus congruat, Deus hominem certo convertere non posset quovis tempore, quovis in locô, & in quibuscumque circum-

ſtantiis: atqui id & aperte falſum eſt, & ſupremæ Dei omnipotentiæ injurioſum. Prob: min: 1°. ex S. Auguſt: Enchir: c. 93. ubi ſic: *Quis tam impie deſipiat, ne dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non poſſe convertere?* 2°. ex S. Proſp: Carmine de ingratis cap: 16.

At vero omnipotens hominem cum gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velit: non moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur illis.

Quo in loco expreſſe tradit S. Doctor, gratiam efficacem ſuum certo ſortiri effectum independenter à quocumque loco, tempore, aliiſque circumſtantiis: 3°. idem colligitur ex idea Entis omnipotentis: huic enim ſupremum eſt, ac eſſentiale in creaturas dominium, magiſque habet in poteſtate ſuâ voluntates hominum, quam ipſi ſuas, ſicuti docet Auguſt: c. 14. libri de corr: & grat. ergo.

Prob: 4°. quia ſententia hæc in rei veritate omnino recidit in ſententiam Molinæ, quam tamen abijcere videntur Suareſiani. Prob: 1°. quia in opinione illa gratia eſt efficax quia congrua: ſed gratia eſt congrua ex circumſtantiis, inter quas una e præcipuis eſt nativa hominis indoles; ergo eſt efficax ab homine; 2°. congruiſtæ negant gratiam habere effectum prout à Deo venit; ergo admittunt gratiam fieri efficacem ab humana voluntate: nec enim ullum medium eſt inter utramque ſententiam; ſicque in loquendi modo potius quam in re ipſa à Molina diſcrepant Congruiſtæ.

Obj: S. Aug: lib: 1 Simplic: q. 2. efficaciam gratiæ exponit per congruitatem illius: ait enim S. Doctor, *illos electos eſſe, qui congruenter vocati ſunt.* Addit ibid: *Deum eorum miſereri, quos ita vocat quomodo iis aptum eſt,* (hoc eſt congruum) *ut ſequatur.* Et rurſus, *Deum ſic vocare, quomodo ſcit congruere ut vocantem non reſpuat:* atqui hæc apertiſſima ſunt in gratiam congruitatis; ergo.

R. diſt: ant: S. Aug: explicat gratiæ efficaciam per congruitatem *intrinſecam,* quæque derivetur à voluntate Dei tanquam à prima cauſa, C. per congruitatem *extrinſecam,* quæ derivetur à voluntate humana per ſcientiam mediam, N. Ita exponenda eſſe S. Doctoris verba conſtat ex ipſo loco qui objicitur: Gratia enim congrua ad ſenſum Suareſii, ea eſt quæ homi-

nem delectat, eidemque placet: atqui quod gratia hominem delectet, ideoque ipsi placeat, non habetur ex hominis genio, variisque affectibus: sed ex ipsa gratia, ut ibidem diserte testatur S. Doctor, his verbis: *Quis autem animo amplectitur quod eum non delectat? aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrit? Cum ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industriâ aut operum meritis comparatur*; ergo.

Confirm. ex eodem Aug: Hom: 23. inter 50. ubi Deum sic loquentem inducit: *Adulter non fuisti in illa vita tua præterita plena ignorantiâ, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens.... Hoc dicit tibi Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeret: suasor defuit, & ut suasor deesset ego feci; locus & tempus defuit, ut hæc deessent ego feci. Affuit suasor non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes & quod non admisisti.* Unde sic 1°. Loci & temporis oportunitas, suasoris ad crimen invitantis consilia, non sunt circumstantiæ divinæ gratiæ in bonum moventi congruæ: atqui tamen gratia tunc fuit efficax; ergo. 2°. Gratia congrua ea est quæ eo momento & in iis circumstantiis datur, in quibus absunt impedimenta obstantia ne suum sortiatur effectum, uti docet Vasquez 1. p. disp: 98. sed in dicto casu aderant impedimenta, scilicet tempus, locus, occasio, suasor; ergo.

Conclusio III. Gratiæ efficacia reponenda non est in multitudine, varietate & conspiratione plurium auxiliorum.

Prob: 1°. In hac opinione, nullum datur singulare gratiæ auxilium certo efficax: omnis quippe ejus virtus infallibilis oritur ex conjunctione quam habet cum aliis auxiliis: atqui in doctrina S. Aug: certum est dari aliquod singulare gratiæ auxilium infallibiliter efficax; idque unanimi consensu tradunt Theologi.

2°. In eodem systemate impossibilis videtur instantanea peccatoris obdurati conversio: neque comprehendi potest, qui fieri possit ut Deus accumulatis gratiis conversionem peccatoris certo operetur, si nulla possit assignari gratia in particulari quæ suo quandoque non frustretur effectu: uno verbo vel Deus unicâ gratiâ potest cor peccatoris certo flectere, vel re-

ſte negari poteſt aggregatione gratiarum peccatorem certo converti.

CONCL: IV. Infallibilis efficacia gratiæ *unice & adæquatè* repetenda non eſt ex interna ſuavitate ac victrice ejus delectatione.

Prob: Ut gratiæ efficacitas non unice repetatur à delectatione victrici, ſufficit ut gratia non ſemper alliciat ſuavitate, ſed identidem mentes ſancto terrore ad bonum determinet: atqui rem ſic ſe habere conſtat, tum experientiâ, tum ex dictis ſupra, & inferius dicendis.

CONCLUSIO V. Efficacia gratiæ non eſt repetenda ex præmotione phyſica ad ſenſum Thomiſtarum.

Probant plures, 1°. quia gratia phyſice præmovens ægre admodum cum libertate cohærere videtur. Quod enim antecedit omnem prorſus voluntatis determinationem; quodque cum ipſius volitione connexionem habet metaphyſice certam, illud eo ipſo videtur deſtruere libertatem: atqui gratia phyſice præmovens ad ſingulos pietatis actus eſt hujuſmodi 1°. determinationem voluntatis antecedit, eam enim infert ac phyſice efficit; 2°. metaphyſicam habet cum eadem determinatione connexionem; in ipſa enim ſeu potius in decreto dandæ hujuſmodi præmotionis fundatur ſcientia divina metaphyſice certa; ergo.

Equidem, inquiunt Thomiſtæ, cauſa perfectiſſima debet effectum producere eo modo quo vult, ſed quæſtio eſt, num iſtud poſſit ope cujuslibet inſtrumenti etiam directe oppoſiti huic modo ſecundum quem vult effectum elicere: porro præmotio phyſica ſenſu expoſito videtur eſſe inſtrumentum directe adverſum modo agendi libero; ergo: Etſi igitur poſito Thomiſtarum principio ſalvetur libertas, nihilominus tamen principium ipſum remanet non ſatis intelligibile.

Prob: 2°. ex S. Aug: magnum eſt diſcrimen inter gratiam utriuſque ſtatûs; cum hæc in ſtatu innocentiæ fuerit auxilium *ſine quo*, &c. atqui in ſyſtemate Thomiſtico, ſecundum quod gratia phyſice præmovens in omni actu neceſſaria eſt, corruit diſcrimen illud; ergo

Prob: 3°. ex celebri textu Matt: 11. 21. *Væ tibi Corozaïn*, &c. quod argumentum fuſe expendimus in Tract: de Attributis, q. 5. art: 3. p. 139.

CONCLUSIO VI. Gratia miris ac innumerabilibus modis operatur: quomodo autem operetur, certo definiri non potest.

Prob: 1. pars, 1°. ex S. Aug: Lib: de corr: & gratiâ, c. 5. ubi sic: *Quare isti sic, alii aliter, atque alii aliter, diversis & innumerabilibus modis vocentur ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere sed figuli.* Idem declarat lib: de prædest: SS. c. 20. ergo.

Prob: 2°. ex S. Prospero, lib: contra Collat: cap: 7. ubi graphice depingens multiplices modos quibus Deus peccatores ad se vocat, *Trahit timor*, inquit, *principium enim sapientiæ timor Domini. Trahit lætitia; quoniam lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Trahit desiderium; quoniam concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes; quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Et quis perspicere aut enarrare possit per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum?* ubi multiformem esse Dei suasionem clare significat S. Doctor.

Prob: 2. pars: efficacitas gratiæ hactenus repetita est vel à consensu voluntatis, vel à decretis prædeterminantibus, &c. atqui varia hæc systemata, etsi omnia pene gravibus fulciuntur momentis, tot tamen tantisque difficultatibus patent, ut in his pedem certo figere nemo possit; ergo satis est cum Psalte Regio exclamare, *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam*, quam *cæteris minorem consiliis animum fatigare.*

Saltem, inquies, plus ad verum accedunt, qui gratiam pro arduis intrinsece efficacem, in facilibus vero tantum versatilem admittunt. R. sic equidem elevari difficultates nonnullas; cum enim in eo systemate admittatur gratia ex se & ab intrinseco efficax, optime intelligitur humanorum cordium quo voluerit, ubi voluerit, quomodo voluerit inclinandorum omnipotentissima Dei potestas, quod in Molinæ systemate vix potest explicari: cum autem additur gratiam illam efficacem non ad omnia pietatis opera, sed ad difficiliora duntaxat necessariam esse, facile concipitur (quod Thomistas & Augustinianos plurimum torquet) quomodo vere reus sit & inexcusabilis justus cum primum peccat; qui penes ipsum erat auxilium efficax advocare. Verum his demptis recurrunt universæ non unius tantum, sed geminis systematis difficultates.

Insistes: ergo operæ pretium est, ut argumenta, quibus se tuentur Thomistæ & alii, excutiamus.

R. Id nobis necessum non esse, quia prædictas opiniones non rejicimus ut absolutè falsas: de hoc enim penès Deum aut Scholæ Duces judicium esse volumus; sed uti adeò difficiles, & ex difficultate incertas, ut nulla sit cui mens inniti placidè possit.

QUÆSTIO SEXTA,

De Gratia habituali.

EX dictis q. 2. constat, gratiam habitualem, quæ & sanctificans seu justificans appellatur, esse supernaturale Dei donum animæ permanenter inhærens, per quod homo formaliter efficitur justus, Deo gratus, & divinæ consors naturæ. De nobiliori hâc gratiæ specie quædam inquiruntur. Unde.

Quæres 1°. an gratia habitualis realiter distinguatur à caritate. Affirmant cum Magistro suo Thomistæ: & id probant, 1°. ex Scripturis, quæ de gratia & caritate tanquam de rebus distinctis loquuntur, II. Cor: 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, ...* 2°. ex Trid. Sess. 6 Can. 11. ubi sic: *Si quis dixerit hominem justificari .... exclusâ gratiâ, & caritate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhæreat, anathema sit;* quo in loco, gratia à caritate distinguitur; 3°. quia caritas, utpotè virtus per se disponens ad operationes supernaturales & præstantissimas, debet supponere hominem in esse divino & supernaturali constitutum: atqui quod antecedenter ad caritatem, hominem in esse supernaturali constituitur, nihil aliud esse potest quàm gratia sanctificans, per quam efficimur divinæ consortes naturæ; ergo.

Dices: Srciptura & Patres eosdem effectus gratiæ & caritati tribuunt; putà hominem per utramque justificari, filium Dei fieri, &c. ergo. R. eosdem effectus tribui gratiæ sanctificanti & caritati, propter necessariam utriusque connexionem, non quia eadem sit utriusque essentia. Sic Apostolus I. Corinth. 13. patientiæ, benignitatis, & aliarum virtutum effectus caritati tribuit, dicens: *Caritas patiens est, benigna est, &c.* atqui tamen caritas à patientia, benignitate, aliisque virtutibus reipsâ distinguitur; ergo.

Quæres 2°. an, & quæ virtutes infundantur cum gratia habituali.

R. 1°. cum Trid. Seff. 6. c. 7. *In Justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & caritatem.*

R. 2°. infundi pariter omnes virtutes morales ordinis supernaturalis. Ità communiter Theologi post S. Thom. 1. 2. q. 63. & 65. idipsum docet Catechismus Rom. qui inter effectus Baptismi numerat *nobilissimum omnium virtutum commitatum, quæ in anima simul cum gratia infunduntur.* Et verò id experientiâ compertum est, multi enim post conversionem, etsi gravibus tentationibus pulsati, mente tamen condelectantur legi Dei & ad divina piè se affectos sentiunt.

R. 3°. omnia etiam dona Spiritûs Sancti infundi in justificatione. Ratio est, quia dùm justificatur homo, inseritur Christo tanquam membrum capiti, ut spiritu ejus vivat & regatur, juxta id Rom. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus;* justus ergo debet disponi ad accipiendas omnes motiones Spiritûs Sancti: disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias verò per dona. Ità S. Th. 1. 2. q. 68. a. 2.

Quæres 3°. quinam sint gratiæ habitualis effectus. R. hos esse: 1°. gratia sanctificans, omnia etiam gravissima peccata, quibus non minùs opponitur quàm lux tenebris, statim expellit ac delet. Psalm. 5. *Omnes iniquitates meas dele;* 2°. corda eorum in quibus diffunditur sic innovat, ut ex impiis efficiat pios ac sanctos; juxtà illud I. Cor. 6. *Et hæc fuistis; sed abluti estis; sed sanctificati estis, sed justificati estis;* 3°. per illam fiunt homines *divinæ naturæ consortes*, uti declarat S. Petrus II. Epist, cap. 1. 4°. per eandem homo efficitur filius Dei adoptivus, non denominatione extrinsecâ duntaxat & morali, sed quodam proprio sensu: Hinc I. Joan. 3. *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus;* 5°. gratia sanctificans hominem constituit hæredem vitæ æternæ: *Si filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, hoc est, ejusdem gloriæ cum Christo participes. *Rom* 8.

Inter insignes illos gratiæ habitualis effectus, duo sunt, justificatio scilicet & meritum, de quibus gravissimæ occurrunt controversiæ Orthodoxos inter & Hæreticos: Sit.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Justificatione & Merito.

De utroque effectu paucis agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Justificatione.

DE justificatione tria quæri solent: 1°. quænam præviæ sint ad ipsam dispositiones; 2°. quæ sit illius natura; 3°. quæ proprietates.

§. I. *De dispositionibus ad justificationem præviis.*

Not. 1°. in adultis ad justificationem certò requiri quemdam fidei motum: ità Apost. Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Verùm Orthodoxos inter & Sectarios acerrimè disputatur, quæ & qualis sit illa fides ad justificationem necessaria. Ad cujus difficultatis elucidationem.

Not. 2°. Lutheranos & Calvinistas triplicem distinguere fidem; 1. *historicam*, quâ credimus vera esse quæcumque in sacris Codicibus narrantur; 2. *miraculorum*, quâ fiunt miracula; 3. *promissionum*, quâ creduntur divinæ promissiones de salute ac peccatorum remissione. Hæc porrò promissionum fides vel generalis est, quia creditur Deum universis credentibus promisisse remissionem peccatorum; vel specialis, quâ unusquisque sibi promissionem divinam applicans credit, seu potiùs *certò confidit* sibi omnia sua peccata per Christum esse dimissa.

Jam tria docent Novatores, 1°. fidem justificantem, esse specialem divinarum promissionum fidem; 2°. fidem illam *solam* justificare: vox, *solam*, juxtà rigidiores Lutheranos, necessitatem præsentiæ aliarum virtutum; juxtà alios longè plures, non præsentiam, sed meritum duntaxat operum excludit; 3°. fidem solam justificare, non quidem per modum causæ formalis, aut efficientis, vel meritoriæ aut etiam dispositionis propriè dictæ; sed per modum meri instrumenti quo apprehenditur justificatio; quod explicant exemplo manûs quâ pauper eleemosynam à divite recipit: scilicet in eorum sententiâ, homo justificatur per gratuitam Dei misericordiam non imputantis peccata; quam

gratiam fides credendo quasi manu recipit ac amplectitur. Sit.

CONCLUSIO I. Fides necessaria ad justificationem, non est specialis promissionum fides sed est dogmatica seu catholica fides, assensus scilicet firmus ac certus rebus omnibus à Deo revelatis.

Prob. 1°. ex Scripturis. Apostolus, Hebr. 11. fidem sic describit: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Unde sic: Ibi loquitur Apost. de fide justificante, ut apertè indicant verba quæ immediatè præcedunt, *justus ex fide vivit*; & sequuntur, *sinè fide impossibile est placere Deo*: atqui fides illa non est specialis promissionum fides, seu actus quo quis certo confidit peccata sibi esse remissa propter Christum; sed est assensus firmus iis quæ sunt à Deo revelata. Prob. min. tùm ex illis verbis, *argumentum*, hoc est, convictio, *non apparentium*, quatenùs scilicet fides facit, ut mens omninò assentiat rebus à Deo revelatis, licèt inevidentibus: tùm & ex istis: *Fide intelligimus aptata esse secula*: & rursùs; *accedentem ad Deum oportet credere quia est, &c.* tùm denique quia toto illo capite, ubi fidei plurima tribuit Apostolus, misericordiæ specialis nulla sit mentio; ergo.

Prob. 2°. ex Trid. Sess. 6. Can. 12. ubi sic: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quàm fiduciam misericordiæ divinæ peccata remittentis propter Christum, anathema sit.*

Prob. 3°. quia qui justificantur, nec certò sciunt, nec ordinariè possunt scire, speciali misericordiâ Dei peccata sibi dimitti; de quo infrâ.

Obj. Scripturæ passim fiduciam exigunt ad remissionem peccatorum. Matth. 9 *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; ergo fides justificans est fiducia. R. dist. ant. Exigunt fiduciam, id est, spem obtinendæ veniæ per merita Christi, quam dispositionem inter alias ad justificationem postulat Trid. Sess. 6. c. 6. C. exigunt fiduciam, seu fidem specialem hæreticorum, quâ quis certò credat sibi dimissa esse peccata, N.

CONCLUSIO II. Sola fides non justificat.

Prob. 1°. ex Scripturis, quæ præter fidem alios actus ad justificationem requirunt. Scilicet 1°. actum timoris, Eccl. 1. *Timor Dei expellit peccatum: nam qui sinè timore est, non poterit justificari*; 2°. actum spei, Prov. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur*; 3°. dilectionem, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Præterea S. Jacobus in Epistola sua penè totus est ut ostendat non solùm fidem justificare; *Sicut*, aït c. 5, *corpus sinè spiritu mortuum est, ità fides sinè operibus mortua est.*

Prob. 2°. Trid. S. 6. Can. 9. *Si quis dixerit solâ fide hominem justificari, anathema sit.*

Prob. 3°. Fides separata à dilectione non justificat. Nam 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte:* atqui fides christiana potest separari à dilectione, ex II. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ità ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Et verò fidem solam habentes, possunt esse adulteri, fures, avari, maledici: atqui ex I. Cor. 6. hujusmodi facinoribus dediti, regnum Dei non possidebunt.

Obj. id Rom. 3. *Arbitramur hominem justificari per fidem sinè operibus legis.* Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & non ex operibus;* ergo reverâ sola fides justificat. R. dist. conseq. sola justificat, id est sinè operibus Legis antiquæ, sive ceremoniis legalibus vel sine operibus absque gratiâ factis, C. sinè operibus ex gratiâ factis, N. Apostolus loco citato excludit Legis Mosaicæ observationem & opera sinè gratiâ Christi facta; sed non excludit opera pietatis quæ ex gratia per Christum eliciuntur: *Absit enim*, inquit S. Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap. 7. *ut hoc sentiret vas electionis, qui cùm dixisset in quodam loco; In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; mox addit, sed fides quæ per dilectionem operatur.*

Inst. Rom. 10. & Act. 13. omnes qui credunt justificantur & salvantur: atqui hoc falsum foret si non sufficeret sola fides; ergo. R. dist. omnes qui credunt justificantur, modò alia simul requisita adduntur, C. si cætera desint, N. Ità SS. Patres passim: *Multi*, ait Aug. tract. 10. in Ep. Joannis, *dicunt, Credo, sed fides sine operibus non salvat.*

CONCLUSIO III. Fides concurrit ad justificationem; non per modum meri organi quo apprehenditur justificatio; sed per modum propriè dictæ dispositionis & impetrationis.

Prob. 1°. ex Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, &c.* ubi fidei tribuitur initium justificationis.

2°. Ex SS. Patribus, August. expositione c. 3. Epist. ad Galat. *Efficientur*, inquit, *filii sapientiæ, præparante fide mediatoris;* ergo fides est præparatio ad justificationem, per quam efficimur filii Dei. Et lib. de

prædeſt. SS. c, 7. *Fides*, ait, *prima datur ex quâ cœtera impetrantur.* Idem docent SS. Ambroſius, Hieron &c.

3°. Idem contendunt Sectarii fidem concurrere ad juſtificationem per modum meri inſtrumenti, non verò per modum cauſæ efficientis, aut meritoriæ, aut etiam diſpoſitionis propriè dictæ: tùm quia homo per peccatum excidit à libertate; tùm quia quælibet hominis lapſi, etiam pietatis opera totidem ſunt mortifera peccata: atqui hi duo ſunt graviſſimi Novatorum errores, ut ex dicendis patebit; ergo.

§. II. *De natura Juſtificationis.*

Tres ſunt præcipui Lutheranorum & Calviniſtarum errores circa naturam juſtificationis: 1°. quòd velint in juſtificatione peccata verè ac propriè non deleri, ſed tantum non imputari ob Chriſti juſtitiam, quâ circumveſtimur; 2°. quòd velint juſtificationis naturam in mera illa peccati non imputatione conſiſtere, abſque interiore hominis renovatione; 3°. quòd velint juſtificationem non fieri per formam ſeu juſtitiam internam & inhærentem, ſed externam & imputativam, juſtitiam nempé Chriſti per fidem apprehenſam & nobis imputatam. Sit,

Conclusio I. In juſtificatione peccata verè tolluntur quoad culpam, & non ſolùm teguntur.

Prob. 1°. ex Scripturis. Pſal. 50. *Dele inquitatem meam.* Joan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa:* atqui quod deletur, tollitur, & remittitur, non remanet, nec merè tegitur; ergo.

2°. Ex Patribus, inter quos Aug. lib. 1. contrà duas Epiſt. Pelagian. c. 13. *Dicimus baptiſma dare indulgentiam omnium peccatorum, & auferre crimina non radere.*

3°. Ratione: In juſtificatione infunditur gratia ſanctificans: ſed hæc peccatum omninò delet, nec cum illo ſtare poteſt; ergo.

Obj. Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo peccata in juſtificatione teguntur, non autem verè tolluntur. R. diſt. conſeq. Peccata teguntur, ità ut verè remittantur, C. ità ut remaneant, N. quod enim coram Deo tegitur, cui omnia nuda ſunt, omninò abolitum eſt, nec ullatenùs remanet. Ità S. Aug. in hunc locum.

CONCLUSIO II. Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione, sed interiorem insuper hominis renovationem formaliter includit.

Prob. 1°. ex Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Hoc in textu, qui de justificatione intelligi debet, aperta mentio fit interioris renovationis; 2°. ex Patribus seq. Concl. referendis; 3°. ratione: Justificatio ex inimicis reddit amicos, filios, cives sanctorum, domesticos Dei, hæredes regni, &c. atqui tam insignes tituli solam non exprimunt peccati remissionem, neque enim amore dignus est aliquis, hoc solo quòd ipsi debita condonata fuerint; nec continuò efficitur filius aut hæres, qui pœnam sibi debitam, Judicis clementiâ non subibit; ergo justificatio præter peccati condonationem includit sanctitatem internam, quâ formaliter renovamur.

CONCLUSIO III. Justificatio fit formaliter per donum aliquod internum & animæ inhærens.

Prob. 1°. ex Scripturis 1. Cor. 6. *Hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* R. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis;* & c. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum.* His in locis agitur de gratia quâ justificamur: atqui gratia illa non consistit in externo Dei favore, quo nudè peccata dimittantur: sed in dono interiori justitiæ & caritatis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, &c.

Prob. 2°. ex Trid. Sess. 6. Can. 11. *Si quis dixerit hominem justificari, vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ quæ in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhæreat.... anathema sit.*

Prob. 3°. ex SS. Patribus quorum instar sit. Aug. L. de spir. & lib. c. 9. *Justitia Dei, non quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem, cùm justificat impium.* & Epist. 8. *Quid est aliud justitia cùm in nobis est.... quàm interioris hominis pulchritudo?* Qui textus adeo aperti sunt, ut candidè fateatur Calvinus lib. 8. Instit. c. 11. Augustinum in hâc parte sibi adversari. At meminisse debuisset, hunc esse Ecclesiæ Doctorem, atque optimum antiquitatis testem.

Prob. 4°. momentis theologicis. 1. Justificatio ex dictis præter remissionem peccati includit interiorem hominis renovationem: atqui hujusmodi renovatio

importat donum aliquod internum animæ inhærens; ergo. 2. Justitia per quam homines justi sunt, suscipit magis & minùs, juxtà illud Apoc. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc*: atqui justitia vel Dei vel Christi non suscipit magis & minùs; ergo.

Obj. I. Corinth. 1. de Christo sic habetur: *Qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio*; ergo per Christi justitiam nobis imputatam justificamur. R. neg. conseq. Justitia Christi est quidem causa nostræ justificationis efficiens & meritoria, sed non formalis. Eâdem quippè ratione Christus ab Apostolo dicitur factus nobis justitia & sanctificatio, quâ dicitur factus nobis sapientia: atqui hoc uno sensu dicitur factus nobis sapientia, quòd nos sapientes fecerit per sua merita, non autem quòd per illius sapientiam formaliter sapientes simus; ergo à pari.

§. III. *De proprietatibus justificationis.*

Ex palmari suo dogmate de justitiâ Christi per fidem apprehensâ quâ justi efficimur ac Deo accepti, Novatores inferunt, 1°. posse ac debere omnes fide divinâ certò credere se esse justos; ità ut si istud non crederent, jam fideles & justi non essent, quia per solam fidem justificantur; in hoc errore conveniunt Lutherani omnes & Calvinistæ; 2°. justitiam semel adeptam nullo unquam tempore posse deperdi: ex quo sequitur, justitiam ità propriam esse electorum; ut in solis reperiatur electis, iisque insit immobiliter. Ità præcipuè Calviniani Qui an justitiam inamissibilem esse passim credant, non h·i animorum æstu agitatum est inter Arnaldum & D. Le Fevre Doctorem Facultatis Paris. 3°. justos omnes æqualiter esse justos; quia unâ & eâdem Christi justitiâ per fidem apprehensâ & à Deo imputatâ justificantur omnes: justitia autem Christi non suscipit magis & minùs, ità præ ceteris Lutherani.

Conclusio I. Nemo potest, seclusâ speciali revelatione, fide divinâ credere sibi remissa esse peccata.

Prob. 1°. Eccli. 9. *Nescit homo an amore vel odio dignus sit.* Et 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

2°. Trid. Sess. c. 9. *Quilibet dùm seipsum suamque infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

3°. Ex Aug. lib. de perfect justitiæ c. 15. *Quantâ-*

libet, inquit, *justitiâ sit præditus homo, cogitare debet, nè aliquid in illo quod ipse non videat, inveniatur esse culpandum.*

4°. Nihil fide divinâ credi potest, nisi quod immediatè continetur in verbo Dei, aut ex illo per evidentem consequentiam deducitur: Atqui 1°. immediatè non continetur in verbo divino, hunc vel istum in particulari justificatum esse: Scripturæ enim promissiones universales sunt, & aliquas supponunt conditiones ut singulis applicentur; 2°. nemo per evidentem consequentiam ex verbo Dei deducere potest se esse justificatum: etsi enim ex Scripturis liquet, omnes verè conversos ad Deum, indulgentiam obtinere, nullus tamen certò cognoscere potest, an plenè ad Deum conversus fuerit, & condignam egerit pœnitentiam: nam Jerem. 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud?* Deindè multi falluntur circà internos affectus: Certè cùm dicebat Petrus: *Tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire*, paratum se esse credebat mortem subire pro Christo, & tamen verè paratus non erat: quin & Calvino fatente, plerique ex iis qui non sunt prædestinati, putant se credere eo modo, quo requiritur ad justificationem, & tamen reverâ ità non credunt; ergo nemini certò constare potest se peccatorum remissionem consecutum fuisse.

Obj. 1°. Rom. 8. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei*: atqui testimonium Spiritûs sancti summam certitudinem efficere debet; ergo. R. dist. maj Spiritus testimonium reddit signis quibusdam moralibus, C. signis evidentibus aut per revelationem, N. Scilicet testimonium illud non fit per verbum aliquod expressum, sed per experimentum cujusdam suavitatis & pacis internæ, quæ non gignit nisi certitudinem moralem. Ità plerique SS. Patres, præsertim Latini.

Obj. 2°. Spes Hebr. 6. comparatur ancoræ, propter summam suam immobilitatem: atqui firmissima non potest esse spes, nisi qui certissimè credat, sibi remissa esse peccata. R. dist. maj. Certissima est, ex parte Ex parte Dei, C. Ex parte nostri, N. Scilicet, spes est certa expectatio futuræ beatitudinis: hujus autem consecutio pendet & à Deo auxiliante & ab homine cooperante. Ex primo capite, firmissima debet esse spes; ut enim docet S. Th. 2. 2. q. 18. a 4. *Spes innititur principaliter divinæ omnipotentiæ & misericordiæ..... de omnipotentia autem Dei & misericordiâ ejus certus est quicumque habet fi-*

dem. Ast ex altero capite, propriæ scilicet dispositionis præsentis aut futuræ, spes nusquam omnem penitùs formidinem excludere potest: nam quemadmodum declarat Tridentium citato c. 9. Sess. 6. *Sicut nemo pius .... de Dei misericordia dubitare debet: sic quilibet, dùm seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit de sua gratia formidare & timere potest.*

Licèt autem spectatâ uniuscuiusque propriâ Infirmitate, nusquam ex se excludat omnem omnino formidinem, attamen tollit anxium nimiò timorem, quo fit ut justi legitimâ conscientiæ pace, & lætitiâ interiori perfruantur.

Conclusio II Fides & justitia semel habitæ amitti possunt, nec ad solos electos pertinent.

Prob. 1°. ex Scripturis. Ezech. 18. *Cùm averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Atqui si justus potest à justitia excidere & in iniquitate mori, justitia nec est inamissibilis, nec ad solos electos pertinet. Hinc Apost. I. Cor. 9. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, nè fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

2°. ex Trid. Sess. 6. can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeò eum qui labitur & peccat, nunquam fuisse verè justificatum ... anathema sit.*

3°. exemplis ex Scriptura deprompțis. David Rex ex omnium consensu justus fuit, de eo enim dicit Deus: *Inveni David virum secundùm cor meum:* atqui tamen negari non potest, quin à justitia verè exciderit, quando adulterium & homicidium commisit; ergo. Similiter S. Petrus haud dubiè justus erat, cùm ad ipsum diceret Christus, Joan. 13. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus:* attamen idem Petrus excidit à gratia quandò Christum negavit.

Act. 13.

4°. Accedit manifesta ratio. Omnes infantes qui baptisma recipiunt verè justificantur; imò si Calvino, Bucero, aliisque sectariis credatur, omnes filii Fidelium sancti & justi nascuntur: atqui experientià compertum est, plurimos ex ipsis in adulta ætate graviter peccare; & in iis criminibus nonnunquam mori, de quibus Apost. I, Cor. 6. ait, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*; ergo.

Ex his sequitur id quod nuperus Autor Libelli cui titulus: *Lettre à un Ecclesiastique sur la justice chrétienne*, passim asserit de stabilitate justitiæ christianæ; eam

ſcilicet per ſe ſtabilem eſſe, conſtantem ac moraliter inamiſſibilem, ità ut pauciſſimi ſint qui amittant juſtitiam in qua ſemel fuerint *verè* conſtituti, ideòque vix ullum eorum qui labuntur, anteà *verè* fuiſſe juſtificatum; id inquam, falſiſſimum demonſtrari, vel ipſo unico parvulorum exemplo: ex ipſis enim adverſariis, admodùm pauci infantes, ubi ad adultam pervenerunt ætatem, acceptam in baptiſmate innocentiam ſervant: undè ex adducta Anonymi doctrinâ promptum eſſet cum Calviniſtis colligere, vel plures parvulos non juſtificari cùm baptiſantur; vel ſemel eos Sacramento juſtificatos nuſquam excidere à juſtitia, in quæcumque poſtmodùm delabantur crimina: quæ duo horrenda rigidiorum Calviniſtarum ad vivum exprimunt dogmata. Hinc in dicti libelli doctrinam æquiſſimis notis animadvertit ſacra Facultas Pariſienſis die 1. Sept. an. 1737.

Obj. ex I. Joan. 3. *Qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen illius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*; ergo. R. diſt. ant. qui natus eſt ex Deo, non poteſt peccare, ſi agat quatenùs natus eſt ex Deo, hoc eſt, ex motivo ſupernaturali, C. ſi agat prout natus ex Adamo, N.

CONCLUSIO III. Juſtitia in omnibus juſtis non eſt æqualis.

Prob. 1°. ex Apoc. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & qui ſanctus eſt, ſanctificetur;* 2°. pia mater Eccleſia pro filiis ſuis precatur juſtitiæ incrementum, his verbis: *Da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmentum;* diſpoſitiones quæ præparant ad juſtificationem, non ſunt in omnibus æquales; ergo nec in omnibus æqualis juſtitia. Hinc Trid. Seſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit juſtitiam acceptam non augeri coram Deo per bona opera.... anathema ſit.*

ARTICULUS II.

De Merito.

TRia circà meritum expendi ſolent; 1°. an homo poſſit aliquid veré mereri; 2°. quænam ad meritum requirantur conditiones; 3°. quodnam ſit objectum meriti. Priora duo miſſa faciam, quia de iis agam in Tract. de actibus humanis ſub finem. Hic ergo diſſerendum duntaxat de objecto meriti. Sit Itaque.

CONCLUSIO I. Nemo poteſt, nequidem de congruo, mereri primam gratiam actualem.

Prob. Ante primam gratiam actualem nihil est nisi simplex natura: atqui natura sibi relicta non potest gratiam supernaturalem mereri; aliàs gratia non ampliùs foret gratia, & valerent omnia Semipelagianorum principia.

CONCLUSIO II. Nemo potest de condigno mereri primam gratiam sanctificantem; potest tamen quis eam mereri de congruo.

Prob. 1. Pars: 1°. Apostolus Rom. 3. expressè aït, *nos justifica i gratis per gratiam;* 2°. Trid. Sess. 6. c. 8. asserit, *nihil eorum quæ justificationem præcedunt; sive fidem, sive ipsa opera, justificationis gratiam promereri;* quod intelligi debet de condigno merito; 3°. meritum de condigno requirit ut homo sit justus: atqui ante primam gratiam sanctificantem nemo justus est; ergo cùm principium meriti non cadat sub meritum, prima gratia sanctficans quæ ad meritum de condigno requiritur, sub idem meritum cadere nequit.

Prob. 2. pars: 1°. ex S. Aug. Epist. 105. *Sed nec ipsa remissio peccatorum* (quæ cum primâ gratiâ habituali necessario conjuncta est) *sinè aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei;* 2°. potest peccator actum perfectæ contritionis elicere: atqui ille actus de congruo meretur primam gratiam habitualem ad quam ultima est dispositio.

CONCLUSIO III. Justus potest mereri augmentum gratiæ habitualis seu sanctificantis.

Prob. 1°. ex Trid. Sess. 6. Can. 32. ubi definitur *justificatum bonis operibus, quæ ab eo per gratiam Jesu Christi, cujus membrum vivum est, fiunt, mereri gratiæ augmentum;* 2°. ex Aug. Epist. 106. *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici;* 3°. quia nulla hic desit conditio ad meritum de condigno requisita.

CONCLUSIO IV. Homo justus non potest de condigno mereri perseverantiam, potest tamen de congruo. Ità S. Thom. & alii communiter.

Prob. 1. pars, 1°. quia neque ex Scriptura, neque ex Patribus colligi potest, Deum uni aut pluribus ità alligasse perseverantiæ donum, ut justus tali meritorum cumulo instructus, certò perseveraturus sit; imò Apost. Philip. 2. ait: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* I. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat nè cadat;* & Christus, nemine excepto, voluit ut omnes perseveranter petant, *nè nos inducas in tentationem;* ergo. Hinc Trid. Sess, 6. Can. 32. recensens

ea quæ verè & de condigno meremur, nullatenùs meminit perſeverantiæ.

Prob. 2°. Quilibet infallibiliter conſequitur id omne quod de condigno meretur; atqui conſtat etiam juſtiſſimos poſt excellentia merita, quandoque non conſequi perſeverantiam; ergo eam non merentur de condigno. Et vero ſi hanc de condigno mererentur, profecto non peccarent; nam perſeverare, eſt, in bono permanere, & nullum peccatum mortale, ſaltèm finaliter, admittere, ipſa autem perſeverantia tale peccatum infallibiliter excludit.

Prob. 3°. Perſeverantia importat complexionem auxiliorum efficacium quibus juſtus actu uſque in finem perſeveret: atqui juſtus de condigno mereri nequit collectionem hujuſmodi auxiliorum. Et quidem 1°. non poteſt mereri de condigno primum auxilium efficax illius collectionis. Principium enim meriti non cadit ſub meritum: atqui primum illud auxilium efficax, principium eſt meriti; ergo. 2°. non poteſt etiam ultimum ejuſdem collectionis efficax auxilium condignè promereri. Siquidem tale auxilium efficax & ultimum, ex ſpecialiori Dei providentiâ conceditur, non ſolùm ad ſervanda præcepta, & vincendas tentationes, ſed etiam ad hæc præſtanda finaliter: atqui iſtud de condigno mereri nequit juſtus; eſt enim ſpecialiſſimum in ordine gratiæ beneficium, quod mors quibuſdam accidat, cùm fuerint in ſtatu gratiæ; ergo: 3°. nec poteſt juſtus intermedia auxilia efficacia de condigno mereri: alioqui eo ipſo quo ſemel unum auxilium efficax de condigno mereretur, ex vi talis meriti quaſi confirmaretur in gratia ſeu conſtitueretur, in ſtatu in quo non eſſet ampliùs peccaturus. Scilicet ſuppoſito ſemel actu meritorio gratiæ efficacis ad non peccandum in prima quæ poſteà occurret occaſione, juſtus certo obtinebit gratiam illam efficacem & primam tentationem debellabit: per illam autem victoriam merebitur alteram gratiam efficacem pro victoria alterius tentationis primo occurrentis, & ſic deinceps per totum vitæ curriculum; ergo ex merito juſti de condigno auxilii efficacis, clarè ſequitur juſti impeccabilitas.

Prob. 2. pars, ex S. Aug. L. de dono perſev. c. 6. ubi ſic: *Hoc itaque donum Dei ſuppliciter emereri poteſt; ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt.* Hùc etiam pertinet quod in publicis Eccleſiæ precibus oramus (cum ſpe utique obtinendi) *Fac nos*

tuis semper inhærere mandatis: & in Missæ sacrificiò, *à te nunquam separari permittas.* Adde non deesse hic conditiones ad meritum de congruo.

Quæres, an justi ità mereri possint de congruo persèverantiam, ut infallibiliter illam impetrent. R. affirmat. modo ità & tantúm orent, quomodo & quantùm oportet, Sic enim promisit Christus Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis: omnis qui petit, accipit.* Eodem spectat quod tradit S. Th. 2. 2. q. 83. art. 15. concurrentibus his quatuor conditionibus, ut scilicet aliquis *pro se* petat *necessaria ad salutem piè* ac *perseveranter*, eum semper impetrare quod petit.

Certùm (quod observat) justi per plura etiam bona opera non sic merentur perseverantiam, ut propterea certo detur donum perseverandi toto residuo vitæ tempore absque nova cura, novaque oratione; sed tantùm successivè & quasi per partes, ità ut per instantes preces bonavè opera, nunc de congruo mereantur auxilium ad non cedendum tentationi; & post illam iterùm orando ac bona agendo mereantur auxilium ad servandum idem vel aliud præceptum occurrens, & ità deinceps semper orando & non deficiendo, donec justitia cum morte conjungatur.

Conclusio V. Justi de condigno mereri possunt vitam æternam.

Hæc conclusio, ait Sylvius 1. 2. qui 114. art. 1. & 3. *est fide certa, quatenùs in bonis Justorum operibus asserit verum ac propriè dictum meritum vitæ æternæ.... quatenùs autem exprimit meritum de condigno, est ità certa, ut ejus opposita sit multùm temeraria.*

Prob. 1°. ex Scripturis. Matth. 5. & 20. vita æterna dicitur *merces* bonorum operum. II. Timoth. 4. appellatur *corona justitiæ* à justo judice reddenda. Et 1. Cor. 9. vocatur *bravium*: at hæc omnia meritum de condigno arguunt.

2°. Ex Aug. Epist. 105. *Sicut merito peccati*, inquit, *tanquam stipendium redditur mors; ità merito justitiæ, tanquam stipendium, vita æterna.*

3°. Bonis justorum operibus conveniunt conditiones ad meritum de condigno respectu vitæ æternæ. Nam ex hypothesi justus ac viator est qui meretur; liberum, bonum, & supernaturale est ejus opus, imo & sæpè à caritate elicitum vel imperatum, nec etiam deest pactum Dei qui *coronam vitæ repromisit diligentibus se;* ergo. Unde quando Apost. Rom. 8. ait, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram glo-*

riam, ibi loquitur de paſſionibus ſecundùm ſuam præciſè gravitatem & durationem ſpectatis: non autem quatenùs ſunt paſſiones ex gratia propter Deum à filiis ejus adoptivis toleratæ, & Chriſti meritis innixæ: ſic enim inconſideratæ, condignitatem habent cum præmio vitæ æternæ, ſi non actu, certè virtute. Undè II. Theſſal. 1. Apoſt. Fideles adhortatur ad tribulationes patienter ſuſtinendas, *ut*, inquit, *digni habeamini regno Dei.*

Obj. 1°. contra quartam Concl. Qui poteſt de condigno mereri finem, poteſt etiam de condigno mereri media ad finem: atqui juſtus poteſt ex dictis de condigno mereri vitam æternam; ergo poteſt & perſeverantiam quæ medium eſt, de condigno mereri. R. neg. maj. nam prima omnium gratia eſt etiam medium ad finem; nec tamen poteſt illam homo mereri. Præthereà etſi vita æterna cadit ſub meritum de condigno, non tamen conſervatio juris ad vitam æternam; proindeque nec ea quæ neceſſaria ſunt ad conſervationem talis juris, ut perſeverantia.

Inſt. Qui id quod majus eſt meretur, poteſt mereri id quod minus eſt: atqui vita æterna eſt excellentior perſeverantia; ergo. R. diſt. maj. Si cetera ſint paria, C. ſecùs, N. Porro cetera non ſunt paria: extat enim promiſſio de conferenda vita æterna, tanquam mercede bonis juſtorum operibus; nulla vero extat promiſſio de perſeverantia, tanquam mercede & ex juſtitia concedenda.

Obj. 2°. Chriſtus ſæpiùs promiſit ſe orantibus daturum quidquid petierint: atqui ſub illa generali promiſſione continetur perſeverantia. R, diſt. maj. promiſit per modum gratuiti doni & ex liberalitate, C. per modum mercedis, coronæ & ex juſtitia, N. perſeverantia propoſita eſt juſto, ut gratia precibus obtinenda, non ut merces propriè dicta, ac proindè de condigno illam mereri nequit.

Obj. 3°. contra Concl. 5. Vita æterna dicitur gratia, Rom. 6. ergo nullus eam mereri poteſt de condigno. R. neg. conſeq. vita enim æterna dicitur ſimul & gratia & merces ſeu corona juſtitiæ: gratia quidem, quia rependitur bonis operibus ex gratia factis; merces verò, quia ex juſtitia debetur iis qui legitimè pugnârunt ac vicerunt. Ità S. Aug. Epiſt. 105.

Obj. 4°. Nemo poteſt de condigno mereri per id quod gratis accepit à creditore: atqui bona opera gratis à Deo conceduntur, eaque omnia pluribus titulis Deo debita ſunt. R. diſt. merito de condigno ad rigo-

rem, cujus condignitas in illâ creditoris gratiâ fundatur, C. merito de condigno fimpliciter, quod dicit æqualitatem operis, etfi ejus valor nitatur remunerantis gratiâ, N. Hinc bonus & juftus Dominus fua in bonis dona coronat, inquit Auguftinus. Itaque triplex eft meritum. Primum ex rigore juftitiæ, quod dicit æqualitatem operis cum præmio, fine gratia ex parte remunerantis. Secundum de condigno, quod dicit æqualitatem operis, etfi ejus valor fundetur in gratia remunerantis. Tertium de congruo, quod non tantùm dicit gratiam remunerantis, fed etiam operis inæqualitatem; quamvis congruum fit ut illi rependatur aliquid præmii loco. Primi generis meritum, quod eximium eft, folius Chrifti eft proprium. Secundum competit foli jufto, dùm operatur ex impulfu gratiæ. Tertium annexum eft quibuslibet bonis operibus *ordinis fupernaturalis*, in ftatu peccati factis, iis enim, non quidem ex juftitia, fed ex aliqua decentia & congruitate præmium quoddam debetur.

Obj. 5°. Deum inter & hominem nulla intercedit juftitia; ergo nec meritum de condigno. R. dift. ant. nulla intercedit juftitia rigorofa, C. vera & propria, faltèm præfuppofitâ Dei ordinatione; N. Inter Deum & hominem non eft juftitia ftrictè & rigorofè; tùm quia omne meritum noftrum fundatur in gratia; tùm quia Deus omnia noftra fibi vindicare poteft titulis creatoris, confervatoris, domini, &c. unde fit ut Deus non fit nobis fimpliciter debitor, fed fibi ipfi, ut loquitur S. Thomas: attamen præfuppofitâ divinâ promiffione mercedis æternæ, verum eft ac proriè dictum meritum Deum inter & hominem, recteque dicitur Deum debere juftis vitam æternam, non folùm ex fidelitate, fed etiam ex juftitia: idque declarant citata Apoftoli verba: *In reliquo repofita eft mihi corona juftitiæ, quam reddet mihi in illa die juftus judex.*

Et vero promiffio fub conditione operis condigni inducit obligationem ex juftitia, fi ea fuerit acceptata, & illud opus præftetur: atqui Deus promifit vitam æternam fub conditione bonorum operum, quæ quatenùs procedunt ab homine jufto ex motione Spiritûs fancti, condignitatem habent cum vitâ æternâ, certumque eft juftos dictam promiffionem faltem implicite acceptare; ergo.

TRACTATUS
DE VERA RELIGIONE.

CHRISTIANAM Religionem crebris hodie, ut & apertis ictibus misere impetitam, secundum universas sui partes vindicantur septem hæc præstanda incumbunt; 1°. ut Dei existentiam probet contra Atheos; 2°. ut ejus unitatem demonstret contra Polytheitas; 3°. ut positivam Religionem ab ipso non institui tantum potuisse, sed & de facto institutam fuisse ostendat contra Deistas; 4°. ut Religionem hanc neque penes Ethnicos olim fuisse, neque nunc apud Alcorani Sectatores esse declaret contra Gentiles & Mahometanos; 5°. ut eandem Judæis revelatam fuisse evincat contra triplex quod statim assignatum est hostium genus; 6°. ut ipsam hanc à Judaïca gente ad Christianam justo Dei judicio pertransiisse, adversus eosdem conficiat; 7°. demum ut eos inter qui Christiano nomine censeri volunt, certos exhibeat quibus adhærendum sit; certos, & plures, qui abjici mereantur. Septem hæc Capita, quæ omnem veræ Religionis impugnatoribus effugiendi viam præcludunt, eo juvante, qui ubi vult, & quomodo vult spirat, si minus feliciter, at certe totis ex præcordiis evolvenda suscipimus; persuasi scilicet haud equidem futurum, ut nostrâ hâc Opellâ convertantur Religionis adversarii: cùm *nemo possit corrigere quem Deus pro meritis despexerit*; at futurum, ut & in fide, ad quam misericorditer vocati sunt, confirmentur Catholici; & aliquando garrulæ impietatis vocem occludant.

Eccles. 7. 14.

CAPUT PRIMUM.

Impugnantur Athei.

Etsi quoties de existentia Dei agitur, satius est Atheos revocare ad intuitum Cœlorum, qui tanta vocis virtute gloriam Dei enarrant, ut Angelici Doctoris Summa, quia hanc alicubi quæstionem præferat: *An Deus sit, videtur quòd non, &c.* à Mahumetanis ipsis combusta fuisse dicatur: juvat nihilominus probatio-

1. p. q. 2.

probationes novas iis adjungere, quibus ſuperiori To-mo ſupremi Numinis exiſtentiam confirmavimus. Sit itaque

Conclusio. Admittenda eſt Entis ſupremi, æterni, infiniti exiſtentia.

Prob: 1°. quia ubi hinc & inde militant difficultates, ea pars ab homine ſapiente omnino tenenda eſt, quæ minus difficultatum habet: atqui longe minus occurrit difficultatum in admittendâ, quàm in negandâ Entis ſupremi exiſtentiâ. Multò enim facilius concipitur, 1°. horologium ab artifice intelligenti conditum eſſe, quàm à ſe ipſo; 2°. materiam ad hunc vel illum motum determinari ab aliquo movente, quàm ipſam moveri ſinè ullo motûs principio; 3°. fuiſſe hominem primum à quo alii continuâ ſerie prodierint, quàm fuiſſe infinitas hominum ſeries, quæ ſemper extiterint, ſine ullo exiſtendi principio: Atqui negatâ Dei exiſtentiâ admittendum eſt, 1°. mundum, cujus utique fabrica fabricam horologii longe ſuperat, à ſe ipſo conditum eſſe; 2°. materiam de ſe inertem, ad certum motum determinari ſine ullo motûs principio, &c. ergo & id in hac hypotheſi admittendum eſt quod impendio plus habet difficultatis.

Confirmatur: Si ab æterno fuerint infinitæ hominum ſeries, jam ſuppoſito quod intra decem annorum millia ſeries illa uno tantum homine creſcat, tot deberent in terris eſſe homines, ut totam terræ, non unius, ſed multiplicis ſuperficiem contegerent; quia quæ numero creſcunt in æternitate infinitâ, in infinitum creviſſe debent: atqui tamen id falſum eſſe deprehendit quisquis oculos habet: ergo.

Prob: 2°. ex inſolitis quibuſdam mundi phænomenis: quæ qui in dubium vocat, cetera quæ ubilibet ſcripta ſunt, in dubium vocare teneatur; quod quidem inſulſitatis & dementiæ apex fuerit. Sic ergo progredimur cum Joanne Gisberto, Regio quondam in Academia Toloſana Theologiæ Profeſſore.

Aug: L. 1. de Doct: Chr: c. 7.

Vel datur Deus, ſeu Ens *quo nihil melius ſit atque ſublimius*; vel quidquid in mundo eſt, materia eſt: atqui haud materia eſt, quidquid eſt in mundo. Major patet, tum ex ſaniorum Atheorum confeſſo; tum quia ſublato Deo nihil eſt in univerſo terrarum Orbe, quod à fortuito atomorum concurſu non pendeat; quidquid autem ab atomis pendet, materiam eſſe neceſſum eſt. Prob: itaque minor.

Dantur phænomena prædictionum, phænomena mi-

raculorum, phænomena exorcifmorum: atqui nihil horum effe poteft à materia, imo nihil horum eft quod Ens aliquod omnifcium, cunctipotens, & fubftantiis quibuslibet infinite fuperius non præfupponat. Major & minor per partes probandæ veniunt, uno utraque ductu.

Prob: itaque maj. & 1°. conftat dari phænomena prædictionum. Scilicet enim extra omnem dubii aleam eft, pluribus ante eventum annis Jerofolymæ obfidium, templi fancti ejus devaftationem, Judaïcæ Gentis difperfionem in omnes mundi plagas, ceteraque omnia quæ ad miferæ nationis ftragem, cruciatus & opprobria pertinent, ad amuffim prædicta effe, tùm à Daniele, Zachariâ & aliis quos ceu Prophetas colunt Judæi, tum præcipitur à Chrifto, quem bene vel male; neque enim id agitur in præfentia, uti Deum fuum venerantur Chriftiani. Huc referri poteft quæ prædictioni æquivalet, detectio rei in loco procul diffito hic & nunc peractæ, prout contigit Cræfi legatis, qui ab Appolline Delphino percontati, quid tunc temporis ageret Cræfus, id ab ipfo tulêre refponfi, Cræfum Sardis teftudinem cum agno coquere; quod poftmodum vero congruere compertum eft. Jam vero materia nec futuros eventus præfcire, nec quæ in locis procul diftantibus geruntur, annuntiare poteft. Imò nec id posfit, quantum ad prædictiones attinet, finita quæpiam intelligentia; fed ea tantum, quæ pro fupremo nutu caufas & ordines eventuum regit & moderatur. Unde id Jfaïæ, quod vel Atheo probari debeat: *Annuntiate quæ ventura funt in futurum, & fciemus quia Dii eftis vos.* Ergo.

Jf: 41. 23.

Et vero intellectus humani fimilis certas cognitiones habere nequit, nifi juvetur aut memoriâ præteriti, aut fenfu & experientiâ præfentis, aut clarâ perceptione neceffariæ veritatis: atqui ubi de futurorum notitiâ fermo eft, juvari non potuit, feu memoriâ præteriti, quia hæc nondum præterierant, feu experientiâ præfentis, quia præfentia non erant; feu evidentiâ veritatis neceffariæ, quia contingentia erant obfcura, peneque dum prædicta funt, probabilitatis metas excedentia. Ergo.

Gib: p. 68.

Conftat 2°. dari phænomena miraculorum. De ceteris enim idem fit judicium, ac de eo quod Jerofolymis contigit, cùm Judæi, urgente Juliano apoftatâ,

Ruffin. l.1. Hist. c. 37.

Edit: Valef: Græc: Lat: p.142.

(cui id unum erat cordi, ut mendaces feceret Danielem & Christum qui æternam templi hujus desolationem prædixerant) templum suum à fundamentis resarcire moliti sunt. Rem sic narrat Theodoretus Lib: 3. cap: 20. *Cùm* Judæos *in unum congregasset* Julianus an. Chr: 361. *percontatus est quid causæ esset, cur cum* Lex Mosaïca *sacrificare jubeat, ipsi à sacrificiis abstinerent. Cùmque illi dixissent, cultum suum unius loci ambitu circumscriptum esse, statim ille Deo invisus præcepit, ut Templum quod destructum fuerat, instaurarent: sperans miser prædictionem Domini se falsi convicturum esse. Ejus tamen veritatem hoc facto magis declaravit. Nam cum Judæi hos Imperatoris sermones cupide excepissent, Tribulibus suis per universum Orbem dispersis ea quæ imperata fuerant, significarunt: qui mox undiqne accurrentes, & pecunias & operam suam alacri animo ad hoc opus contulerunt.... Ubi vero fodere & humum egerere cœpissent, innumerabilis hominum multitudo toto die operi incumbebat. Sed noctu rudera ex valle in quam conjecta fuerant, suâ sponte transferebantur; sed & reliquias veteris ædificii destruxerunt, nova omnia se constructuros sperantes. Denique cùm gypsi & calcis multa modiorum millia congessissent, exorti repente venti vehementes ac turbines cum tempestatibus ac procellis universam materiam huc illùc dissiparunt. Cumque adhuc in pristino furore persisterent, nec divinâ patientiâ ad meliorem frugem revocarentur; primùm quidem exortus est ingens terræ motus, & eos qui divinæ Religionis sacris nullatenus initiati erant, non mediocri timore perculit. Sed cùm illi non terrerentur, ignis ex fundamentis quæ fodiebantur erumpens, plurimos fodientium consumpsit, reliquos fugere coëgit. Noctu etiam cum in quâdam vicinâ porticu complures dormirent, collapsum simul cum tecto ædificium universos dormientes oppressit. Eâdem vero & proximè insequenti nocte, salutaris Crucis lucidum in Cœlo signum apparuit. Ipsæ quoquè Judæorum vestes Crucibus replebantur, non iis tamen lucidis, sed atro colore suffusis. Quæ cùm vidissent hostes Dei, & inflictas à Deo plagas extimescerent, diffugerunt, & ad suas quisque sedes, reversi sunt; Deum esse confitentes eum quem Majores ipsorum olim Cruci suffixerant. Et hæc quidem ad Juliani aures pervenêre: omnium enim sermonibus celebrabantur. Verum ille perinde ac Pharao, animum suum obduravit.*

Idem narrant Socrates Lib: 3. cap: 20. Sozomenus Lib: 5. cap: 22. ubi factum illud *ab omnibus uno consensu & referri, & credi: nec ab ullo in dubium revocari* asseverat Philostorgius Lib: 7. n. 9. Ambrosius Epist: 40. Chrysostomus Orat: 2. in Judæos, viginti circiter post eventum illum annis habitâ; & ex Auditoribus suis plurimos facti hujus testes esse potuisse supponit; ac demum, ut ceteros hujus ævi Scriptores prætermittam, Ammianus Marcellinus, vir Ethnicus, & ut impensus Juliani laudator, sic & insignis Christianorum osor, quos alicubi *ferales bestias*, vocat. Sic ergo ille Lib: 23. Histor: cap: 1. *Ambitiosum quondam apud Hierosolymam Templum, quod post multa & internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito ægrè est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis* Julianus: *negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi .... cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque Provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecêre locum exustis aliquoties operantibus inaccessum; hocque modo elemento destinatiùs repellente, cessavit inceptum.*

Edition Vales. p. 192. & 632.

Edition Vales: p. 506.

Lib: 22. cap: 5.

Jam vero quemcumque in sensum versent se & torqueant Athei, nec prædicti eventûs, ab inimicis perinde & amicis conscripti, memoriam delebunt; nec flammæ sapienter ultricis impetum, ceteraque quæ partim exscripsimus prodigia, cæco materiæ conatui affingent; ergo ne animo ut & corde desipere intelligantur, necessum est, ut cum Orbe reliquo superiorem agnoscant causam, cujus ad nutum pareant elementa, quæque incerta mortalium concilia, & mortales ipsos pro arbitrio dissipet & confundat.

Constat 2°. dari phænomena Exorcismorum. Neque enim negari potest, quin hominum corporibus insideant aliquando spiritus humano majores; quorum subsidio & longe posita vident, & cordium secreta rimantur, & linguis peregrinis loquuntur, & ratiocinantur subtilissime, & motus cient stupendos. Rem placet exemplo duplici demonstrare.

Lib: ibid.

Primum dabit Nicolea Aubri * Vervino oriunda, & Ludovici Pierret Sartoris conjux, quæ vix annos sexdecim nata, ea fecit & passa est, quæ mortalis nemo per se solum facere aut pati possit. Ea nimirum, etsi pene ad stoliditatem simplex, alienâ linguâ interrogantibus respondebat; secretiora quæque patefaciebat; res alibi longissime gestas & intima conscientiæ pene-

* Aliàs: Obri.

tralia revelabat, linguâ extra os femipedem ejectâ loquebatur; triplicem fimul, canis, v. g. porci &c. fonitum emittebat. *Se fe ejaculabatur in altum plus quam fex pedum, & quafi fe fe evellens à manibus octo, decem, & quindecim hominum, quos invitos etiam elevabat, terribiliter mugiens & ululans, & fic horribilis voce & afpectu facta tenebatur in aëre.... Eodem temporis momento perdens iftam horribilem deformationem, craffitudinem & ponderofitatem, cadebat in manus fuorum cuftodum horridior mortuâ, muta, furda, cæca, finè ullo motu & fenfu, diftortis, colligatifque in averfum brachiis & cruribus, fpinâque dorfi convulfâ, totoque corpore effecto ut unius partis finè junctura, rigido, frigido & duro ut eft lapis; ficque rotunda ut echinus contingebatur & contrectabatur ab omnibus*, tum maxime à Pfeudoreformatis, *hominibus fortiffimis; qui tamen citiùs effregiffent, quàm movere fecisfent aut extremum nafi, aut auricularum; aut alius membri illius*. Porrò rei totius *teftes oculati funt plufquam centum quinquaginta millia hominum, & inter eos graviffimi viri publicæ fidei, ut Dignitarii Ecclefiæ, Magiftratus juftitiæ, Medici, Chirurgus, Actuarii & primarii quique cives*. Ità refert Joannes Boulaffe, facræ Scripturæ Profeffor, in libro cui titulus, *Le tréfor & entiere Hiftoire de la triomphante victoire du Corps de Dieu fur l' efprit malin Beelzebuth, obtenue â Laon, l'an* 1566. Paris 1578. unde plura in octavo Theologiæ noftræ Tomo exfcripfimus. Vide & hiftoriam hærefis à Florimondo de Raimond confcriptam, qui occafione poffeffionis Laudunenfis Calvinianam hærefim ejuravit, Lib: 2. cap: 12. p. 140. *Pag.* 532.

Secundum ejufdem generis exemplum refert N. De La Court, Miffionarius Apoftolicus in Regno Conchinchinenfi, vir notiffimæ mihi probitatis. Scribit ille in Epift: ad Jacobum Benignum Winslow, Doctorem Medicum, e Regia Scientiarum Academiâ, deductum ad fe fuiffe an, 1733. Juvenem ann. 18. vel 19. natum qui à dæmone vexatus dicebatur. Ut rei veritatem exploraret prudens & fagax Minifter adolefcentem interrogavit latine, certus eum in ifta lingua hofpitem omnino effe & peregrinum. Refpondit is latine, quod & pluries in exorcifmorum decurfu contigit. Juffus fummum templi lacunar adire, obtemperavit illicò, ibique fecundum pedes fornici adhærens ac capite deorfum, mediâ horâ conftitit donec Exorciftâ jubente farcinæ inftar in terram, fine ullâ tamen

ſuî læſione projectus eſt. * Atqui ad hæc præſtanda opus fuit virtute intelligentiæ alicujus, quæ vel nutu ſuo, vel ad Superioris arbitrium, naturæ leges ſubverteret. His enim repugnat quempiam ignotâ ſibi linguâ loqui. Repugnat & corpus grave, citra ullum adhæſionis punctum quaſi inter aëra ſuſpenſum manere. Repugnat hominem ex alto in humum ruere citra ullam ſuî offenſionem. Ergo.

At, inquies, hujusmodi eventus congerere, oleum & operam ludere eſt. Hæc enim omnia patulo ore negabunt Athei.

R. 1°. plus nobis in animo eſſe ut eos qui de ſupremo Numine bene ſentiunt, confirmemus, quàm ut Atheos ab errore ſuo dimoveamus. Quis enim prudens eos movere confidat, quos militia Cœli, totiusque, quoquoverſum diffunditur, naturæ ſpectaculum non movet?

R. 2°. haud ſatis eſſe apud ſenſatos, ut quis facta neget, ſed opus eſſe ut negati rationem exhibeat. Quid porro cauſæ dabunt Athei cur inficientur Julianum de inſtaurando Judæorum Templo cogitaſſe; diſperſos paſſim Judæos Hieroſolymam convolaſſe; veteris Fani ſundamenta eruiſſe; hinc igneos fontes erupiſſe, quibus ægre quidem, ſed tandem aliquando cedere coacti fuerint? Hæc qui in dubium vocant, quidni pari jure negant extitiſſe Julianum, eundem à Chriſto deflexiſſe ad Jovem, bellum paraſſe adverſus Perſas, atque in eo miſerabiliter occubuiſſe? Unde.

R. 3°. hinc nec difficulter conjici, quàm exitialis ſit Athea gens, ſi quam dari contingat. Quæ enim quidquid commentis ſuis adverſatur, præfracte negat, ſtatim ut e re ſuâ eſſe judicaverit, negabit eos qui ſibi præſunt Principes, legitime præeſſe, obtemperandum legibus quibus certa quædam prohibentur, &c. Horum enim multa pendent à primoribus factis, quæ certius non conſtant, quam quæ hactenus à nobis exſcripta ſunt. Porro haud parum proficit, qui Atheiſmi genium, indolem & ſenſus demonſtrat.

Præcipuas, quæ hîc moveri poſſunt, objectiones expendemus in Tractatu de Attributis.

---

* *Vide Epiſtolam D. De la Court, quam ad calcem hujus noſtri Tractatûs; quia paucis notam, typis mandari curabimus.*

CAPUT SECUNDUM.

Impugnantur Polytheitæ.

Etsi, quod summum Christianæ Religionis beneficium est, corruerint jam pridem cum delubris suis Dii, Deæque omnes quos tandiu Græci Romanique coluerunt; operis tamen nostri pretium est, unitatem, seu singularitatem supremo cuipiam Numini asserere; eo præsertim quia hodieque apud Japonenses, & alios non paucos, Dii plures honorentur. Unitatem porro hic accipimus pro singularitate, quæ multiplicitatem excludat, non specificam modo, sed & numericam, *quo modo*, ait S. Bernardus, *sed unus est, quia non est alter; & luna est una quia non est altera.* Sit igitur.

Conclusio. Unus est seu singularis Deus, qui omnem Deorum Pluralitatem excludit.

Prob: Non possunt esse plures Dii, si ipsa Dei notio pluralitatem Deorum evidenter excludat; sicut non potest triangulus esse infinitus, quia ipsa trianguli notio importat rationem figuræ essentialiter terminatæ. Atqui ipsa Dei notio pluralitatem Deorum evidenter excludit. Quippe Dei notio vel nulla est, vel exhibet Ens omnium primum, optimum, maximum: *Hoc enim*, ait Augustinus ubi suprà, *omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponitur.* Atqui ista hæc Dei notio pluralitatem evidenter excludit. Ex ipsis enim terminis repugnat plures esse res, quarum quælibet sit omnium prima, quælibet optima, quælibet maxima. Nempe vero eam rem omnium primam & maximam concipimus à quâ ceteræ prorsus dependent: hujusmodi enim conceptus major est opposito. Atqui in hypothesi plurium Deorum non stat ille conceptus. Unus enim vel ab altero non penderet, vel si penderet, Deus non esset. Deinde nec idem Deus res foret omnium optima. Non enim omnium optimum est, in quod par sibi habet: Collega namque Collegam imminuit: hinc minor Consulum dignitas, quia plures, quam Imperatoris, quia unicus foret. Hinc singularitatem affectant omnes, & summæ est ambitionis non habere æqualem; ergo Summum magnum, ne tale non sit, par habere non debet.

Confirm. Deus in conceptu suo perfectionem omnem possibilem continet: atqui repugnat duas naturas reali-

ter diſtinctas, ſingulas perfectionem quamcumque poſſibilem complecti. Namque 1°. una non habebit eam perfectionem, per quam diſtinguetur ab altera: Perfectio enim quæ res duas diſcernit, ideoque & conſtituit, utriquè communis eſſe non poteſt; 2°. vel Deus unus ſenſa & cogitationes alterius penetrabit, vel non. Si non penetret; ergo nec omniſcius, nec undequaque perfectus eſt. Si penetret, vel intimam hanc cordis ſui penetrationem prohibere poteſt alter, vel non poteſt. Si non poteſt; ergo caret omnipotentiâ; cum neque id celare poſſit, quod concipitur velle celare; neque entis alieni cogitationibus limites figere valeat. Si poteſt; ergo fieri poteſt ut neuter ſit Deus: neque enim Deus eſt, qui cognoſcibile quidpiam ignorat.

Ulterius progredior, & dico in hac multiplicis Dei ſuppoſitione non poſſe fieri, ut eorum alter alteri cogitationes ſuas, potiſſimum liberas patefaciat. Qui enim cogitationes ſuas pandit alteri, ipſum erudit, & eo ſenſu facit perfectiorem, perfectius ſiquidem eſt ſcire, quam ignorare: atqui neuter Deus Deum alium erudiendo poſſet facere perfectiorem. Alioqui ante fuiſſet Deus, quam Ens foret, quo nihil perfectius eſſe poſſit: ergo ſtat firmum illud, quod *Catholica veritas diſtinctè pronuntiavit: Deus ſi non unus eſt, non eſt; quia dignius credimus non eſſe quodcumque non ità fuerit, ut eſſe debebit.* Ità Tertulianus Lib: 1. adverſus Marcion: cap: 3. p. 336.

Prob: 2°. eadem Dei unitas ex unitate mundi, juxta id Ambroſii Lib: 12. de Fide, cap: *Unum Deum communis natura teſtatur, quia unus eſt mundus.* Sic igitur procedere juvat: Vel ad productionem mundi ſufficit unus de pluribus Diis, vel opera omnium neceſſaria eſt. Si ſufficit unus; alii omnes ad mundi productionem ſuperflui fuêre; & potuit eſſe mundus Diis etiam otiantibus, forte & invitis: quis autem ſerio dixerit Deum eſſe, ſine quo mundus creari potuerit, & etiamnum regi? Si autem unus non ſufficit; ergo virtutis eſt finitæ, ut qui Entis extra ſe poſiti ope indigeat.

Confirm. Si Dii plures mundum creaverint, neceſſum eſt ut hunc iidem plures regant: qui enim dat eſſe, & id quod eſſe conſequitur, largiri debet. Porro ſi plures mundum regant, dubio procul regunt libere; eſt namque libertas ut hominis, ſic & divinitatis magna perfectio. Quæro igitur, vel poterunt pugnantia velle, vel non poterunt. Si dicas poſſe, velit ergo unus

ſolem moveri, & alter eundem immotum manere. Uter, amabo, eâ in contentione prævalebit: uterque enim prævalere non poteſt, quia pugnantia volunt. Supereſt ergo ut vel unus prævaleat, tuncque apparebit alterius imbecillitas; vel neuter prævaleat; & tunc tota ſe prodet infirmitas utriusque, qui quod velit, præſtare nequeat. Quod ſi eos neges pugnantia velle poſſe; ergo uterque ſuperiori fato ad idem cum alio volendum invicte flectetur. Qui enim libere vult diverſum quid ab eo quod velit alius, velle poteſt. Hæc & alia id genus plura videris apud citatum ſupra Doctorem ubi & Polytheiſmum in ſpecie, Valentini ſcilicet, Marcionis, ac Manichæorum feliciter convellit: ſed & vide quæ tomo ſuperiori diximus pag: 64. & ſeq:

Obj: 1°. Admitti poteſt in quod clare & diſtincte concipitur: Atqui clare & diſtincte concipitur totam divinitatis rationem fore in pluribus diis. Prob: min: In iis tota foret divinitatis ratio, quibus nulla deeſſet perfectio naturæ divinæ eſſentialis: Atqui duplici Deo nulla deeſſet... Prob: min. Si quæ utrique huic Deo deeſſet perfectio eſſentialis, ea maxime per quam alter ab altero diſtingueretur: atqui hæc non eſt perfectio naturæ divinæ eſſentialis. Perfectio enim quâ individuum naturæ unius ab alio ejuſdem naturæ individuæ diſtinguitur, nihil aliud eſt quam differentia numerica: atqui differentia numerica non eſt perfectio naturæ divinæ eſſentialis. Prob: min. Illa perfectio non eſt naturæ divinæ eſſentialis, quam natura divina non poſtulat haberi ab eo qui Deus eſt: atqui natura divina non poſtulat in eo qui Deus eſt, ut habeat differentiam numericam alterius. Siquidem natura divina non poſtulat ut qui Deus eſt, habeat perfectionem quæ pugnat cum æquali; quæque ideo eſt tantùm perfectio ſimplex ſecundum quid; atqui differentia numerica, ſeu perfectio quâ Deus unus ab altero diſtingueretur, pugnaret cum æquali, eſſetque duntaxat perfectio ſimplex ſecundum quid; ergo.

R. 1°. ad 1. & 2. neg. min: ad 3. neg: maj: 1°. perfectio quæ tunc Deo deforet, non eſſet ſolum differentia numerica, ſed inſuper cognitio cogitationum alterius, libera mundi diſpoſitio, felicitas ſumma quæ ortum ex rivalitate livorem arcet; 2°. perfectio utrique Deo deficiens non tam eſſet differentia numerica alterius, quàm hujus excluſio; quæ quidem perfectio dici optime poteſt, cum ſit idem ac præſtantiſſima illa ſingularitas, quæ prohibet ne Deus parem habeat.

R. 2°. neg: min: ejuſdem & ſequentis argumenti. Ea enim perfectio naturæ divinæ eſſentialis eſt, quâ ſublatâ ex duobus Diis neuter haberet hanc, ut loquitur D. Thomas, *ſuperabundantiam divinam*, quâ fit ut Deus omnia excedat. Neuter item perfectiones omnes, ſaltem identice & realiter poſſideret: atqui ſublatâ ab uno Deo differentia numerica alterius, jam neuter haberet, &c. Unde

Ad 5. neg: min: ad 6. diſt: maj: natura divina non poſtulat, ut qui Deus eſt, perfectiones ſimplices ſecundum quid poſſideat formaliter, C. eminenter aut identice, N. Eſſentia enim entis omnium perfectiſſimi perfectionem quamlibet poſſibilem aut formaliter complecti debet, aut eminenter & identice: atqui in hypotheſi plurium Deorum unus non contineret formaliter rationem numericam alterius, ut per ſe patet, non etiam identice, quia ambo nulli tertio identificarentur; nec demum eminenter, quia differentia, ſeu conſtitutivum Dei poſſideri non poteſt nobiliori modo quàm ſit in ſe ipſo; ergo.

Obj: 2°. Supponi poteſt futurum ut Dii plures idem circa mundi creationem velint; ergo ex unitate mundi non colligitur Dei unitas.

R. ut ſupra: vel Dii plures unum & idem volent neceſſario, vel libere. Si neceſſario; ergo carebit uterque libertate circa creationem mundi. Si libere; ergo citra contradictionem ſupponi poteſt futurum, ut aliud nolit id quod placebit alteri: uter tunc temporis eo in diſſidio prævalebit?

Obj: 3°. Quæcumque à nobis adverſus Deorum pluralitatem congeruntur argumenta, non minus Chriſtianos feriunt quàm Polytheitas.

Prob: ant: Chriſtiani omnes, demptis Socinianis, plures admittunt in Deo perſonas: ſed quæ Deorum pluralitatem convellunt, hæc & perſonarum pluralitatem impugnant.

Prob: min: Unitas Dei probatur à Chriſtianis, 1°. ex productione mundi; ejuſdemque gubernatione; 2°. ex idea SUMMI MAGNI, quod unicum eſſe neceſſe eſt: atqui duo hæc momenta pluralitatem perſonarum ſubvertunt.

Namque 1°. de perſona argumentari licet, prout de natura argumentati ſumus: Vel una perſona ſatis fuit ad mundi productionem; vel non. Si ſatis fuit; ergo ceteræ inutiles & otioſæ fuerunt. Si ſatis non fuit; ergo quælibet perſona non fuit omnipotens.

2°. Quælibet persona vel id est, quo melius aliud cogitari non potest; vel non. Si primum; ergo quælibet persona omnes omnino perfectiones complectitur, adeoque Paternitas Filiationem includit. Si secundum; ergo quælibet persona non est Deus; ac proinde falsæ sunt hæ Propositiones, Pater est Deus, Filius est Deus, &c. Ergo.

R. ad 1. neg: ant: ad 2. & 3. neg: min: ad 1. & 4. neg: ant: De his enim solum dici potest quod ad aliquid sufficiant, vel non sufficiant, quæ operantur per potentias plane diversas: quæque ideo circa opus aliquod indigent aliorum entium subsidio, circa aliud vero non indigent: jam vero divinæ, quas Christiani confitentur, personæ non operantur per potentias diversas; cùm eadem sit in omnibus natura & potentia. Ergo personæ divinæ nec dici possunt sufficere, nec dici possunt non sufficere. Quapropter objecta difficultas *est*, ut aïunt, *de non supponente*. Supponit enim personas mundum creare vel regere, quatenus personæ sunt, non autem quatenus Deus sunt; quod utique falsum est: cum Deus ad extra operetur per potentiam & voluntatem, quæ sunt immultiplicabiles.

Ad 2. 4. dico quamlibet personam in genere personæ id esse quo melius nihil cogitari possit: Neque vero huic quidpiam deficit quod desiderare queat; non ex parte personalitatis, quam aliis personis æqualem habet, imo & quarum hypostasim identice possidet in essentia; non ex parte naturæ, quam unaquæque secundum essentiales ipsius perfectiones totam habet, & in qua quidquid optimi excogitari potest, eminenter vel realiter possidet.

CAPUT TERTIUM.

Impugnantur Deistæ.

Deistarum nomine ii intelliguntur, qui Entis supremi, æterni, infiniti, summe intelligentis, à quo omnia creata sint, & conserventur, existentiam admittunt; sed nullam ab eo positivam Religionem institutam fuisse propugnant.

Deistarum duplex ordo: Alii Theologiam suam ad id totam reducunt: *Nubes latibulum Dei: nec nostra considerat.* Hi nempe Deum admittunt, cujus oculis virtus & vitium idem omnino sint; qui bona & mala pro summo suo arbitrio creaturis suis dividat, non pro

Job: 22. 14.

ipsarum meritis & demeritis, quæ coram ipso reapse nulla sint; qui nihil post vitam hanc cuipiam seu præmii, seu malæ mercedis præparet; qui demum animam cum corpore prorsus extinguat. Hujusmodi portenta vel Atheos, vel ad minus Atheo-Deistas jure nuncupaveris.

Alii quantum ad omnia pugnant ex adverso: Docent itaque 1°. potissimas hominis partes in eo esse ut Ens supremum æstimet, diligat, honoret atque veneretur; 2°. certas ac fixas esse boni & æqui leges, quas homo sequi debeat, remunerandus à Deo, si sequatur; pœnâ vero afficiendus, si obtemperare neglexerit; 3°. gloriosam immortalitatem præmium fore virtutis in altero seculo, vitii vero fructum fore ignominiam & pœnas, sed quæ post certum tempus desituræ sint, quia ordini repugnat ut momentanea noxa cruciatu plectatur sempiterno; 4°. totam hominis Religionem in eo versari, ut Deo, sibi & proximo id omne pendat, quod ratio præscribit. Hæc Deismi species eo quidem à Christianismo differt, quod positivum Dei cultum, fidei Mysteria, ac pœnarum æternitatem neget: at dubio procul à prima Deismi classe longius distat, prout utramque secum conferenti liquido patebit.

Ut binam hanc Antichristianorum phalangem perrumpamus, tria nobis præstanda sunt; 1°. imminuenda est eorum autoritas; 2°. labefactanda præcipuâ eorum dogmata; 3°. & jacienda, quæ suo tempore assurgent, Religionis revelatæ fundamenta.

§. I. *Expenditur autoritas Deistarum.*

Quandoquidem novam, veteri dirutâ, Religionem promovere student Deistæ, necessum est, ut quæ ipsos ad propulsandam foedi Christianismi caliginem deputavit providentia, nihil his eorum negaverit, quæ ad excutiendum seductis populis errorem inservire valeant. Unde populorum reverentiam & attentionem mereri, mentes ex nova Religionis mere naturalis prædicatione turbandas pacare, & quidquid hâc occasione emerserit dubiorum avellere debent. Id autem cum per miraculorum viam, quæ tamen nimio plus non fuerit, necdum tentaverint, justum est ut via præstent æquivalenti. Age ergo, & quid spondeant novorum Apostolorum mores, virtus & ingenium, expendamus. Sit

Conclusio I. Nihil habent Deistæ unde Religionem suam tantillum confirmare possint: habent ve-

ro & plene habent, unde grave eidem præjudicium inferant.

Prob: Viri quorum ne unus quidem Christianam quam puer didicit, Religionem ejurat virtutis studio & amore, sed omnes ut genio & libidini tranquillius indulgeant: viri qui quo plus in Deismo proficiunt, eo minus Deo, sibi & proximo pendunt id quod iisdem monente natura debent: viri demum qui Religionem suam eo prædicant modo, quo suam prædicet diabolus, si quam adstruere velit; nihil profecto habent unde dogmata sua confirmare valeant: habent vero unde iis grave inferant præjudicium: atqui tales sunt Deistæ.

Minor constat de prima illa Deistarum classe, cujus supra opinionem, seu potius Atheismum exposuimus. Hi enim cum Deum cæcum nullius creaturæ providum, nullius flagitii ultorem, nullius virtutis remuneratorem admittant, quo tandem frœno ab iis sceleribus retrahentur, quæ humanæ leges vel ignorant, vel non plectunt? Utique si plerique eorum, qui post exitum vitæ hujus, mercedem sperant æternam, & cruciatus perpetuos timent, nihilominus in enormia multa proruunt; quid ab iis expectandum, quibus pari loco sunt virtus & vitium, patriæ proditio & fides, alieni violatio, & pudicitia conjugalis? Apage portenta ignibus impio Vanini olim constitutis dignissima.

Sed neque minus constat eadem propositio de secunda Deistarum classe. Cedo enim vel unum, qui secundum interioris conscientiæ leges asserere ausit, se ex quo Deismum amplexus est, continentiorem fuisse quàm anteà foret, misericordiorem in pauperes, à carneis voluptatibus remotiorem, domesticæ pacis studiosiorem, sollicitum magis, qui Dei sui manum ut in prosperis, sic & in adversis laudaret, &c. Nos pro eo uno phœnice centum dabimus, qui iniquitatem ut aquam ebibunt, quibusque totum id pene exprobrari possit, quod gentilibus exprobrat Apostolus Rom: 1. Neque id aliunde habemus, sed ex ipsorum ore: quoties enim, juvante gratia, ad meliorem frugem reversi sunt, palam aperuêre, licentioris vitæ illecebras unam sibi fuisse ab avita fide discedendi causam.

Quanquam nec ista eorum confessione indigebamus. Quid enim uspiam in tota ipsorum agendi ratione emicuit, quod eam morum ac vitæ gravitatem spiraret, quam si quibus supremum Numen impertiri debet iis profecto quos novæ Religionis præcones facit. Confe-

rantur paulisper qui Deismum annuntiant cum iis qui Christi legem promulgârunt. Hi orationi & ministerio constanter vacabant: illi ludo, epulis & voluptati. Hi se suaque superimpendebant, ut omnibus benefacerent: illi obvium quemque feroci dente carpunt, nec inimicis, nec amicis, si res ferat, parcituri. Hi in amplissimis sapientum conventibus, & medio etiam in Areopago semen Evangelicum spargebant: hi dicendi theatra sunt popinæ & caffei, nebulonum cœtus, perditarum mulierum societates. Hi frontem eo usque ad modestiæ leges compositam præferebant, ut vel ex solo intuitu haberentur pro Christianis: illi vultu, incessu, totoque habitu corporis, levitatem, petulantiam, amorem suî, ceterorum aspernationem exhalant. Hi suasibilia humanæ sapientiæ verba dedignati licet, ita ferebantur in altum, ut Platonicis ipsis, mortalium sapientissimis, admirationi forent: illi dilectionis amœnitatem, sermonis lepores, verborum ludos sectati licet, ut plurimum nec aliis ejusdem secum farinæ tenebrionibus probantur. Religionis sanctæ dogmata coram Cæsaribus ipsis propalabant intrepidè, suique sanguinis sigillo obsignabant: illi mugiunt in tenebris, Scripta sua, si quid immineat pœnæ, diffitentur; & quod aperte evomuerunt, apertius retractare consueverunt. Apage id genus Apostolos: Tales sibi ambiat Lucifer.

Fleury, mœurs des Chrétiens.

Fateor notum mihi olim fuisse â Deistis quempiam, qui eo ferè modo viveret, quo Christiani puriores; ità ut universorum parentem crebrò ac enixè precaretur; & carnem, nè adversus spiritum concupisceret, jejunio variisque afflictionibus premeret. At non permisit, qui inquirentibus se nunquam deficit Deus optimus, ut candidi pectoris homo, qui dubii & incredulitatis spiritum ab Anglicanis sectis hauserat, eo in loco diutius hæreret. Agente igitur Angelo bono quem nesciebat, Bataviam appulit. Hinc medios inter Ludovici XIV. & fœderatarum gentium exercitus devenit Cameracum. Ibi Fenelonium illum toto Orbe celebrem audiit. Dubia quæcumque in Deismi fundo germinant, toto mentis, cordis ac linguæ pruritu proposuit. Oppressus tandem veritate, nuntium remisit errori: & Catholicam amplexus fidem, multo plus tenerâ & constanti pietate enituit, quam copiâ & facilitate scribendi. Hunc æmulare quisquis es Deista; & te haud multo post nostrum fore confidimus.

Conclusio II. Nihil habent Deiſtæ, quo Profelytorum ſuorum conſcientiam tranquillare valeant.

Prob: 1°. Ut Chriſtiani in fide ſua nutantis animum tranquillent Deiſtæ, neceſſum eſt ut indubiè adſtruant, 1°. fieri non poſſe ut Deus Religionem poſitivam revelet; aut ſaltem mendaces eſſe eas omnes, quæ ſe ſe pro revelatis exhibent; 2°. ut prædictiones in veteri & novo Teſtamento contentas vel falſi convincant, vel ſuppoſititias eſſe demonſtrent; 3°. ut idem præſtent quoad miracula unanimi ſeculorum omnium calculo, & ipſius Eccleſiæ judicio comprobatâ; 4°. ut Chriſti reſurrectionem anilibus fabulis annumerandam eſſe, eamque & ab impoſtoribus prædicatam, & ab inſipientibus toto terrarum Orbe creditam eſſe oſtendant; 5°. ut Martyrum conſtantiam nihil aliud fuiſſe probent quàm ferinum furorem, quem Deus, cujus ſummam bonitatem urget Autor cogitationum Philoſophicarum, permittere potuerit & debuerit; 6°. ut evincant Juſtinos, Cyprianos, Origenes, Cyrillos, Gregorios, Chryſoſtomos, Hieronymos, Ambroſios, Auguſtinos, & alios id genus Chriſtianæ Religionis heroes, quorum ingenii vim & aciem toties demirata fuit gentilitas, reipſâ fuiſſe anguſti & imbecillis animi homines, qui nihil eorum viderint, quæ lyncei Deiſtarum oculi primo intuitu vident; qui abſurdiora quæque commenta admittere parati eſſent; qui inanibus præſtigiis ſe ſe deludi paſſi ſint. En quæ extra omnem dubii metam locanda ſunt à Deiſtis: qui enim dubium non tollent, mentes utique non pacabunt. Atqui nè ex his quidem unum oſtendent Deiſtæ, nedum oſtendant omnia; ergo cum proſelytis ſuis animæ tranquillitatem ſpondent, ludos faciunt & clamant: pax, pax, ubi pax affulgere non poſſit.

Prob: 2°. Qui ſeipſos pacare non valent, multo minus pacabunt ceteros: Atqui Deiſtæ pacare ſe ipſos non valent. Qui enim ingruente mortis metu miſere anguntur, ità ut æternitatis infauſtæ cruciatus præſentire videantur, vixque, propoſitâ à piis Sacerdotibus Dei miſericordiâ, à deſperatione cohiberi poſſint; ii certè nihil veræ tranquillitatis habent: Atqui tales eſſe ut plurimùm Deiſtas notum eſt unicuique qui Deiſtas noverit. Luculentum eâ de re teſtimonium perhibuit vir de re literariâ inſigniter meritus, clariſſimus D. de Ramſai: Is cum ab Italia in Gallias renavigaret, ſocium itineris habuit celebrem Deiſtam, in id à mane ad veſperam intentum, ut Chriſtianam Religionem

totam quanta est, derideret. Erat ea hominis securitas & constantia, quæ audientes percellendo terreret. At diu non stetit splendidum illud mentientis animi robur: exortâ nimirum tempestate quæ præsentem mortem intentaret omnibus, fusus in preces Deista, mortuo pallidior, & quasi jam baratro tradendus, invocare cœpit & Christum, & Sanctos omnes, quos inter, vir cœlestium imperitus, S. Dionysium Halicarnasseum recensuit. Modestior inde factus reliquum iter ore clauso ac demissis oculis confecit. En Deisticæ pacis specimen.

Objiciebat mihi aliquis in eam sectam non parum propensus, summam hanc Deistarum anxietatem oriri è præconcepta Religionis opinione, quæ difficilè abjicitur.

At quis non intelligat partes nostras eâ responsione penitus juvari. An enim certa est & indubia Religio, quæ scrupulos non tollit, quamque qui profitentur adeò parùm suì compotes sunt in extremis, ut tartareis furiis dilacerati appareant? Certè si à Christiana Religione deficiendo, à mera fatuorum errorum compage defecerint, idem, occumbendo, experiri debent, quod experti sunt primævi Christiani, qui seu à Judaïsmo, seu ab Ethnicismo ad Christi fidem convolarunt; imò longè tranquilliores spiritus gerere debent; cùm ex suppositione Deisticâ Gentiles ad fidem conversi errorem errore commutaverint; Deistæ vero fidei desertores errorem commutent veritate. Atqui quâm sancta, quàm plena, quàm cœlesti gaudio perfusa fuerit, sub ipsum mortis tempus, atque medios inter tyrannidis cruciatus, primævorum Christianorum mors, nescit nemo qui eorum historias vel à limine salutaverit. His omnibus una eademque vox, nempè & gratiarum actio ei tenerrimè repensa, cujus beneficio à tenebris in admirabile Evangelii lumen translati erant; & desiderium dissolvi, ut essent cum Christo; ergo idem ad minus sentire deberent Deistæ. Non sentiunt porro, sed aliquid plane diversum; ergo.

§. II. *Convelluntur præcipua Deistarum dogmata.*

Jam ab initio observavimus geminam esse classem Deistarum, quorum alii contendunt, 1°. nihil esse coram Deo virtutem inter & vitium discriminis: unde id solùm pro virtute habent quod Princeps præcipit, quidquid tandem ille præcipiat; id vero solum pro vitio,

quod ipse prohibuerit, quidquid is prohibeat; 2°. & consequenter hominem nullam, quia bene agat, mercedem à Deo promereri: nullam item, quia male operetur, ab eo poenam vereri posse; 3°. ac proinde animam, cujuscumque ea sit generis, una cum corpore extingui. Alii ex opposito portenta hæc rejiciunt, eoque solum discrepant à Christianis, quod naturali Religione contenti positivum Dei cultum, & poenarum æternitatem negent. De positivo Dei cultu dicemus §. seq: Cetera controversiæ capita in præsenti expendemus; non quia necessarium sit istud examinis genus; qui enim veram Christi Religionem demonstravit, nihil non demonstravit: sed ut intelligant Deistæ, se Christianis, ne ad ipsum quidem unius rationis tribunal, esse superiores. Sit igitur

Concl: I. Dantur antecedenter ad positivas quascumque Dei & hominum leges opera de se bona; dantur & de se mala.

Prob: contra Thomam Hobbes, male famosum seculi decimi septimi in Anglia Scriptorem. Prob: inquam, 1°. si bonitas vel malitia actionum à solâ, eâque liberâ, Dei vel hominum lege pendeat, potest Deus vel homo id omne quod præceperit, in actum virtutis; contra vero id omne quod prohibuerit, in actum vitii transformare: atqui absurdum & impium consequens. Si enim id possit Deus vel homo, poterit Deus odium suî præcipere, poterit & Princeps cruciatus & necem innocentis imperare; atque adeo virtutis actum eliciet, qui Deum, ens summe perfectum, cui sua omnia debet, odio prosequetur; quive infantem, qui sibi nihil nocere potuit, flammis voracibus tradet: atqui hæc tam absurda sunt, tam primævis rationis notionibus adversa; ut nequidem â sensatis audiri, ac multo minus concipi valeant; ergo.

Prob: 2°. Datur in singulis hominibus, atque etiam in gentibus immanitate barbaris synderesis intima, quâ cruciantur qui occulta quædam facinora, etiam humanis legibus minimè obnoxia, perpetrant. Sic quisquis animi impos non fuerit, pungentem conscientiam sentiet, statim ut viro bono vitam eripuerit: Atqui is conscientiæ sensus nonnisi à puriori rationis lumine esse potest. Ergo dictat ratio purior quædam esse de se mala & improbanda; ergo sicut indubie constat ante omnem Dei vel hominum legem, totum majus esse suâ parte & æqualia remanere omnia, ubi æqualia ab æqualibus demuntur; sic & independenter à quacum-

que Dei & hominum lege constat diligendum esse Deum, referendam beneficio gratiam animi benè memoris, parentibus egenis subveniendum.

Obj: 1°. Si independenter à positivis legibus vitium à virtute discreparet, deberent noti esse limites quibus hæc ab illo secernitur: Regula enim omnibus proposita, omnibus nota esse debet. Atqui tamen ignoti sunt virtutis & vitii limites. Siquidem circa ea tantum scinduntur homines, quæ ambigua sunt & obscura: Atqui circa virtutis ac vitii limites mire scinduntur sapientiores quique. Hinc eruditorum alii quædam reprobant ut mala, quæ alii commendant. Hinc legislatores alii certa quædam prohibuêre, quæ ab aliis in capite legum admissa sunt; ergo.

R. ad 1. neg: min: & dico ex iis qui rationis lumen & oraculum serio interrogant, neminem esse qui erret circa præcipua juris principia, qualia sunt isthæc: *Diliges Dominum Deum tuum, Quod tibi fieri non vis, vide ne feceris alteri, &c.*

Ex his porro principiis, quæ unicuique vel minimum attendenti obvia sunt, innumeræ difficultates solvuntur in praxi. Alteri ne facias quod tibi factum dolueris; ergo non occides, non furtum facies, non mœchaberis, non detrahes, &c. Quod si obscurioribus quibusdam hæreat mens incerta, certam habet regulam, quâ declinet à noxa; nempe ut in dubiis id sequatur quod tutius fuerit. Si autem rebus debite pensatis aberret, veniam promerebitur bona & inculpata fides.

Obj: 2°. Opinio, quæ aliunde quàm à supremo Principis arbitrio, virtutis ac vitii normam depromit, Regnorum tranquillitati adversatur. Exigit enim Regnorum tranquillitas, ut qui Societati præsunt, leges adeò absolutas ferant, ut plectatur illicò quisquis restiterit: Atqui admissa bonum inter & malum distinctione, quæ positivam legem præcedat, tolletur suprema illa legis absolutæ potestas. Nemo enim civium ante obsequetur, quàm legem in privata statera appenderit; unde obediet, si hanc justam esse deprehendat; sin aliter, unum id dabit responsi: *Melius est obedire Deo, quàm hominibus*. Hinc autem quanta rerum omnium confusio.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. maj: in sensu objectionis; & dico Hobbesii opinionem unam esse quæ Principem adversus subditos, & subditos adversus Principem armare possit. Sit enim Pharao quispiam, vel Ne-

ro, qui Hobbesiano systemate imbutus præcipiat ut patres prolem suam ab utero recentem immergant aquis; utve unicuique uxorem alterius vel puellam violare liceat, aut renitentem interimere. Quid inde, amabo, nisi luctus, horror, mutua civium internecio, atque ipsius Tyranni cædes? Absit ergo ut impium Angli dogma probent Principes. Absit ut aliud imperent, quam quod æqua ratio dictaverit, aut permiserit. Neque hinc quidquam eorum decedet autoritati, quæ contra eo crescet magis, quo sanctius se se exeruerit. Ceterum tametsi ubique gentium ignota sit vel contempta Hobbesii cogitatio, nullibi ferme contingit, ut abjiciantur Principum Edicta; seu quia æquitati manifestè congruunt; seu quia quædam de se indifferentia præcipiunt; seu quia quæ inique jubentur, ut nimii tributi pensitatio, non raro piè & sancte executioni mandantur.

Conclusio II. Exigit ordo ut sua virtuti merces, sua etiam vitio poena post hujus vitæ exitum respondeat.

Prob: 1°. exigit ordo, ut qui legem indixit, vel indictam approbat, ejusdem legis observationem serio & efficaciter procuret. Alioqui lex ab ipso suî autore neglecta in despectum veniet, cassaque & inanis reputabitur. Atqui legis suæ observationem non promovebit Deus, nisi & virtuti præmia, & vitiis poenas decernat. Qui enim infractorem pari loco habens cum observatore efficiet, ut prior mage magisque recedat à lege, quæ difficile impletur, & impune negligitur; posterior vero poenalem simul & infructuosam disciplinam abjiciat; is profectò legis observationem imminuet, nedum promoveat: atqui in hypothesi Deisticâ efficiet Deus, &c. Ergo stat suam virtuti mercedem, sua vitio supplicia à Deo decerni debuisse, & ideò decreta fuisse.

Subsumo: atqui rursus constat plerumque in hac vita fieri, ut qui legis præcepta majori studio adimplent, nullâ interim exteriori mercede donentur; quin & intus scrupulis ac tentationibus, extus vero hominum nequitiâ & oppugnatione adeò discrucientur, ut eos vitæ tædeat. Neque minus constat, eos, quibus ad unum curæ est, ut per fas & nefas genio ac voluptatibus vacent, bonis omnibus affluere. Hinc illa quâ passim abutuntur improbi, Jeremiæ & Davidis ad Deum querela: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum: Veruntamen justa loquar ad te: Quare via impiorum*

Jerem: 12. 1. 2. *&c.*

proſperatur; bene eſt omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantaſti eos & radicem miſerunt, proficiunt & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. * *Dixerunt: quomodo ſcit Deus, & ſi eſt* humanarum rerum *ſcientia in excelſo. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt divitias. Et dixi: ergo ſinè cauſa juſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, &c.* Ergo ut ſua divinæ equitati jura aſſerantur, è re eſt, ut qui in hac vita paſſi ſunt juſti, reficiantur in altera; contra vero qui in eadem vita bonis affluxerunt, plectantur in futuro ſæculo. Unde ipſam naturæ vocem exhibent hæc ad divitem epulonem Abrahæ verba: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris,* Luc: 16. 25.

* *Pſal:* 72. 15.

Prob: 2°. quia poſitâ, qualem experimur omnes, hominis in malum propenſione, vix fieri poteſt, ut is, ſecluſâ boni ſpe, virtutem, pœnalis & ardui plerumque exercitii opus, ſedulo proſequatur; & à vitio voluptatis & opum plerumque feraci, conſtanter deflectat. Ergo niſi ſupremam boni & æqui legem ſublabi ac peſſum ire voluerit Deus, neceſſe fuit ut ſua virtuti, ſua & vitio præmia decerneret. quod enim commenti ſunt Stoïci, virtutem ſibimetipſi ſatis eſſe; id ſi fortè in imaginaria quapiam Platonis Republicâ locum habere queat, non certe in humana, qualis nunc eſt ſocietate: hîc enim altis adeo & crebris difficultatibus obnoxia eſt juſtitiæ, temperantiæ, continentiæ ceterarumque virtutum exercitatio, ut certò conjici poſſit, eam ubique neglectum iri, ſi omnis dematur ſpei timoriſque cauſa.

Prob: 3°. Brevi illâ Lactantii ſententiâ, Lib: 7. Inſt: *Si nihil poſt mortem ſumus, quid poteſt eſſe tam ſupervacuum, tam inane, tam vanum, quàm humana res eſt, quàm mundus ipſe?* Quæ verba in hoc ratiocinium compingi poſſunt. Nulla eſt in terris creatura homine nobilior; nulla quæ imaginem Dei ſplendidius præferat; nulla cujus in gratiam orbis univerſus deſtinate magis conditus fuerit; nulla quæ mundo toto æquè fruatur; cùm ad oculum pateat, oves, boves, pecora campi, piſces maris, terræ metalla, mundi utriuſque opes, ceteraque uberis naturæ miracula eidem ſubjecta fuiſſe: Atqui ſumma hæc hominis nobilitas, præſtantiſſima illa divini Numinis repræſentatio, ingens ille in creata cetera dominatus, in auras vaneſcunt, ſi

homo brevi vivens tempore, multis repletus miseriis, post vitam in nihilum decidat. Finge tibi Principem, qui egenum quempiam de terra suscitet, nobilitate, opibus & regiâ instruat, ab aulicis ut à plebe suppliciter honorari imperet, ut eum postridiè annihilet. Erit hæc Dei erga hominem agendi ratio in opinione Deistica. Id autem in præsenti rerum ordine quis ferat?

Obj: Sublatis alterius vitæ præmio & pœnis, sua erit etiamnum virtuti merces, bonæ scilicet conscientiæ testimonium: erit & suum vitio supplicium, vividi nempe & acres invictæ conscientiæ remorsus. Ergo.

R. 1°. posito Deistarum, quos in præsenti oppugnamus, systemate, nullos fore conscientiæ remorsus, etiamsi quis sacratiora naturæ jura violet, modò Principis legem non infringat; quia sola politicæ legis inobservantia vitio imputabitur.

R. 2°. Remorsus conscientiæ frœnum esse levius, quam ut ab implendis libidinibus deterreat. Unde sublato æqui vindicis tremore, id unum in corde; fortassis & in ore habebit Deista, quod olim evomuit impietas: *Manducemus & bibamus: Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Opprimamus pauperem justum & non parcamus viduæ. Sit fortitudo nostra lex justitiæ: cras enim moriemur.* Et vero quis nesciat impios eo tandem devenire geminatis sceleribus, ut extinctâ penè synderesi iniquitatem velut aquam bibant? Deinde ideo solùm homines pungit aut solatur conscientia, quia pro certo habent judicium ejus divino judicio dissentaneum esse vel consentaneum: id autem locum non habet in systemate Deistarum, quibus si fides sit, Deus nihil boni approbat, nihil redarguit mali.

Sap. 21.

Conclusio III. Anima est & esse debet immortalis.

Prob: 1°. Ex dictis sua debet esse post vitæ hujus exitum, animæ justæ merces, sua & animæ impiæ pœna. Ergo necessum est ut dissoluto corpore supersit anima. Si autem aliquandiu, quidni semper?

Prob: 2°. Substantia, quæ nec ab intrinseco dissolvi potest, nec ab extrinseco dissolvi debet; merito statuitur immortalis: atqui talis est anima.

Et quidem 1°. ab intrinseco dissolvi non potest. Ideo quippe corpora dissolvuntur ab intrinseco, quia ex variis coalescunt partibus, quæ se se mutuâ collisi-

one infringunt & demoliuntur. Atqui nullas hujusmodi partes habet anima; cùm à materia non sit, sed merè spiritualis ut superiori Tomo * diximus.

2°. Nec extingui debet ab extrinseco. Quippe extrinsecum illud, vel foret corpus ipsum, vel supremus rerum omnium arbiter Deus: atqui anima nec à corpore extingui potest, nec à Deo unquam extinguenda est. Non potest à corpore extingui; tum quia corpus ne aliud quidem corpus extinguere potest, tum quia corpus per se solum in animam agere non valet. Sed neque etiam à Deo extinguenda est: 1°. Enim res tanti momenti sine gravi fundamento admitti non debet. Deistæ porro unam hanc habent causam admittendæ animarum mortalitatis, quod hæc libidinibus suis admodum commoda sit: quæ ratio si quid probat, certe contra ipsos; 2°. qui ne atomum quidem ab exordio mundi huc usque annihilavit, multo minus animam, nobilissimam sui imaginem, annihilabit. Atqui Deus, ex unanimi Philosophorum consensu, ne atomum quidem hactenus in nihilum redegit: ergo nec animam in nihilum redacturus censeri debet, nisi suam ea de re voluntatem ineluctabili quopiam signo demonstraverit: atqui non demonstravit: sed è contrà. Qui enim invictam beatitudinis cupidinem dedit animæ, nec certe frustra dedit, utpote qui nihil frustra operetur: is profecto animam non condidit ad interitum, sed ad illius jugiter expetitæ felicitatis possessionem. Atqui Deus invictam perpetuæ beatitudinis cupidinem injecit animæ: prout sentiunt omnes & experiuntur. Ergo, ne illusoria & frustranea sit innata hæc omnium animis cupido, dicendum est mentem condi cum germine immortalitatis.

* Tom. 1. pag: 51. & 52.

Prob: 3°. Admittenda est certissime Religio revelata, ut constabit ex dicendis: Atqui hæc animæ immortalitatem adstruit indubie. Ergo.

Obj: 1°. Substantia ejusdem cum corpore conditionis, non aliam habet immortalitatem quàm corpus: atqui anima.... Quæ enim deficiente corpore deficit; quæ fractis organis delirat: quæ in deliquiis nihil videt, nihil percipit, nihil cogitat, hæc sane ejusdem est conditionis cum corpore: Atqui anima, &c.

R. ad 1. neg: min: ad 2. neg: maj: populari sensu intellectam. Ex eo quod anima turbato graviter cerebro, aut commoto organorum situ desipiat & abalienetur, colligere quidem est ipsam arctis admodum nexibus coadunatam esse corpori, & ab eo plurimum in

operationibus suis dependere. At neutiquam hinc inferre licet, parem esse utriusque naturam & sortem. Sic quia nauta velis & gubernaculo destitutus navim dirigere nequit; aut pictor sine penicillo & coloribus tabellam & imagines adumbrare non valet, nemo prudens inferet utrumque ejusdem esse conditionis cum nautico gubernaculo, aut, pictoris coloribus. Idem de anima dicendum relative ad corpus: ea quidem corpore corrupto aggravatur; sed ita ut tunc etiam se se intelligentem esse probet: percipit enim, licet confuse; judicat, etsi ut plurimum insipienter; discurrit, quamvis fatuè: Ex his porro nullum est quod materia sola, in pari etiam gradu, præstare possit.

Cur vero mens nihil eorum meminerit, quæ seu in delirio, seu in deliquio corporis cogitavit; ratio hæc exhiberi solet, quod mens tunc temporis quasi à corpore soluta, atque independenter ab ejus organis percipiens, obruatur cogitationibus, quibus nulla respondent in cerebro vestigia. Quanquam, & id expertus sum, mens post deliquia, ut & post somnum, eorum quæ tunc cogitavit, non nihil recordatur.

Obj: 2°. Mentis immortalitas ejusdem spiritalitati innititur: hæc vero ex animæ ideis, judicio & discursu tantum probari potest. Atqui animæ spiritalitas ex illa cogitationum strue male prorsus infertur, nulla enim belluis inest anima spiritalis: Atqui eæ tamen cogitant non secus ac homines, imo acutius plerumque. Sic aves ea arte nidum construunt, quam hominum nemo imitari valeat. Sic insidiosa feles sub arborum ramis, quasi nihil meditans doli, profunde & placide latitat, ut in incautam volucrem proruat. Sic telam elegantem orditur aranea, cujus fila industrie adeo disponit, ut vel leviori motu admonita suam illico prædam invadat.... His autem quid præstantius operetur homo? merito igitur dixit quispiam:

Nos aper auditu, linx visu, simia gustu,
Canis odoratu præcedit, aranea tactu.

R. ad 1. neg: min: ad 2. non defuêre, qui stupendis belluarum operationibus fatigati, iisdem tribuerint animam spiritualem, sed una cum corpore interituram. Neque hinc, aïebant, quidquam timendum est humanæ mentis immortalitati. Mens enim humana boni malique moralis, meriti proinde ac demeriti capax à Deo condita est: secus de mentibus Belluarum, quæ nec oculos erigunt sursum, ut ex visibilibus ad invisi-

bilia assurgant; nec ullam virtutis ac vitii notionem exhibent: sed id unum inhiant, ne careant alimentis, quæ per media quæcumque sibi accersere student. Verum prætermissâ hâc solutione, quæ si forte Gentili Philosopho probari potest; à Christiano, ut Scripturæ, Patribus ac communi Fidelium existimationi adversa explodi debet.

R. neg: min: & dico ad belluarum operationes sufficere instinctum, seu, ut intelligi volumus, impressionem, vi cujus suos in fines à Creatore constanter determinentur. Et vero nemo usquam eò desipiet, ut perfectiorem belluæ quàm homini animam tribuat: Atqui si belluarum operationes ab ipsis, non ab earum Artifice prodeant, jam necessum est ut animam animâ hominis præstantiorem nactæ sint. Quæ enim sine magistro, sine studio, sine examine totum id agunt, quod impensius admiramur; cum è contra eò non deveniat homo, nisi studio, & labore; eæ præstantiorem humanâ anima mentem sortiri dubuerunt: atqui belluæ sine magistro, &c. Sic ovis à nemine erudita, lupum totis pedibus fugit, & ad canem properat. Sic aranea, præceptoribus destituta, muscæ & culici insidias parat. Ergo ne plus probent adversarii, quàm probare velint & ausint; ne, ut bruta attollunt, hominem de gradu suo deturbent, fateantur necesse est, belluas non à seipsis, sed ab ipsarum Opifice flecti & moveri.

Et vero motus qui ab homine indeliberatè, atque ideò citra ullum animæ rationalis subsidium producuntur, non debent, cum de belluis sermo est, in earum animam refundi: Atqui stupendi plures hominis motus, sive ut æquilibrium servet in lubrico passu, sive ut periculum inopinato ingruens effugiat, sine ullo animæ rationalis concursu exurgunt, quin & iis plerumque impendio noceret rationalis quæcumque disquisitio. Nemo enim non ante procubuisset humi cum summo nasi, forte etiam & cerebri discrimine, quam ad accuratas geometriæ leges expendisset, quo versum jactari debeant brachia, ut servetur debitum corporis æquilibrium, &c. De his adi Opera Philosophica Illust. Francisci de Fenelon, Cameracensis Archiepiscopi, part: 1. num: 23. & seq: Adi & si vacat, *Dissertationes de præcipuis Religionis fundamentis*, quæst: 2. pag: 209.

Obj: 3°. Si mens sit immortalis, non est cur mortem, malum sibi impossibile vereatur: Atqui veretur tamen & reformidat.

R. dict: Mortem veretur ratione tum suæ à corpore dissolutionis, tum futuræ sortis in altera vita, C. ratione suî præcisè, N. itaque mortem timet anima, tum quia per mortem sejungi debet à corpore, cuï tam arctis coadunata est vinculis, ut hæc nonnisi vi summâ disrumpi possint; tum quia, velit, nolit, intimè persuasum habet, ferales improbis post hujus vitæ exitum parari cruciatus, quos sæpius promerita sit. Is porro invictæ conscientiæ sensus animæ immortalitatem adstruit, nedum labefactet. Ceterum nihil sibi à morte timent, qui pie & sancte vixerunt, imo dissolvi cupiunt, ut æternam in cœlis habitationem adipiscantur. Notum illud B. Hilarionis: *Egredere anima mea; quid dubitas? septuaginta propè annis à Christo serviisti, & mortem times?*

Concl: IV. Pœnarum impiis constitutarum æternitas nullâ ratione convellitur; contra verò gravibus fulcitur momentis.

Prob: 1°. duplici potissimum de causa poenarum improbis constitutarum æternitatem negant Deistæ; 1°. quia nulla sit momentaneam inter delectationem & poenam æternam proportio; 2°. quia poenarum æternitas bonitati repugnet; cum pater bonus corripiat filium ut emendet, non vero ut omnem ei spei, salutisque aditum præcludat: Atqui neutra ratio solida.

Non prima: hæc enim supponit, æquam inter criminis tempus & criminis pœnas statui debere proportionem: Atqui suppositio isthæc plena est absurditatis. Audiatur eâ de re S. Augustinus, non ut Ecclesiæ Doctor, sed ut Philosophus, cuï Deistæ pauci ingenio, nulli sapientiâ pares inveniantur. Hæc ille lib: 21. de Civ: Dei, cap: 11. „ Quidam eorum contra quos de„ fendimus Civitatem Dei, injustum putant, ut pro „ peccatis quamlibet magnis parvo scilicet tempore „ perpetratis, pœnâ quisque damnetur æternâ: quasi „ illius id unquam justitia legis attendat: ut tantâ „ morâ temporis quisque puniatur, quantâ morâ tem„ poris unde puniretur admisit. Octo genera pœna„ rum in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincu„ la, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, „ servitutem. Quid horum est quod in breve tempus „ pro cujusque peccati celeritate coarctetur, ut tantâ „ vindicetur morulâ, quantâ deprehenditur perpetra„ tum, nisi fortè talio? fieri enim potest, ut tam bre„ vi tempore, quisque amittat oculum severitate vin-

Tom. 7. p. 632.

„ dictæ, quàm tulit ipse alteri improbitate peccati.
„ Porro autem si alienæ feminæ osculum infixum, ra-
„ tionis sit verbere vindicare, nonne qui illud puncto
„ temporis fecerit, incomparabili horarum spatio ver-
„ beratur, & suavitas voluptatis exiguæ diuturno do-
„ lore punitur? Quid in vinculis? numquid ibi tam
„ diu quisque judicandus est esse debere, quàm diu
„ fecit unde meruit alligari; cum justissimè annosas
„ poenas servus in compedibus pendat, qui verbo aut
„ ictu celerrimè transeunte vel lacessivit Dominum,
„ vel plagavit? jam vero damnum, ignominia, exilium,
„ servitus, cùm plerumque sic infliguntur, ut nullâ
„ veniâ relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo simi-
„ lia poenis videntur æternis: Ideo quippe æterna esse
„ non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur,
„ porrigitur in æternum: & tamen peccata, quæ vin-
„ dicantur longissimi temporis poenis, brevissimo tem-
„ pore perpetrantur; nec quisquam extitit, qui cense-
„ ret tam cito nocentium finienda esse tormenta,
„ quam cito factum est vel homicidium vel adulteri-
„ um, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non
„ temporis longitudine, sed iniquitatis, impietatis ma-
„ gnitudine metiendum. Qui vero pro aliquo grandi
„ crimine morte mulctatur, numquid morâ quâ occidi-
„ tur, quæ perbrevis est, ejus supplicium leges æsti-
„ mant, & non quod eum in sempiternum auferant de
„ societate viventium? Quod est autem de ista Civita-
„ te mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est
„ de Civitate illâ immortali homines supplicio secun-
„ dæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges
„ hujus Civitatis, ut in eam quisque revocetur occi-
„ sus; sic nec illius, ut in vitam revocetur æternam
„ secundâ morte damnatus „. Huc usque Augusti-
nus, ubi habes, 1°. nullum ubilibet esse tribunal, quod
poenæ diuturnitatem ex perpetrati criminis morâ di-
metiatur; 2°. ipsos etiam hujus seculi judices, poenam,
quantùm in se est, decernere æternam. Si enim nus-
quam moreretur homo, nisi alienâ vi nihilominus vel
exilio aut metallorum poenâ, vel morte plecterentur
certorum criminum rei; adeoque plecterentur in æter-
num.

Nihilo plus urget secunda ratio è summa Dei boni-
tate deprompta. Namque 1°. boni sunt etiam Magi-
stratus; & tamen quantum est de se, poenâ plectunt
æternâ. *Si enim homo in exilium amandatus perpe-
tuo viveret, semper exul maneret*, ut aït S. Thomas

suppl: q. 99. a. 1. & nos proxime diximus; 2°. si exigat Dei bonitas, ut momentaneum scelus non plectatur in æternum, exiget quoque ut per centum secula non plectatur, si per centum secula plecti nequeat; ergo nec per centum dies; imo nec per quadrantem atroci flammarum supplicio, vel cholericis torminibus subjici poterit. Ut quid enim tam immaniter castigatur filius à patre, à magistro, ab amico, præsertim si penes patrem sit ut filium aliâ viâ corrigat? quod potest, qui omnia potest Deus. Quo igitur tandem in hac hypothesi cedent, quæ à Deistis nostris admittuntur alterius vitæ supplicia? Ergo erronea est, quam iidem sibi fingunt, divinæ bonitatis idea: bonus est utique Deus, sed & in eodem gradu justus est; ergo ut æternam momentaneo virtutis operi mercedem præparare, sic & æternum momentaneo sceleri supplicium decernere potest.

Prob: 2°. Æterna ab ordine aversio æternâ pœnâ plecti potest: Atqui in impio moriente æterna est ab ordine aversio, eaque in causa vincibilis. Impius enim volens eum elegit statum in quo aversum ordini spiritum constanter gereret; cum sciverit aut scire potuerit, malam morientis voluntatem nunquam retractari per sincerum amoris ordinem. Nota enim fuit ipsis etiam Ethnicis vetus hæc sententia: *Oderunt peccare,* dic, & peccasse, *mali* solâ *formidine pœnæ*. Ergo.

Prob: 3°. Philosophicâ illâ S. Gregorii argumentatione, quæ denuò præcipuam Deistarum objectionem solidè convellit. Sic S. Pontifex Lib: 34. Moral: in Job: cap: 19. n. 36. *At inquiunt: Sinè fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirum est omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius respondemus, quòd rectè dicerent, si Judex justus districtusque veniens, non corda hominum, sed facta* tantum *pensaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sinè fine vivere, ut sinè fine potuissent in iniquitatibus permanere.... Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quandiu valuit, habere noluit terminum criminis.* Ceteras quæ à Deistis proponuntur objectiones ibidem feliciter solutas videris n. 36. & seq:

Tom: 1. *Pag:* 1132. — *Pag:* 1133.

Prob. 4°. Simulque hactenus dicta contrahuntur & Confirmantur. Si repugnat æternitas pœnarum, vel

ex parte hominis, vel ex parte Dei; atqui neutrum dici poteſt.

Non 1. ad id enim ſufficit ut anima, ſeu corporea ſupponatur, ſeu ſpiritualis, divinæ voluntatis actu in æternum conſervari poſſit in loco ubi patiatur: Atqui conſtat animam à Deo ſi ſola omnipotentiæ ejus ratio habeatur, perpetuo conſervari poſſe, &c. neque id ab ullo hactenus Philoſopho negatum eſt. Quin & id, niſi egregiè fallor, lubens confiteatur Deiſta de homine, qui in æternum liberè peccaret. Is enim ut peccati perpetui reus, æternæ pœnæ ſubjici poſſet.

Non 2. ſi enim æternitas pœnarum repugnet ex parte Dei, utique quia bonitatem ejus & juſtitiam certiſſimè lædit: Sed qui id certo aſſerunt cum Deiſtis, certum incurrunt errandi periculum. Qui ſic? quia etſi attributa Dei generatim ſpectata cognoſcimus, eorum tamen gradum & ſphæram nullatenus aſſequimur. Quod ut perſpicuè pateat, ſupponamus ante mundi creationem duos extitiſſe Philoſophos, qui ſimul de proxime futurâ mundi ac humani generis creatione differerent. Alter hanc potuiſſet theſim: Deus jam prope educet è nihilo entia intelligentia; quibus etſi ubertim præbere poſſit media quorum ope ad felicitatem omnimodam deveniant, rationem dabit, quâ pene perpetuo abuſi proruant in ſcelus, & è ſcelere in miſerias. Inſuper creabit mundum ita ordinatum, ut in eo ferè ſemper jaceat virtus oppreſſa, nuda, egens, inermis: dum interim redimitum coronâ vitium ſolio inſidebit, juraque & leges dividet. Nonne, amabo, ad hæc reclamaſſet Philoſophus alter, & propoſitum illud enixe condemnaſſet? Nonne, & in ſpeciem legitimè, objeciſſet nimiam eſſe Dei bonitatem, quam ut funeſtam adeo exiſtentiam tot entibus largiretur? Nonne exclamaſſet nimiam eſſe ſanctitatem Numinis, quam ut crimen miſeraſque criminis appendices in mundum ingredi pateretur? Atqui tamen ratiocinia hæc licet veri & æqui admodum ſimilia, confutavit eventus; ergo à pari. Ita Joannes Saurin Hagæ Comitis Paſtor, Serm. de inferni tormentis.

§. III. *Jaciuntur Religionis revelatæ fundamenta.*

Ut quem in præſenti Paragrapho intendimus ſcopum, aſſequamur, probandum 1°. inditam eſſe à natura homini religionem, quam ſequi debeat; 2° potuiſſe Deum Religioni huic aliam ſuperaddere poſitivam, id eſt, quæ certorum myſteriorum fidem, & rerum de ſe indif-

ferentium obfervantiam præciperet; 3°. neque id Deum potuiffe duntaxat, fed & quodam fenfu debuiffe, præfertim in principiis adverfariorum; unde deducemus id eum feciffe. Sit

CONCLUSIO I. Datur Religio naturalis, quam homo tenetur exequi.

Prob: 1° Religio naturalis eft congeries legum, quæ certa quædam præcipiunt in ordine tum ad Deum, tum ad nos, tum ad proximum: Atqui homini à natura inditæ funt ejufmodi leges non paucæ; quidquid reclament Deiftæ-Athei quos fupra indicavimus. Annon enim intus admonetur homo etiam nolens; fe & amorem & memoris animi fenfum debere Enti illi fupremo à quo & benignè creatus fit, & jugiter confervatus, & ab innumeris ereptus periculis, quæ certam fibi, nifi obftitiffet provida manus, perniciem intuliffent? Annon id etiam didicit à natura, curandum fibi effe fedulo, ut à fe id omne propellat, quod in aliis jure ac meritò redargueurit, atque ideo ne corpus ebrietate & crapulâ obruat; ne mentem quæ ad fuperna nativo quodam impetu affurgit, ad ima & belluina deprimat? Annon, quocumque fe vertat, clamofam hanc vocem totis auribus excipit: Quod tibi fieri non vis, vide ne feceris alteri. Hæc qui negat, vel nufquam cor fuum interrogavit; vel ipfo renitente, eo tandem devenit ut virtutem & vitium promifcue haberet: quod commentum delirii cumulus eft & infipientiæ, ut fuperiori §. diximus.

Prob: 2°. Exiftit Deus ex fupra probatis; ergo exiftit Religio quædam naturalis. Prob: confeq: Illud exiftit neceffario, quod Deus intendere debuit, ftatim ut mundi creandi confilium iniit: Neque enim, opinor, eo ufque defipient Deiftæ, ut Ens fumme perfectum, & ideò fumme fapiens cæco impetu & fine fcopo mundum condidiffe delirent. Atqui Deus ftatim ut mundi creationem intendit, cultum fui, tum interiorem, tum exteriorem, in quo ftat Religio, intendere debuit.

Et quidem 1°. intendere debuit cultum interiorem. Is enim in cognitione fupremi Numinis atque ejufdem amore pofitus eft. Atqui Deus mundum condendo, ab homine cognofci voluit & amari. Quorfum enim & in cœlis, & in terra, fapientiæ & magnificentiæ fuæ divitias explicuit, nifi ut creatura rationalis *operibus* attendens agnofceret *quis effet artifex*, & *à magnitudine fpeciei* creatorem intelligeret? Quorfum rurfus coeleftia

Sap. 13. 1. & 5.

& terrestria in hominis solius gratiam condidit, nisi ut is in tot bonorum Autore & Patrem optimum & benefactorem munificum tenere diligeret & veneraretur. Audax dico: Quisquis hominem cognitionis & amoris capacem alio fine conditum dixerit, Deum fingit Atheis & Deistis insipientiorem, ut qui vel nullo sibi proposito fine agat, quod Athei facere nolint; vel finem se ipso indignum prætendat, quod nolint Deistæ.

Confirm: Vel Deus ordinis autor & amator vult à creatura certis quibusdam actibus necessario coli, vel vult omnia creaturæ suæ indifferenter esse licita, & æque rationi congrua: Atqui consequentis impietatem demonstrant ratio & natura, quæ æternos bonum inter & malum, virtutem inter & vitia limites constituerunt; ita ut antecedenter ad positivam quamcumque legem amor Dei rationi congruat, Dei verò odium ab eadem ratione omnino dissonet; prout supra ostendimus. Merito igitur Paulus, Rom: 1. v. 20. & seq: acriter insectatur, inexcusabiles pronuntiat stultos Græciæ sapientes, qui cùm *per ea quæ facta sunt*, sempiternam Dei virtutem *cognovissent*, eum tamen *non sicut Deum glorificaverunt; aut gratias egerunt, sed in cogitationibus suis* perditi nefanda quæque perpetrârunt, *non intelligentes quoniam qui talia agunt, digni sunt morte*, ut qui perpetuam supremæ rationis legem offendant.

2°. Debuit Deus in homine condendo exteriorem ex parte ipsius cultum intendere. Scilicet enim homo ut animam sic & corpus Deo debet. Ergo & utriusque sacrificium eidem debet; animæ quidem, Deum præ ceteris omnibus diligendo; corporis, vero, testificando per exteriora signa, substantiam suam tanquam nihilum esse coram Deo, seque summam ejus majestatem omnimodis venerari.

Confirm: 1°. Potior Dei cultus in amore consistit: Atqui sincerus amor in humano corde latere diu non potest; sed crebro impetu foras erumpit. Nempe qui serio diligit, amoris sui objectum, & objecti hujus dignitatem, magnificentiam, ac universas dotes ubique pandit & commendat: atqui hæc Dei commendatio ad exteriorem ipsius cultum necessario pertinet.

Confirm: 2°. Eo modo se habet ad Deum societas humana, quo ad Patrem se habent ejusdem familiæ filii: atqui officium suum prodit filius, qui quam corde gerit patris observationem non manifestat exterius,

qui hujus necessitatem fratribus suis non ingerit; qui iisdem cùm hac in parte deficiunt, violata naturæ jura non exprobrat. Ergo à pari de hominibus in ordine ad Deum.

Confirm. 3°. quia ubicumque aliqua invaluit Religio, invaluit & exterior aliquis Dei cultus, seu per preces publice fusas, seu per templorum constructionem, seu per sacrificia, quorum ope testaretur homo Deum esse supremum vitæ ac mortis arbitrum: atqui nativa hæc hominis in exteriorem Dei cultum propensio nonnisi à natura esse potest; atque à primis hominibus dimanavit ad ceteros, in quorum pluribus viciata est; ergo. Ita, quem passim sequimur, D. de la Chambre, nitidus & methodicus Scriptor; utinam &, quod facile, possit, in nova Operis sui editione accuratior.

Tom. 2. *p.* 149.

Obj: 1°. Deus in mundi creatione cultum sibi prorsus inutilem intendere non potuit. Atqui cultus, quem à Religione naturali præcipi contendimus, Deo prorsus inutilis est; cùm is se solo supreme beatus, nihil obsequiis mortalium indigeat; seu ad gloriam suî *intrinsecam*, quam ante secula possedit; seu ad gloriam *extrinsecam*, quam si serio intenderet, seriò sibi procuraret; quod tamen non facit, cum impietas & scelus terram penè totam inundent.

R. ad 1. neg. maj: ex qua facile sequatur Deum creationem mundi intendere non potuisse, utpotè qui nihil inde boni percipere valeret. Itaque intendit Deus cultum hominis eo ferè modo, quo Princeps de terrâ inopem suscitans, hujus gratitudinem intendit, id est, non ut bonum quo ditetur ipse aut perficiatur, sed ut tributum quod propter accepta beneficia rependi jubet ratio suprema. Et vero ad minimum voluit Deus ut divitias firmamenti admiraretur homo: ex ea porrò admiratione quid in Deum emolumenti?

Nec obest quod suum hunc finem Deo eripiat quæ longe lateque grassatur impietas. Nihil enim inde concludi potest seu contra omnipotentiam, seu contra summam Dei benignitatem. Non contra omnipotentiam, quia de his qui non faciunt quæ vult, obediendo facit ipse quod vult, puniendo, prout alibi docuimus. Non contra bonitatem, quia multo plura in gratiam hominis fecit, quam necesse foret ut amorem ejus, & omnes animi benè memoris sensus sibi mereretur. Et certè ad minus potest homo erga Deum id quod erga benificum Principem potest: Atqui Principem bene-

ficum laudat, extollit, amat & veneratur quiſquis vecors non fuerit. Ergo & id erga Deum tanto plus præſtare debuit, quanto humanis præſtant divini favores.

Obj: 2. Si Deus cultum aliquem exigeret à creatura, cultum hunc ubique gentium unum & conſimilem indixiſſet: ſic enim communis Pater tolleret varietatem, quæ populos disjungit & inimicat: Atqui tamen non indixit Deus uniformem ſui cultum. Unde tot ut minimum extitêre colendi Dei ſigna, quod Nationes. Ergo.

Omiſſâ reſponſione quæ ex unico Legis novæ ſacrificio repetitur, quia necdum Legis hujus veritatem probavimus, R. neg: maj: Ut enim Deus exteriori cultu legitimè honoretur, ſufficit ut homo ſuam in illum obſervantiam declaret per ſigna quæ nihil indecori habeant. Hæc porro ſigna pro Regionum indole varia eſſe poſſunt. Sic alicubi ſtantes orant, alicubi expanſis in cœlum manibus, alicubi flexo genu. Sic Caïn *de fructibus terræ munera Domino* offerebat, & piè offerre poterat, *Abel* verò *de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Ubique tamen duo pari conſenſu recepta fuiſſe videntur, 1°. ſacrificia, liquorum præſertim & pecorum; 2°. exterior quædam corporis demiſſio in ipſa Dei invocatione. Ceterum amor & gratiarum actio, quæ primorem Dei cultum conſtituunt, pari viguerunt modo, ubicumque audita eſt vox naturæ. Ceterùm unanimis ille omnium populorum conſenſus in admittendo exteriori Numinis cultu, Religionis ſubſtantiam demonſtrat, unde Tullius Oratione pro Flacco: *Sua cuique Civitati Religio eſt, Deum quippe natura venerari novit: nec quiſquam eſt homo, qui lege quæ hoc præcipiat, careat.*

Genes: 4.

Concl: II. Potuit Deus præter cultum ſui à natura imperatum, cultum alium poſitivum, ſeu ex parte Dei ipſius arbitrarium præſcribere.

Prob: Id omne poteſt Deus relativè ad hominem, quod nec ex parte Dei, nec ex parte hominis repugnat. Atqui quod Deus quædam ad ſui cultum imperet, quæ naturali Religione præſcripta non fuerint, non repugnat, 1°. ex parte Dei. Qui enim ſupremum in omnes creaturas dominium habet, ab iis exigere poteſt quidquid æquum ſibi videbitur: nec vereri eſt ne nimia & impoſſibilia præcipiat, qui nihil niſi ſanctè & juſtè præcipere poteſt. Atqui Deus ſupre-

mum, &c. Ergo ſicut pater-familias, quo filiorum amorem & obedientiam exploret, quidam identidem exigit quæ abſolute neceſſaria non ſunt; ſic & Deus, &c.

2°. Neque ejuſmodi præcepta repugnant ex parte creaturæ; tum quia creatura nullam juſtam de Artifice ſuo conquerendi cauſam habere poteſt; tum quia quo plus præſtat operæ, eo plus, & merito expectat mercedis; tum quia ſi poteſt Deus uno eodemque caſu quempiam orbare patre, conjuge, liberis & fortunâ; imò & tunc temporis exigere ne in querelas & murmura erumpat, ſed omnipotentis dexteram ſupplex adoret; poteſt utique quæ multò faciliora ſunt injungere.

CONCLUSIO III. Potuit Deus, & utrumque debuit, præcipue verò in Principiis Deiſtarum, certas cultûs ſui leges præſcribere. Unde non poſſibilis tantum, ſed & divinis attributis omnimode congrua eſt Religio revelata.

Probant aliqui, quia de facto certam Religionem revelavit Deus: Quod autem fecit, utique ob æquiſſimas rationes, id quadantenus facere debuit. Verum probatio hæc, licet in ſe invicta eo præ rapiditate ſuâ peccat, quod & Deiſtis mera ſit petitio principii; & è fidelis Philoſophi manibus excutiat arma, queis *ad hominem*, ut aïunt, feliciter pugnare valeat. Itaque

Prob: 1°. Voluit Deus ab homine honorari ſancto & legitimo cultu; prout in prima hujus §. Concluſione probavimus contra Atheo-Deiſtas, & nobiſcum agnoſcunt, quos in præſenti aggredimur, Deiſtæ ſimplices. Atqui Deus cultum hunc ſui legitimum ejusque appendices revelare debuit. Id enim debuiſſe dicitur Deus, quod ab ipſo fieri exigebat ſumma ejus in hominem propenſio & benevolentia: atqui exigebat ſumma Dei in hominem benignitas, quam ubique celebrant Deiſtæ, ut cultum ſui ipſius legitimum, ejuſque appendices revelaret. Exigit enim ſumma benignitas ut id revelet Pater, quod ſibi relicta filiorum ratio etiam ſagacior nuſquam delectura ſit. Atqui ipſa etiam ſagacior hominum ratio nuſquam delectura erat cultum Dei legitimum, ejusque munimina & appendices.

Minor ut probetur, ſufficit ſi leviori oculo inſpiciantur tum Gentium, tum & ſapientiorum veteris ævi Philoſophorum, quibus defuit revelationis lumen,

insaniæ & delirationes. Hi certe nec Numini nec sanctioribus ethnicœ placitis, nec sibi nec proximo pepercerunt.

Et 1°. Numini nec quo ad substantiam, nec quo ad rationem cultûs pepercerunt. Non quoad substantiam: cùm demptis Judæis, quibus per revelationem innotuerat Deus, omnes Orbis populi idololatriæ servirent; ità ut alii *Militiam Cœli*, seu sidera; alii Genios & dæmones; alii Heroas, illustres ut plurimum sceleratos; alii plantas, vel bruta animantia; alii, quod vix credas, *pavorem*, *febrim*, ipsamque *impudentiam* adorarent. Neque hâc in parte qui ceteros ingenio, facundiâ, & artium studio superabant, eosdem vincebant saniore Theologiâ. Chaldei mortalium sagacissimi draconem venerabantur, & Bel suum credebant in templo feminas invisere, atque ibidem epulari. Tyrii, obsidente Tyrum Alexandro, Herculis statuam funibus vinxerunt, ne fugam arriperet. Græci quantum ad Religionem spectat, infantibus infantiores, Jovem, Bacchum, Venerem, & alia id genus portenta colebant. Romani, tam martiâ virtute, quâm ingenio potentes, dispersa toto Orbe numina collegerunt, & magnam sibi visi sunt assumpsisse Religionem, quia nullam respuerunt superstitionem. Galli, præeuntibus Druidis suis, inanibus simulachris thus adolevêre; quod & præstiterunt Germani.

Neque vero iidem felicius circa legitimi cultûs rationem senserunt. Tota apud eos Numinis veneratio in exteriori ac futili pompa. Atque utinam eos intra limites stetissent: at ultrà quam longe progressi! Baccho placebat ebrietas, Veneri luxuria, furtum Mercurio. *Florales ludi cum omni lasciviâ celebrabantur*. *Lact: L. q. 20.* Quin & aquæ instar pluebat humanus sanguis. Finitimi Judeæ populi filios coram idolo Moloch flammis tradidêre. Idem coram Saturno factitârunt Phœnices, rati sic coli Deum qui propriam prolem devoraverat. Hinc trecentos unâ die homines eidem Numini immolavit Aristomenes. Hinc & præceptum ab oraculo ut Pelasgi decimum quemque è filiis suis mactarent. Mitto horrenda hæc, quæ gentilibus ipsis adeò stomachum moverunt, ut Lucianus ea confutari nollet, sed vel ab Heraclito defleri, vel rideri à Democrito.

2°. Sanctiores Ethnicæ regulas subverterunt, tùm Regna ingeniis donata perspicacioribus; tùm & illi

tantæ famæ Philosophi, quibus pene altaria consecravit antiquitas. Sic, ne in odiosa materie pluribus immorer, sic Persæ proprias matres ducebant in matrimonium: isque, unus in Magorum principem eligi poterat, qui ex hujusmodi incestu natus esset. Sic in Ægypto tandemque Athenis, nupsit fratri soror, invitante Jovis & Junonis exemplo. Sic apud Heliopolim promiscuæ erant mulieres. Sic Hircanii hunc eum patrem à quo vitam traxerant, volucribus & canibus præbebant dilaniandum. Sic Romani & Græci feralibus Gladiatorum spectaculis pascebant oculos, prolemque quam enutrire dedignabantur, quo luberet mortis genere interimebant. Atque hæc vel similia vitia etiamnum vigent apud populos, qui revelationis lumen nesciunt. Horum alii colunt dæmones, & magiæ student, ut Madagascari incolæ. Alii furto vivunt & humano sanguine. Alii horrenda visu idola colunt, ut Indi. Alii Atheismum profitentur, ut Sinenses Literati, &c.

Quod spectat ad Gentilium Philosophorum *moralem*, hæc vix aliud spirat quam errorem, tenebras. Pyrrhonii nihil non æternâ suâ dubitatione subvertebant. Lacessebant Academici & demoliebantur, nil ædificabant. Epicurei corporeos, otioque diffluentes, nec de humanis sollicitos Deos admittendo, Religionem omnem pessumdabant. Pithagoras sidera inter Deos censebat. Aristoteles mundum fingebat ab æterno existentem, providentiam ultra cælestia non protendebat, circa animæ immortalitatem anceps hærebat & incertus. Stoïci, quos inter Seneca, Epictetus, &c. splendidius quidem differuerunt de Numine. Verùm quot in eorum Systemate nævi & paradoxa? His astra totidem erant animatæ substantiæ, quarum cultus improbari non possit. His ineluctabile fatum, quo libertas & cum libertate virtus tollebatur. His humana mens, vapor quidem igneus, qui postmodò sua in principia resolvendus sit. Plato, divinus ille Plato, quàm cœcutiit in multis? is nempe astris, telluri & dæmonibus divinam essentiam impertiit; ebrietatem permisit in Bacchanalibus; nudos utriusque sexûs homines digladiari præcepit; fratris cum sorore conjugium, & feminarum communitatem approbavit. En quò cessêre gentilis Philosophiæ conatus. Et verò quid tandem boni docuissent, qui vel circa unam summi boni quæstionem, à qua pendet bene morata totius vitæ institutio, adeò divisi erant, ut opiniones

Plato in Republ:

eâ de re ducentas octoginta octo numeret Varo apud August: Lib: 19. de Civ: Dei, cap: 1. Porrò à nobis hactenùs memorata, quam Deo, quàm homini, sive soli, sive in societate posito injuriosa sint, statim videt qui habet oculos videndi. De his fusiùs disserentem adi Terretinum, ejusque editorem Franciscum Vernet, non ità pridem in Catholicæ Ecclesiæ sinu demortuum.

Dices: Ex Lactantio Lib: 7. *Si extitisset aliquis, qui veritatem per singulos, perque Sectas* Philosophorum *diffusas colligeret in unum, ac redigeret in corpus; is profectò non dissentiret à nobis* Christianis; ergo tam sufficiebat Philosophorum Religio, quàm nostra.

R. neg: conseq: tùm quia nemo veritatem illam innumeris Philosophorum Libris dispersam collegit de facto; unde eadem redit difficultas; tùm quia *hoc nemo facere, nisi jam veri peritus & sciens poterat: Verum autem nonnisi ejus scire est, qui sit doctus à Deo,* aït ibidem Lactantius. Sed age, & ex objectione unicâ argumentum eruamus duplex.

Prob: itaque 2°. Conclusio. Religio, utpote lex universos obligans, constituta esse debet ineluctabili autoritate, quæ omnes conscientias liget: Sed quidquid à mero prodit homine, etiamsi is Platonem vel Aristotelem scientiâ adæquet aut vincat, nè unius quidem hominis, nedum omnium, conscientias ligare potest. Homo enim præcisè quà talis errori subjacet; & utì verum dare potest id, quod alteri falsum aut dubium videbitur; ergo nec Aristoteli cedet Plato, nec Platoni Aristoteles: unde in libero conjectationum campo suam quisque opinionem opinioni alterius anteponet. Is omnia sua ad Deum mundi totius conditorem referri volet: ille Deum infirmos hominis cultus dedignari contendet; & mundum à Deo conditum fuisse præfractè negabit. Is gravia sceleri post mortem supplicia comminabitur: Reclamabit iste animam cum corpore extingui, & futuræ vitæ cruciatus momentaneo crimini destinatos inter inanes meticulosorum fabulas recensebit. Utrisque ergo deficiet legislativa hæc autoritas, quâ universos constringi necesse est. Hinc Lactantius Lib: 3. cap: 27. *Nihilne illi,* Philosophi, *verisimile præcipiunt? imò permulta & ad verum frequenter accedunt: sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, &* autoritate *majori, id est, divinâ illâ carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quàm est ille qui præci-*

pit. Hinc acutiſſimi quique populorum moderatores, ut inſtitutis à ſe legibus vim & robur aſſererent, easdem ex inito cum Superis conſilio prodiiſſe commenti ſunt, prout de Minoe & Numâ Pompilio notum eſt.

Prob: 3°. Religio eſſe debet univerſalis omnium regula puerorum qui à teneris unguibus timorem Dei, ac juſtas veri & æqui leges cognoviſſe tenentur; plebeïorum, qui vitia à virtutibus ſecernere; tenuioris demum ingenii hominum, qui modo non ſint animi impotes, nulli rectæ rationis officio deeſſe debent. Atqui regula hujuſmodi univerſalis non aliunde quàm à Deo revelante haberi poteſt. Ubi enim, quæſo, inquiri poterit? An in Philoſophorum Libris? at ii puerorum, aratorum, aliorumque ejuſdem prope conditionis intellectui accommodati non ſunt: aliunde vero, ſi legitima quædam, certe multo plura à recto devia continent. An in ſolo rationis lumine? at illud eò uſque in majori mortalium numero ſubleſtum eſt & imbecille, ut ultra ſenſibilia nuſquam exurgant. Adde quod iidem diuturnâ meditatione, ac longo conatu ad ſummum id detecturi ſint, quod Philoſophorum oculatiſſimi perpetuo ſtudio, jugique eorum qui ante ſe ſcripſerant lectione detexerunt: Atqui ex dictis veteres Philoſophi in omne errorum genus prolapſi ſunt; neque quod melioribus auſpiciis aliquando invenêre verum, ut animæ immortalitatem, & præparata improbis ſupplicia, id pro incunctanter vero, & pro certâ morum regulâ habuerunt. Unde Diogenes eſum humanæ carnis, & promiſcui uſûs feminas approbavit. Ariſtoteles mulieri cuidam aras erexit, eidemque libavit ſacrificia. Plato Deorum irriſor, Deos pro recepta locorum conſuetudine honorari voluit. Cicero, dum receptas ſuo tempore notiones aſpernatur, profanos Ethnicorum ritus obſervat, & vindicat, &c. Hinc Sanctevremontius in oratione cuï titulus: *L'homme qui veut connoître toutes choſes, ne ſe connoît pas lui-même.* *Pluris*, inquit, *fidem ruſtici facio, quam univerſa Socratis documenta.* Ergo neceſſum fuit ut Deus oblato mortalibus revelationis lumine, erroris & dubii nubes excuteret.

Corollarium et Conclusio IV. Ergo exiſtit, ubicumque tandem, Religio revelata.

Obj: 1°. Si Religio revelata fuerit neceſſaria, fuit utique & omni tempore & omnibus mundi populis neceſſaria: Atqui hoc nec ipſi quidem Chriſtiani, qui

contra Deistas altiùs vociferantur, admittere possunt. Quam enim tuentur Religionem revelatam, hæc nec omni viguit tempore, cum pluribus ab ortu mundi seculis tradita fuerit in monte Sinaï; nec omnibus mundi populis data est, sed Judæis solum: unde id Psalmographi: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Ergo. Ità Anglus Scriptor Libri cuï titulus: *Oracula rationis.*

R. ad 1. neg: min: & dico 1°. revelationis alicujus lumen ab ortu mundi illuxisse. Constat enim Deum se suaque placita veteribus Patriarchis manifestasse. Neque intelligi potest, qui factum sit ut omnes Orbis populi in offerenda Deo sacrificia unanimi voto conspiraverint, nisi præiverit, quæ hanc cultûs speciem imperaret, Religio. Et vero qui tam prope rerum originem contingebant homines, solâ, quâ unitatem Dei & cultum ejus cognoscerent, indigebant Traditione, quæ ab Adami ac Noemi temporibus vigebat. Hinc stetit, diuque stetit in Oriente notitia Religionis: ut patet exemplis Melchisedech, Abimelech, Job, &c. Ignotus erat idolorum cultus tum Romæ, tum in veteribus Galliis imo in Græcia & in Ægypto, tot deinceps Numinum feraci. Ethnicismo ortum dedêre ritus quidam de se innoxii. Crevit subinde, ut moris est, superstitio: evanuit ex animis primitiva rerum institutio; &, ceu torrens ruptis aggeribus, grassata est in mundum. Haud igitur defuit populis revelatio; sed revelationi defuêre Gentes, & licet nefandam hanc suî oblivionem omnimodâ desertione ulcisci potuisset Deus, *non* tamen *sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera*: Majori equidem studio Israëlitas excoluit; sed quia id utcumque promeriti essent Abraham, Isaac, aliique gentis electæ Proceres: At interim misericordiam suam non avertit à ceteris Nationibus: *Quamvis*, enim, aït Autor Operis de vocatione Gentium, Lib: 2. c. 1. *speciali curâ atque indulgentiâ Dei populum Israëliticum constet electum, omnesque aliæ Nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem, non ità se tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret. Cœlum quippe, ac terra, & mare, omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue dispositæ est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de expe-*

Bossuet, Histoire Univer:

Act: 15. 16. 17.

rimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur Autoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur & sumus. Et cap. 2. *Quod ergo in Israël per constitutionem Legis & Prophetica elogia gerebatur, hoc in universis Nationibus, totius creaturæ testimonia, & bonitatis Dei miracula semper egerunt.*

Ex his omnibus liquet viguisse ab initio mundi, diuque proin ante Moysis tempora, legem omnibus propositam, & cujus beneficio potuerint plures, quod fecêre pauci, à vero & recto non deficere

Dico 2°. Revelationem 1°. pluribus aliis præter Hebræos populis innotuisse; 2°. quibus subtracta est, partim justo, partim misericordi Dei judicio fuisse subtractam.

Et quidem 1°. pluribus præter Hebræos populis innotuit Revelatio. Ut enim mundi creationem, diluvium & alia Historiæ sanctæ capita, quorum vel in Gentilium fabellis vestigia conspicere est, prætermittam; constat veram Religionem apud alios à Judæis stetisse, ut patet exemplis suprà memoratis. Constat insuper Hæbream Religionem palàm illuxisse populis pluribus. Annon enim primus ille Pharao, qui, ut & Ægyptii omnes, noverat manum Dei esse cum Joseph, noverat eum soli vero Deo servire? Annon spectante & ingemente Ægypto emicuêre stupenda hæc Moysis miracula, quæ fusè referuntur in sacris Codicibus? Annon finitimi quicumque Israëlitarum populi, & ab iis alii, rescierant, unum à posteris Abrahæ coli Deum Coeli & Terræ conditorem? Annon longè latèque increbuit rumor, tùm sapientiæ, tùm & cultûs Salomonis? Annon missus est Jonas Propheta, ad Ninivem, quæ paulò post sermonum ipsius & poenitentiæ suæ oblita est? Annon denique permixti diù Babyloniis vixêre Daniel, Ezechiel, aliique virtute celebres non pauci, quos inter Tobias sic alloquebatur filios Israël: *Ideò dispersit vos inter Gentes qui ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus; & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.* (Tob. 13.) Annon Græca lxx. Interpretum versio Ptolomæi Philadelphii jussu elucubrata, Librorum sanctorum lectionem iis omnibus qui græcè sciebant, referavit? Ergo penès populos illos stetit, quominùs veram amplecterentur Religionem. Unde

2°. Justo Dei judicio subtracta est Gentilibus cognitio veritatis: qui enim oculos claudunt ne videant

lumen; qui superbiâ tumidi in cogitationibus suis evanescunt; qui apertiora naturæ jura violant; qui ad creaturam seipsis pejorem transferunt cultum quem uni Deo denegant, his merito subtrahitur lux veritatis: atqui tales fuisse Ethnicos constat ex suprà recensitis eorumdem sceleribus.

3°. Æquam hanc Dei severitatem comitata est species quædam misericordiæ. Cui enim minùs datum est, minùs petetur ab eo; & paucis vapulabit servus, qui non æquè ac alius voluntatem Domini sui cognovit: Ergo ut misericorditer cum Gentilibus actum sit à Deo, satis est, ut, inspectâ eorum in malum propensione, meritò judicetur, eosdem ex majori gratiæ abusu majus habituros fuisse judicium. Porro rem sic iis temporibus cessuram fuisse suadent exempla mox proposita Ægypti ad Moysis miracula induratæ. Idipsum evincit tota Philistinorum agendi ratio, I. Reg: 4. Audiunt illi Arcam venisse in castra Israël, *timueruntque dicentes: Venit Deus in castra; & ingemuerunt, dicentes: Væ nobis.... Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plagâ in deserto.* Quis porro sermonis hujusce epilogus? quæ determinatio? Hæc una: *Confortamini* adversùs Deum, *& estote viri, nè serviatis Hebræis.* Sed num saltèm meliores induxerunt spiritus, cùm Dagon Deum suum invenerunt pronum in terra ante Arcam Domini, quasi qui & infirmitatem suam, & supremam Dei Israël majestatem confiteretur? neutiquam profectò, ut norunt omnes; ergo.

At, inquies, si res ità sit, malè in hypothesi Christianâ humano generi consuluit Deus, qui Religionem suam à tot hominum myriadibus abjiciendam prædicavit ipse, & prædicari jussit.

R. 1°. Tu quis es qui Deum judicas? an consiliarius ejus fuisti? an jus habens interrogandi quare sic fecerit?

R. 2°. annuntiatam fuisse Christi Religionem, quo tempore & commodius annuntiari poterat & utilius. Commodiùs quidem, quia sparsis jam totum per Orbem Judæis, secumque veteris Testamenti Codices deferentibus, & liberior Apostolis, qui Judæi erant, ad fratres suos patebat accessus; & major erat facilitas eosdem, simulque Gentiles revincendi, ostendendo in Christo ad amussim impleta esse, quæ tandiu ante de ipso prædicta erant. Utilius verò, quia Prophetiarum

adimpletio, Christi miracula, comperta Ethnicorum sapientioribus Pseudonuminum inanitas, ipsæ Philosophorum divisiones viam aperiebant ad fidem Evangelii. Hinc tribus ad summum seculis facta est ea rerum sensuumque conversio, quæ Dei digitum manifestè indicat.

Quod autem fremuerunt Gentes, & Reges terræ convenerunt adversùs Christum Domini, id summâ Dei sapientiâ permissum est. Nisi enim veritas à Potentatibus mundi furialiter oppugnata esset, non videremus miraculum, per quod eadem tot inter contradictiones germinavit, crevit, adolevit, atque hactenùs conservatur: unde tandem, ait Bossuetius, oblivisceremur nos per gratiam salvari.

Discours sur l' Hist. Univ:

Neque eo quia scelesti complures, ut Nero, Domitianus, &c. ab offuso sibi lumine oculos aversuri erant, ideo lumen sub modio concludendum fuit. Alioqui enim, quod enixe precamur, conticescant Deistæ, & dogmata sua quoquoversùm effundere desinant; sic enim durius judicium accersunt Atheis, à quibus illa contemnuntur, & christianis, qui eadem, nisi jam moribus reprobi sint, velut misera impietatis commenta detestantur.

Obj: 2°. Revelationis necessitas supponit rationem haud sufficere homini in iis quæ ad Deum & mores pertinent: Atqui suppositio hæc ad Pyrrhonismum, quin & ad Atheismum conducit. Si enim errori obnoxia est ratio in iis etiam quæ ad Deum, & ad æquitatis leges pertinent; à fortiori in ceteris errori obnoxia erit; ergo supererit ut de omnibus dubitetur; ergo Atheus urgenti cuipiam ut Deum admittat: Sine, inquit, ut tranquillus id nesciam, ad quod nonnisi fallacis rationis ope assurgere possum, &c. ergo.

R. 1°. revelationis necessitatem, duo hæc quæ ad intentum nostrum satis sint supponere, 1°. nunquam futurum, ut pueri, plebei, tenuisque ingenii homines, qui tertiam & eo plus partem mundi constituunt, solâ rationis ope cultum Deo debitum, vitii & virtutis distantiam, sanioraque purioris Ethnicæ principia detegunt; 2°. nec futurum ut hæc certo discant à Philosophis; tùm quia iis semper deerit autoritas legislativa; tum quia subvertet unus quod alter adstruet. At non supponit necessariò fieri omnino non posse ut quis ceteris perspicacior, vel animi purioris, quædam, imò & multa assequatur, quæ ad Deum, Deique reverentiam & mores pertineant. Unde major proposi-

tio aliquo ſenſu vera eſt, aliquo falſa: ſic ut nobis proſit falſitas, non autem noceat veritas ejus.

R. neg: min: Ut enim excludatur Pyrrhoniſmus, dum adſtruitur revelatio, ſufficit ut ratio ſimul ſit & ſatis potens, & nimis infirma contra Pyrrhoniſmum: Atqui utrumque conſtat. Et quidem 1°. ſatis valet ratio adverſus Pyrrhoniſmum. Satis enim intelligit non magis mundum à ſemetipſo prodiiſſe, quam horologium vel regiæ ædes prodierint à caſu. Satis aſſequitur ſupremum mundi opificem, eum eſſe à quo benigne conſervemur, quique nos beneficiis abunde & jugiter cumulet atque reficiat, &c. Verùm hæc eadem ratio huc uſque, aut aliquanto plus progreſſa, hæret apud plurimos, prout apud veteres Philoſophos hæſit. Dubitat enim aliquandiù, tametſi male, annon ſummus ille Deus cultum creaturæ ſuæ dedignetur. Id cùm detexit, dubitat an quid immineat pœnæ iis, qui neglecto Deo hærent in corporeis. Dubitat an poſt mortem plectatur reus diuturno, vel æterno cruciatu. Dubitat an hæc vel illa actio, fornicatio v.g. vel mollities, rectam rationem & in ipſâ Deum offendat. Ergo ſufficit ratio ut primaria quædam detegantur, potiſſimùm vero ut intelligatur revelationis neceſſitas; aſt ad omnia non ſufficit: & id liquet tum ex veterum Philoſophorum exemplo, tum & hujus temporis Deiſtarum agendi ratione. Hi enim dum rationem ad omnia ſatis eſſe prædicant, eandem ſibi pene ad omnia inutilem eſſe demonſtrant.

Inſt: Deiſtæ quos tam violenter impetimus, ea pene omnia admittunt quæ Chriſtiani, demptis fidei Myſteriis & pœnarum æternitate, quæ rationi impervia ſunt. Ergo his ratio ſufficit.

R. dato indulgenter antecedente, neg: conſeq: Deiſtæ enim quidquid boni habent, non à ſe ipſis, ſed ab Evangelio quod faſtidiunt, deprompſêre; prout meliora ſua Platonici hauſerunt à Judæorum Scripturis; quod & ex parte fecit Mahumetes. Jam vero quod olim Chriſtiani didicêre, & poſtmodo à ratione impugnari non poſſe viderunt, id detectu facile & à ſe reipſâ detectum eſſe fingunt. Sic poſtquam Chriſtophorus Columbus Americæ viam ſibi patefecit, ſenſerunt rudiores quique eſſe id opus nullius omnino aleæ: Sic, ait Baillius, qui teleſcopii ope Satellites Jovis perſpexit, idem ſe oculis ſolis præſtitutum fuiſſe imaginatur. Ut ergo ſentiant Deiſtæ quid poſſint; interrogandi ſunt an Platonem, Ariſtotelem, alioſque veteris ævi

ſapientes, mentis acie ſibi ſuperare videantur, annon. Si aſſerunt: ut tumide, ſic & imprudenter. Si negant; ut quid ſe Magiſtris ſuis ſuperiores eſſe confidunt?

Obj: 3°. Religio revelata qualem admiſêre Judæi primùm, nunc autem admittunt Chriſtiani, non ſolum Dei cultum, ſed & immenſam legum arbitrariarum ſeriem importat. Atqui nec probamus, nec probare poſſumus, hujuſmodi leges à Deo indici debuiſſe. Qui enim cultum ſuum præcipit, non præcipit quæ eidem cultui ſuperflua ſunt; ergo.

R. neg: min: Statim enim ut probamus, Deum hominibus legitimum ſui ipſius cultum revelare debuiſſe (debuiſſe, inquam, non ex jure hominis, ſed ex quâdam ſummæ ſuæ bonitatis exigentiâ;) probamus univerſam cultûs hujuſce rationem reſeratam fuiſſe quibuſdam tantæ fidei hominibus, ut iis ceteri credere tenerentur. Ergo quidquid iidem nomine Dei præceperunt, á Deo reipſâ præceptum fuiſſe cenſeri debet. Ergo iterum, cùm præter eſſentialia ritus quoſdam accidentales præceperint, neceſſum eſt ut utraque á Deo flexiſſe exiſtimentur.

Poterat equidem Deus abſolute hujuſcemodi ritus non præſcribere: at ſummopere decuit ut præſcriberet. Quid enim ab homine potiſſimum exigebat Deus? duo hæc, boni omnis exercitium, & fugam omnis mali: atqui ut hæc obtinerentur, ipſe etiam mali aditus præcludi debuit. Sicut ergo pater, qui prolem incautam impenſe amat, non modo ipſam ab ultima præcipitii margine prohibet, ſed & á viciuis ejuſdem locis; quia veretur, ne ſi ferat ſe quo licet, proruat quo non decet; ſic Deus operi ſuo proſpiciens, ut illud averteret á caſu graviori, quædam ei in poſitivis legibus repagula præparare debuit quoſdam & in certis pœnitentiæ tribuit labores per quos & ſcelus perpetratum agnoſceret, & ab eodem iterando deterreretur. Et id quidem fecit Deus tum quoad Judæos, tum & quoad Chriſtianos, ut ex hujus Operis decurſu paſſim conſtabit.

Obj: 4°. Ut ſuperflua ſit revelatio, ſufficit ut Deus in omni Religione æque colatur: Atqui res ita eſt. Ubi enim par eſt cordis intentio, ibi par eſt moralitas, ſive aberretur, ſive non. Sic Pictores duo, quorum alter objecti ſui ductus & lineamenta reddit ad vivum, alter rudi penicillo deformat, phyſice quidem differunt; at moraliter convenient, ſi eodem uterque mo-

tivo ducatur: Sed qui Deum colunt, ſeu Ethnico vel Mahumetano ritu, ſeu Judaïco aut Chriſtiano more, id unum intendunt ut ſupremum Numen colant. Errent igitur eorum aliqui: quid tum? different hi ab aliis phyſice, ut ineptus Pictor ab eleganti: at non diſcrepabunt moraliter; quia omnibus eadem inerit colendi Dei intentio, cujus unius rationem habet Deus. Ergo.

R. ad 1. 1°. neg: maj: Quemadmodum enim jure ac merito exoptat ſeu Judex, ut ſibi detegatur hominis accuſati innocentia, tametſi non peccat, eum ex allegatis damnando; ſeu medicus, ut remedii ſui vitium comperiat; etſi ſecurus eſt, quandiù juxta regulas artis operatur; ſic & enixe ſemper optandum eſt ut affulgeat Religio, ſi quæ ſit revelata; quia ſemper optandum eſt, ut, objecto errore, etiam non imputabili, teneatur veritas á rationali creaturâ, quæ propter veritatem condita eſt.

R. 2°. neg: min: Si enim æque colatur Deus in omni religione, jam eum coluêre, tum ii qui dæmonibus filios ſuos immolarunt; tum & Veneris adoratores, qui in hujus Deæ gloriam tot pudori ac modeſtiæ contraria faciebant, & ea præſente Catone ſuppreſſerint: tum & forte, qui ſtudio, ut opinabantur, veritatis, eundem colendum eſſe negaverunt. Atqui abſurda hæc vorare ſolis conceſſum eſt Deiſtis.

Ad 2. neg: maj: quæ fallit in pluribus. Intentio enim ut á peccato excuſet, & opus reddat moraliter bonum, æqua eſſe debet & rationi congrua, ita ut ſaltem ejus á ratione diſſonantia invicte ignoretur: quæro autem an Ægyptii qui porrum & cœpe, hortorum ſuorum legumina, oblato thure venerabantur: quæro an qui crocodilos adorabant, deridentibus ceteris in circuitu populis, id á ratione alienum eſſe invincibiliter ignorarent. Credat Deiſta; unus omnium credet.

CAPUT QUARTUM.

Impugnantur Ethnici & Mahumetani.

Cum Religiones multæ cultu & præceptis impendio diſpares, ſe ſe á Deo revelatas fuiſſe jactitent, nec tamen, eo quia in multis ſibi penitus contrariæ, omnes á Deo revelari potuerint; jam inquirendum, quæ vere aut perperam revelationis titulo glorien-

tur. Quod ut præstemus, inspiciendum qui esse debeant revelationis characteres. Hi autem vulgo assignari solent.

1°. Revelationis objectum rationi, seu perspicuis animæ notionibus adversum esse non potest. Nimirùm, ut scite ait Ludovicus Granatensis, Tom. 3. Catec: part: 4. cap: 1. ratio & revelatio ejusdem patris, Dei scilicet, filiæ sunt, atque ab eo pariter, alia per viam naturæ, alia per viam gratiæ profluunt; ergo cùm non is sit Deus qui quod unâ ædificat manu, alterâ destruat, fieri nequit, ut quod per evidentiæ lumen docet, illud per Revelationem dedoceat.

Cavendum tamen ne principium illud suos ultra limites feratur. Etsi enim Deus nihil per Revelationis viam docere potest, quod rationi vere adversetur, puta, *dari montem sine valle, Creatorem creaturæ postponendum; fieri aliquid, quod fiat sine causa*, multa tamen & docere & facere potest, quæ ratio sibi relicta nec usquam attigisset, nec propter imbecillitatem suam comprehendat. Sic dubio procul non intellexisset Philosophus de quo supra pag: 229. conditam iri á Deo mundum, in quo numerosæ gentes abjecto Creatoris intuitu, deitatis honores ad crocodilos, aut horti sui plantas translaturæ essent. Sic Antipodæ, qui inversis contra nos capite & pedibus gradiantur, habiti olim fuêre ut feriantis ingenii commenta. Sic qui duobus ante seculis animalia millies acaro tenuiora, suis tamen venis, arteriis, ceterisque artubus instructa, annuntiare ausus esset, turpem sustinuisset delirii notam. Ergo etsi explodi debet quidquid primaria rationis axiomata offendit, non statim abjici debet id quod ratio non capit.

2°. Revelatio Revelationi contraria esse nequit. Est enim Revelatio vox Dei loquentis: Deus porro id quod uti verum certo tempore dedit, alio ævo ut falsum dare non potest.

Potest tamen Deus certas, quas libere aliquando tulit leges, revocare, uti mundum subvertere potest, quem libere condidit. In his nulla est variatio quæ in crimen vocari possit Quidni enim Deus imperfectiorem sui cultum præcipiat ad tempus, ut animos sensim disponat ad perfectiorem?

3°. Revelatio cognitiones luminis naturalis in ordine ad divina instaurare & perficere debet: debet & certas agendi leges præscribere. Siquidem revelationis neces-

fitas fundatur in ftupenda illâ rationis immunitione, quæ tot in mundum errrores invexit. Ergo ut intermediâ revelatione labanti rationi fuppetias ferret Deus, oportuit ut pene extinctum ejus lumen fufcitaret, ut faniores Numinis, debitique eidem cultûs ideas ingereret, ut purioris ethnices principia renovaret, ut & originem noftram, & quò tendere debeamus finem aperiret, &c. Neque hoc pacto violantur rationis jura, fibimetipfi redditur ratio, quæ quafi errorum fomniis abrepta effugerat. Unde quidquid docet divina revelatio quoad mores, id mature ponderatum adoptat ratio philofophica, & fubveniente gratiâ adimplet atque exequitur.

4°. Revelatio auxiliis quibufdam ftipata effe debet, quibus voluntas ad virtutis exercitium corroboretur, Nemo enim eft qui intus non fentiat, quàm in multis arduum fibi fit virtutis iter, quàm facilis fibi pateat ad turpia quæcumque aditus. Ergo non fatis fuit ut mediâ revelatione virtus à vitio certiffime dignofceretur, fed & juvanda fuit voluntas, quæ meliora videns & probans, funefto quodam impetu deteriora fequitur. Senfêre id humani Legislatores, qui fubditos fuos, quantùm potuêre, feu objectis poenis deterruerunt à vitio, feu propofitâ mercede ad virtutem invitarunt.

5°. Revelatio figillo Dei muniri debet, ac proinde ftipari miraculis, quæ Deum locutum effe demonftrent. Nempè verò benignior eft & fapientior Deus, quàm fuas lectiones, feu documenta fua, ludibrii vel rejectionis periculo exponat: exponeret porro, nifi his figillum imprimeret fuum, quo difcerni valeat, an & quid locutus fit; an ab eo reipfa miffi fint, qui fe ipfius nomine loqui gloriantur. Monet enim vel ipfa ratio, ut non omni fpiritui decredendum, fic nec omni fpiritui credendum effe. Monet experientia reperiri quandoque homines, qui quod delirant, tribuunt fuperis. De his plura dabit Turretinus in Opere jam citato.

His præmiffis videndum quam in Religionem quadrent caracteres mox recenfiti. Ab idololatrico cultu exordium ducemus, ad mahumetanam Religionem progreffuri.

§. I. *Expenditur Ethnica Religio.*

Ethnicæ Religionis vocabulo eam hîc intelligimus, quam tot annos tenuêre *Græci*, Perfæ, Romani, aliique idolorum cultores; & etiamnum tenent plures novi mundi incolæ. De ea fit & paucis.

Conclusio. Ethnica Religio, seu idololatria, mera est abominatio, nè Religionis quidem nomine dignanda.

Prob: Religio insana ratione objecti, abominanda ratione cultûs, incerta & plerumque perversa in dogmatis, ne quidem meretur Religionis nomen: Atqui idololatria, 1°. insana erat ratione objecti. Quæ enim supremos pendebat honores diis, qui ne profanos quidem merebantur, hæc ratione objecti prorsus insana erat. Atqui idololatria supremos... Nimirum verò è Gentilibus alii quædam inanimata colebant, ut hortorum plantas Ægyptii; alii animata quidem, sed ratione destituta, ut iidem rursus Ægyptii crocodilum, &, suo quidem judicio sapientissimi Athenienses, serpentem; alii rationalia equidem entia, ut Jovem, Apollinem, Mercurium, Junonem, & hujusmodi alios utriusque sexûs Heroas, sed qui nec semper extitissent, cùm nota foret eorum origo; nec virtute, sed sceleribus & infamiis emicuissent, cùm nesciret nemo infandos amores, tùm Jovis, qui nec sorori suæ pepercerat; tùm Apollinis, qui Hyacinthum, Leucotoin, Cyparissum, Clitiam, & alios prope innumerabiles præter & contra naturæ legem efflictim deperiit. Quid de vulgo loquar, cui vel ipsa simulachra totidem dii esse videbantur: quod & utcumque probare studuit Jamblicus, dum statuas divini quidpiam esse iisque Numen assidere voluit.

2°. Idololatria ratione cultûs abominanda erat. Quæ enim Deos suos per scelus colebat, & colere tenebatur, hæc ratione cultûs abominanda fuit & esse debuit: atqui idololatria... Nemo enim Deos suos melius colit, quàm cùm eos imitari studet: atqui Ethnici nonnisi per scelus *Deos libidine furentes* imitari poterant... Ergo ut incoestum Jovem, Venerem impudicam, superbam & invidam Junonem, furem Mercurium colerent, eorumdem facinora, ne Diis suis meliores esse viderentur, æmulari debuerunt. Atque id de facto contigit: Solon ille legum artifex Veneri dicarat templum, cujus custodia penes meretrices erat. Cypriæ mali nominis mulieres quæstum impudicitiæ suæ eidem Veneri consecrabant, teste Justino. Obscœna supra modum omnem erant Adonidis, Cibeles, Magnæ Matris, ac Floræ mysteria, quæ *cùm omni lasciviâ* celebrabantur. Ipsa etiam delubra infamibus plena simulachris spurcitiam & corruptos mores spirabant. Infamem infamis Priapi cultum supprimere

Aug:

Lactant:

malim, quàm ex eo potentiùs argumentari. Huc revocanda quæ in idem ſuperius dicta ſunt.

3°. Idololatria in dogmatis ſuis ut plurimùm incerta, ac ſæpiùs perverſa erat. Ut enim omiſſis Idolorum Sacerdotibus, qui ſacris ſuis propter *argentinum Deum* unicè vacabant, Philoſophorum placitis immorer, conſtat eoſdem 1°. circa præcipua ſanæ moralis principia dubios & ancipites fuiſſe; 2°. eoſdem circa cultum ſupremo debitum Numini malè prorſùs ſenſiſſe. Et 1°. ad ſanæ moralis principia pertinet ut dignoſcat homo, quo fine à Deo conditus ſit; quid poſt mortem ſperare debeat, ſi ſanctè; quid vereri, ſi malè vixerit: atqui in his mirum quàm perplexi & ancipites fuerint Philoſophi. Eorum nemo animæ naturam, originem, deſtinationem certò cognovit. Ipſe, ipſe Socrates in admirandâ quam paulo ante interitum habuit ad amicos circa mentis immortalitatem oratione, ambigit, an verum ſit quod à ſapientibus perhiberi ſolet, mortuos poſt fata ſuperſtites vivere. Tullius Lib: 1. Quæſt: in eodem dubii luto hæret: *Quævis*, ait, de animorum immortalitate, *ut potero explicabo; nec tamen quaſi Pithius Apollo, certa ut ſunt & fixa quæ dixero... Ultra enim quò progrediar, quàm ut veriſimilia videam, non habeo;* & rurſùs: *Neſcio quomodò, dum lego, aſſentior: cùm poſui Librum, & mecum ipſe de immortalitate animorum cœpi cogitare, aſſenſio omnis illa elabitur.*

2°. Malè omnino ſentiebant iidem circa cultum Numinis. Qui enim Pſeudonumina deridentes, eadem tamen à concivibus ſuis, pro locorum uſu, adorari volebant & adorabant, ii circa Dei cultum ſentiebant peſſimè: Atqui & Numina ſua deridebant Philoſophi, & eorum Miniſtros. Sic, referente, nec improbante Tullio L. 2. De divinat. ubi Pontifices & Aruſpices ludos facit, & dicteriis mordet, gravis ille Cato *mirari ſe ajebat, quòd non videret Aruſpex, Aruſpicem cùm vidiſſet:* & is tamen Tullius *acceptos Patribus Deos*, infames, annon, nihil ad rem, *coli* præcipit Lib: 2. de Legib: Unde Lactantius Lib: 2. *Video*, inquit, *te* Cicero, *terrena & manufacta venerari. Vana eſſe intelligis, & tamen eadem facis quæ faciunt ipſi, quos ipſe ſtultiſſimos confiteris.* Idem fuit mos ceterorum, quos inter Epictetus, qui dùm mira ſcribit de virtute, jubet quemque in ſacrificiis & libationibus ritum gentis ſuæ ſequi; adeoque virtuti contrariè facere, quia id exigat.

Aug:

locorum consuetudo. De his adi Clarke Tom: 2, cap: 10.

Obj: 1°. Religio quæ viros moribus celebres peperit, vera esse debet: Atqui pagana Religio... Quod enim specimen majus pudicitiæ, quàm in Lucretia? fidei ipsis etiam hostibus datæ, quàm in Regulo? sobrietatis & temperantiæ, quàm in primoribus Romanis?

R. ad 1. neg: min: imo Ethnica Religio mores corrupit Romanorum, qui quò plures temporis progressu Deos coluêre, eo plus à primæva virtute defecerunt, ut nôrunt qui historiam salutârunt à limine. Deinde ad veram virtutem non sufficit, ut grandia quædam perpetrentur: ad id enim satis esse possit spiritus superbiæ, & *laudum immensa cupido;* sed & hæc ex fine potissimum legitima esse oportet Quis porro ut plurimùm Romani populi scopus? an honos Dei quem nesciebant? an propagandi ejus imperii studium? de hoc ne in somnis quidem cogitatum est. Hinc tanta apud eos boni, malique commixtio. Fœdatur Lucretia nolens, & se, dolori impar, enecat: quid non hîc mali? servat fidem Attilius Regulus: Idem in gloriam patriæ, vel suam potius, faciunt Athei. Sobrietati & temperantiæ student Romani milites: atque interim Orbem universum succendunt, ferro & flammis omnia depopulantur, bellique & mortis horrores ad ultima mundi deferunt. Servet nos Deus ab ea virtutis specie incolumes, quæ plus, quàm vitia pleraque, in Orbem invehat mali.

Hîc sciens omitto secretas, quin & sæpius manifestas Gentilium abominationes, quas vel ipsi ethnici Scriptores non siluêre ac nervosè insectatus est Paulus Rom: 1. Ex his porro, nec difficulter colliges, nihil fermè sani fuisse apud Ethnicos. Quanquam etsi horum aliqui plenam virtutis laudem meruissent, id non idololatriæ dandum, sed spiritui qui ubi vult spirat. Bene Arnobius Lib: 2. adversùs Gentes: *Sint, licet, perhonesti... sed audire deposcimus quot sint aut fuerint numero... Unus, duo, tres. At genus humanum non ex bonis pauculis, sed ex ceteris omnibus æstimari convenit.*

Obj: 2°. Religio miraculis suffulta pro mendaci haberi nequit: miracula enim nonnisi à Deo esse possunt: Deus autem mendacii confirmator esse non potest. Atqui pagana Religio... Ei enim per annos bis mille sua fuêre oracula, quæ & animi sensa penetrarent & revelarent occulta, & futura prædicerent: atqui hæc

vel ſunt miracula, vel miraculis caret Chriſtiana Religio.

R. diſt: maj: Religio ſuffulta miraculis, quæ Dei protegentis manum annuntient, pro mendaci haberi nequit, C. Religio ſuffulta, vel potiùs ſubverſa miraculis, quæ Dei vindicis iram evidenter demonſtrent, N. ſic diſtinctâ min: neg: conſeq: Itaque fateor, prout jam in priori hujus Compendii Tomo, contra Vandaleum & alios agnovi, oraculorum prodigia, non ſemper meras fuiſſe Sacerdotum deceptiones & præſtigias, ſed vera quæ humanam poteſtatem vincerent portenta. At contendo ſimul, non magis ea propter à Gentilibus inferri potuiſſe, Religionem ſuam à Deo comprobari, quàm qui tunc temporis per ſtragem, deprædationem & calumnias rem alienam feliciter & tranquillè invaſit, inferre potuerit ſcelera ſua Deo placere. Cur autem, amabo, nemo ſceleſtus facinora ſua, tametſi coronata, Deo probari credere potuit? utique quia naturæ Autor ſanctiora naturæ jura ſubverti non approbat. Atqui Ethnicorum oracula eo tota tendebant, ut ſaniora naturæ principia tum in factis, tum in dogmatibus ſubverterent. Quæ enim Innocentum mortem, libidinum infamias, ineluctabilis fati doctrinam præcipiebant, hæc ſubruebant ſaniora naturæ principia: atqui oracula, &c. Vid: tom. præced: p. 354.

Obj: 3°. Religio mundo æquæva, totumque per Orbem, demptâ Judæâ Mundi angulo, diffuſa, & ſic Catholica, legitimum Numinis cultum habere debuit: Atqui Ethnica Religio.... Minor conſtat. Prob: maj: Poſtulat, quæ Deo ſummè competit, ratio patris, ut non ſinat filios ſuos in univerſis Mundi partibus, erroris & mendacii ludibrium eſſe. Atqui niſi vera foret Religio quæ totum per Orbem diffuſa eſt, ſciviſſet Deus, hominum pater, filios ſuos ubique erroris ludibrium eſſe. Ergo.

R. Ad 1. neg: maj: pro ſecunda parte, & minorem pro prima. Unde

Dico 1°. Ethnicam Religionem non fuiſſe congenitam mundo, ſed multis poſteà ſeculis in Orbem invectam: certè nulla priori ævo fuêre ſimulachra, nullus niſi veri Numinis cultus, etſi is paſſim adeo langueret, ut pauci admodùm juſti ſupereſſent. Hinc ſenſim crevêre vitia & vitiorum comes ſuperſtitio. Quapropter nova hìc nobis exurgit probatio in hunc modum. Religio, quæ in Deum autorem refundi non

potest, quæque tunc demùm longè latèque grassata est, cùm obliti cœlestium homines in omne spurcitiei genus prolapsi sunt, legitima esse nequit. Atqui, Ethnica Religio in Deum refundi non potest; cùm eam nescierint primi homines à Creatore recens conditi & informati: aliunde tunc demùm grassata est, &c.

Dico 2°. Religionem non eò veram censeri posse, quod in immensum crescat; cùm progressum hunc juvare possint criminis juxta Religionis leges perpetrandi facilitas, Regionum præjudicia, & Principum timor; sed ideò veram æstimari debere, quod & legitimâ ac summè veraci autoritate nitatur, & hominem sanctè perficiat in ordine ad Deum, ad se & ad proximum: Atqui nullum ex his insignibus habuit Religio pagana, sed caracteres directè oppositos. Ergo non magis in ipsius gratiam ex diffusione ejus argumentari licet, quàm ex eo quod indita sit humano generi violenta propensio in sensuum illecebras & voluptates, inferre liceat propensionem hanc certum esse Numinis instinctum, cui in omnibus obsequendum sit.

Nec nocet paterna Dei bonitas: sicut enim in humanis Rex idemque pater prolem sibi constanter infensam abjicit tandem à se, miseræque suæ forti dimittit; sic & Deus, quia paris fit ad benignitatem justitiæ, Gentes vias suas ingredi dimisit: nec tamen semetipsum reliquit sine multiplici naturæ & gratiæ testimonio, ut supra diximus.

§. II. *Expenditur Mahumetana superstitio.*

Lenglet.

Mahumetes anno Christi 570. die Maii 5. Meccæ natus, patrem habuit *Abdollah* nomine, matrem vero *Amena*, utrumque à Korashitarum Tribu, totius Arabiæ nobilissimâ, & è posteris Ismaël filii Abrahæ. Bimestris patre orbatus, matre verò octennis post longam in avunculi sui *Abutaleb*, opulenti negotiatoris, ædibus moram, divitis viduæ, cui nomen *Cadigha* domum ingressus, & ejusdem tabernæ præpositus, mercaturam fecit, ac tertio post anno Cadigham duxit uxorem.

Ære proprio gravis Mahumetes, Regionis cui olim jura dederant progenitores sui, imperium ambiit, quod ut faciliùs compararet, novæ jecit Religionis fundamenta. Favebat temporum conditio. Pertæsi idololatriæ Arabes Judæos æquè ac Christianos oderant; hique insuper gravibus in Oriente scindebantur dissidiis, quæ Ethnicos ab amplexanda Christi Religione deterrebant.

Ergo ut propheticos indueret spiritus speluncam *Hira* frequens invisebat, seráque revertens nocte domum, habita cum Gabriele Archangelo colloquia renuntiabat uxori, à qua pro lymphato primum habitus fuit, ac deinceps pro veri numinis Propheta.

Annos natus circiter 40. vir fictè Apostolicus nova dogmata clanculùm primò, ac subinde palàm spargere incoepit: at durè exceptus à suis, qui hominis scopum & ambitionem præsenserant, è Mecca Medinam confugit: atque hæc illa fuga est, quæ sub Hegiræ vocabulo, Mahumetani computi epocham figit. Desertus à plerisque suis Propheta, quia Religionem suam nullis fulciret miraculis; quod eloquio non poterat, armis moliri aggressus est, eosque omnes, qui adversus doctrinam suam mutire ausi sunt, & ferro & flammâ devastavit. Ait expugnatâ *Chaïbar* urbe Judæorum Arabum, à puella, cui nomen *Zaïnab*, epulas inter lento veneno infectus post triennium occubuit, annos natus circiter sexaginta tres. Sepultus est Medinæ, ubi sepulchrum ejus non pendet sublime medio in templo vi magneticâ elatum, ut post alios plures scribit Nat: Alexander, sed humi jacet.

Mahumetis Religionem totam complectitur Alcoranus, volumen Mahumetanis sacrum, & è Coelis, si penes eos fides sit, per Gabrielem allatum ad novum Prophetam. Constat illud capitibus 114. quæ Suras vocant. Opus eleganter quidem scriptum, at centonibus, pro data occasione sibi assutis constans. Tituli nihil ut plurimùm habent, quod cum materia capitis cohereat; nihil quod Religionis majestatem spiret. Caput primum inscribitur *de vacca*: grande omen! Hic non dices:

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?

Antequam ulteriùs progrediar, non abs re fuerit admonuisse, Missionariis, qui rem cum Mahumetanis habent, sedulo cavendum, ut ab evomendis in Alcoranum, ejusque Opificem, dicteriis abstineant, tum quia methodum hanc secuti non sint Apostoli: unde Act: 19. Ephesius Scriba de Paulo & aliis Evangelii præconibus: *adduxistis*, inquit, *homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram*: tùm quia alioqui in rabiem aguntur Mahumetenses, nec convertuntur. Quid ergo facto opus? procedendum per modum dubii & inquisitionis. Sciscitandum qui fuerint Mahumetis mores, quæ missionis ejus autoritas, qui hujus vel illius

versiculi sensus; tùm ex absurdis ad absurdiora deducendo, efficiendum ut is quicum sermonem habes, ex conclusionum insulsitate principiorum insulsitatem quasi per se solam colligat.

De cetero & id curandum, ne quid falsi imponatur Mahumeti, neque enim etiam hostem alienis coloribus adumbrare licitum est, & nigrum pingere, qui tantum fuscus sit. Sensit id Relandus, at, meo quidem judicio, ultra limites sensit; unde parùm fuit quin primo Libri intuitu vererer, nè minùs Mahumetismum à criminibus eidem falsò impactis vindicare, quàm salutis in omni Religione possibilitatem adstruere vellet. Id certè, nec semel fortassis, fecit ad Alcorani vindicias, quod à Turca quidem tentari deceat, à Christiano neutiquam. Sit

Conclusio Mahumetana Religio prorsus reijcienda est.

Prob: Ea Religio, si Religio nuncupari potest, omninò reijci debet, quæ nullos veritatis, plures vero & apertos falsitatis caracteres habet. Atqui Mahumetana Religio ... Genuini enim veræ Religionis caracteres sunt, 1°. Institutoris ejus nota sanctitas: 2° ejusdem missio divinitùs declarata; 3°. dogmatum series quæ nihil præferat indignum Deo; 4°. eorundem dogmatum cohærentia, & omnimoda veritas. His se insignibus prodit Moysis & Christi Religio, utraque à Mahumete commendata: nec quisquam facilè capiat, futurum ut Deus novam sanciturus Religionem, ejusdem annuntiandæ curam homini moribus vitiato committat, &c. Atqui Mahumetana Religio nullos habuit è præcitatis caracteribus, sed è diametro contrarios.

Et quidem 1o. Institutor ejus non fuit vir notæ & indubiæ sanctitatis. Malè enim cohæret sanctitas cum effusa in venerem libidine, citra pudorem & modum. Si quâ autem parte enituit Mahumetes, dubio procul intemperanti libidine. In eo nè minimum quidem continentiæ, nihil pudoris, nulla proprii, vel alieni thori fides. Uxores duxit ad minùs quindecim, pellices quantùm voluit. Ex uxoribus duas repudiavit, Gaziam & Heissam; posteriorem hanc, quia impudicum Prophetæ cum quapiam ipsius concubina * commercium divulgasset. Neque his quæ hominum intemperantiori sufficiant contentus, *Zeidi*, liberti sui conjugem, suam fecit. Scandalum inde emergens ut tolleret, duo respondit, videlicet se mulierum commercio ad orationem ascendi; quodque blasphemam scurrilitatem so-

* *Maria Copta.*

nat, concessam sibi, singulari Numinis privilegio, facultatem, quæ sibi placerent mulieribus fruendi. En privilegii hujus contextum, prout refertur Alcorani cap: 33. v. 47. & seq: *O Propheta, nos fecimus licitas tibi mulieres tuas, quibus dedisti mercedes earum; & quod possedit dextera tua* ancillas *& filias patrui tui, & filias amitarum tuarum, & filias avunculi tui, & filias materterarum tuarum...* Hoc est *privilegium* concessum *tibi præter ceteros fideles.... Has à te semove, illas adjunge pro velle tuo, &c.* Apage sceleratum, qui autore Cœlo scelestus esse velit.

2°. Mahumetis missio non fuit divinitus confirmata. Missionem enim divinam confirmant duo; unum quòd qui mittitur, à sanctis Dei Prophetis fuerit prænuntiatus; alterum quod stupenda quædam & soli Deo reservata miracula edat. Atqui hîc utrinque deficit Mahumetes. Nullibi prædictus est, nisi fortè ut Antichristus quidam veræ Religionis pro viribus subversor. Nulla insuper edidit miracula; unde petentibus Judæis, & Meccæ incolis, ut Moysis & aliorum Prophetarum instar, & prodigia edat, si fidem sibi haberi velit, effugia quærit, quia miraculis faciliora: modo causatur, inutilia esse miracula, ut quæ neminem olim converterint: modò increpat auditorum suorum infidelitatem, quasi quæ, eruptura alioqui pleno fonte, prodigia sua cohibeat: modò, & id primùm dici debuerat, fatetur se ad aperiendam salutis viam, non ad perpetranda miracula emissum fuisse. Unde sic Deum inducit ad se loquentem: *Responde his qui signa petent: Certè signa sunt penes Deum: certè ego sum tantum prædicator manifestus.* Et alibi: *Dei certè es prædicator, & unicuique genti director; & non est partium tuarum facere miracula.* Vel ergo mendax fuit Propheta, vel nulla miracula edidit.

Cap: 3. v. 184.

C. 6. v. 33. 36.

C. 10. v. 50.

3°. Non pauca Mahumetis dogmata Deo prorsus indigna sunt. Deo enim indignum est ut carneas cupiditates foveat, & earum intuitu ad pietatis exercitium accendat: atqui Alcoranus in eo totus est, ut foveat cupiditates carnis, &c. Fidelibus suis uxores quatuor ingenuas permittit, concubinarum numerum non determinat: virginitatem, quâ Angelis similes efficimur, nullibi verbis commendat, ubique factis impetit; privatam ultionem indulget; quod die per jejunium subtrahit corpori, illud per noctem abundè compensat cibis & venere; paradisum spondet belluis digniorem quàm hominibus, ubi, ait cap: 2. *dulcissimas aquas,*

pomaque multimoda, fructus varios, & decentissimas ac mundissimas mulieres, omneque bonum sui in æternum possidebunt. Et cap: 88. *Timentes illic possidebunt hortos palmarum & vitium, puellasque consocias & consimiles * cum oculis claris & immensis, quorum albugines candidissimæ, & pupillæ nigerrimæ.* Mitto cetera quæ Turcam recreent, sed Christiano Philosopho ad Dei contemplationem facto nauseam pariant & indignationem.

Cap: 54.

Nec dicas, Mahumetem in hisce descriptionibus parabolicè locutum, prout in Evangelio Christus, cum cibi, potûs & mensæ typis utitur, ut æternam beatitudinem adumbret. Nam 1°. nemo facile suspicabitur hominem venereis immersum, cuique tota, dùm vixit, felicitas fuit in mulieribus, ità ut in adulterio deprehensus fingat sibi relaxatum à Deo fuisse juramentum, quo spoponderat se à Maria Jacobitici Regis uxore abstenturum esse: nemo, inquam, facile suspicabitur, hircum illum puros spiritualis gaudii fontes cognovisse. Non sic utique fuit de Christo, qui castimoniam virgo ipse & virginis filius impensè coluit, & per suos prædicari voluit; qui vitam æternam in eo constituit, ut cognoscamus verum Deum; qui à resurrectione vel nuptiarum ideam excludit; qui quod metaphoricè alicubi locutus est, & pluries explicuit, & à suis explicari curavit. 2°. Quis paradisi gaudia, dissolutus per imagines fœdas adumbret constanter, si præsertim verba habeat obtusi ingenii plebem, cui pronum sit ex tota Doctoris agendi ratione verba ejus literaliter ut sonant in erpretari.

Cap: 55.

4°. Mahumetis doctrina nec secum cohæret, nec congruit veritati. Ubique totus est Pseudopropheta ut vetus & novum Testamentum commendet, & ubique totus ut utrumque in factis historicis, & in dogmatibus subvertat. Scribit cap: 17. præcepisse Deum Angelis ut Adamum adorarent, & omnes dempto Beelzebub paruisse. Cap: 15. ait Abrahamum fuisse idololatram, & siderum inspectu ad Dei unius cultum resipuisse. Polygamiam à Christo vetitam permittit; repudium ab eodem reprobatum adstruit ipse & restaurat. Negat Christum se Dei filium dixisse. Mariam Christi matrem cum Mariâ Moysis sorore turpi anachronismo confundit. * Christum à Judæis cruci affixum non esse,

---

* *Vindicat hic pro more suo Mahumetum Relandus: an æquè, judicet lector: en verba Alcorani cap:* 19. *cùm*

ſed ejus loco alium ipſius ſimilem aſſeverat. Sed de his vide latiùs differentem Nat: Alexandrum diſſert. 4. in Hiſtor: Eccles: ſeculi ſeptimi, ubi tamen non nihil labitur vir eruditus, quem emendabis ex Relando etſi is quoque indiget emendari.

Objiciunt multa Doctores Moslemi in gratiam Mahumetis quorum nonnulla & ſtrictim proſequar; & 1°. hæc Dei verba ad Abraham Genes: 17. v. 20. *Super Iſmaël quoque audivi te. Ecce benedicam ei, & augebo; multiplicabo eum valdè.* & cap: 21. v. 20. *& fuit Deus cum eo,* Iſmaël. Atqui, aiunt, benedictio hìc promiſſa, & ſpiritualis eſt, & indicat iſtud: *Fuit Deus cum eo;* & nonniſi in Mahumete Iſmaëlis filio completa eſt.

2°. In Deuter: 33. *Dominus de Sinaï venit, & de Seïr ortus eſt nobis: Apparuit de monte Pharan... in dextra ejus ignea lex:* ubi mons Pharan Legem Mahumeto datam indicat, ſicut mons Seïr Legem à Chriſto prædicatam in Seïr propè Nazareth, & Sinaï Legem Moſaïcam.

Mariæ conſanguinei eidem filium ſuum in ulnis gerenti occurriſſent, ſic eam probroſè allocuti ſunt: O Maria, ecce rem ſtupendam, *quòd mater effecta ſis*. O ſoror Aaronis, non juſſit pater tuus te malè facere; neque impudica erat genitrix tua. *Ad quæ cùm Maria infanti innuiſſet, ut in matris gratiam reſponderet, hanc ille ab iniqua ſuſpicione vindicavit. Ad hæc quid Relandus?* 1°. *Mariam fortaſſis habuiſſe fratrem nomine Aaronem, cujus memoria apud Arabes perſeveraverit. Sed an apud ſolos Arabes, mortalium ineptiſſimos, perſeveraſſet Aaronis illius ceteris ignoti memoria?* 2°. *Mariam Aaronis ſororem miraculoſè conſervatam fuiſſe, ut Chriſti mater efficeretur. Sed quis non miretur conſervationem hanc Judæis perinde & Chriſtianis incognitam, & contrariam Scripturæ, Num:* 2. 3°. *Mariam Aaronis ſororem dictam eſſe, quæ è ſtirpe Aaronis eſſet per matrem ſuam. Sed neque id meliùs; tùm quia gratìs fingitur Mariæ matrem fuiſſe è Tribu Levi: (erat enim hæc è Tribu Juda, ſicut & mater Elizabeth, quæ per patrem ſuum erat* è filiabus Aaron, *Luc:* 1.) *tum quia Maria non diceretur ſoror, ſed filia Aaronis, ut & Elizabeth; tùm denique quia pari & meliori jure Maria dici potuiſſet ſoror Salomonis cujus à fratre oriunda erat. Ut ut eſt, contortæ illæ Alcorani vindiciæ Mahumetano quidem permitti poſſunt, ſed dubitem an Chriſtiano.*

3°. Id Isaiæ 21. v. 7. *Vidit* speculator *currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli.* Ubi cameli ascensor est Mahumetes, sicut asini, ascensor est Christus.

4°. Id Joan: 16. 7. *Si abiero, mittam eum ad vos,* nempe Spiritum consolatorem. Quis porrò non statim intelligat promitti hîc Mahumetem?

5°. His accedunt miracula quæ vel incredulioribus assensum extorqueant Ut enim ex infinitis pauca seligam, voci Prophetæ morem gerebat columba, & aurem ipsius ore suo leniter percutiebat. Animantium loquelam intelligebat, cameli precipuè cujusdam, qui heri sui crudelitatem querebatur. Pronæ coram eo arbores hominem Dei profunde salutabant. Armus vervecis, quem veneno infecerat Zainab, Prophetam de ejus esu cogitantem sic affatus est: *Ne me gustes veneno medicatum.* Quid plura, coelos coelorum conscendit Mahumetes, ibique sententiam hanc Arabice inscriptam legit: LA ELLAH, ELLALAH MOHAMMED VESUL ALLA * id est: *Non est Deus præter Deum, ejusque Propheta est Mahumetus.* Sed quorsum inquirimus miracula: annon Mahumetanæ Religionis incrementa, ejusque victrices de Christiana fide progressus miraculum quodcumque excedunt?

R. ad 1. neg: min: siquidem utroque Genesis textu agitur de benedictione mere temporali. Sic enim habet prior textus: *Multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit;* ubi nihil quod ad Religionem pertineat aut pertinere possit cùm Ismaëlitæ à vero Dei cultu ad idololatriam defecerint. Posterior vero sic habet: *Et fuit* Deus *cum eo, qui crevit. . . . factusque est juvenis sagitarius*: quæ temporaneam Dei protectionem designant, & nihil ultra.

R. ad 2. recenset hîc Moyses vel signa quæ Deus in Israëlitarum gratiam edidit, partim in monte Sinaï, ubi fulgura inter & turbines legem dedit; partim in vicinia Seir montis Idumææ, ubi & æneum serpentem erigi jussit, cujus intuitu sanabantur quicumque ab ignitis serpentibus percussi essent; & Idumæos ac

---

* *Cave qui apud Mahumetanos peregrinaris; ne verba hæc etiam per jocum repetas: alioqui vel morte plecteris, vel Christianam Religionem ejurare teneberis. Primum incauto cuidam Græco adolescenti contigisse scribit Relandi editor pag: 106.*

finitimas gentes tremore complevit; de quo Judic: 5. v. 4. partim in monte Pharan, cujus ad radicem populum satiavit coturnicibus; aliaque in gentium terrorem prodigia geminavit. Vel uno eodemque ductu promulgationem legis indicat, quàm cùm ferre vellet Deus gloriæ suæ primitias ex parte montium Seïr & Pharan manifestare incœpit, quasi ex iis progrediens ad montem Sinaï, ubi rem totam absolvit. Ita Menochius. Hic vero nihil de Mahumete, præsertim cùm Pharan & Meccha ab invicem quingentorum millium, ideoque plurium dierum intervallo discrepent.

Hinc nihil quoque Pseudoprophetæ causam juvat in Habacuc 3. v. 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Ibi enim, *veniet*, familiari Scripturæ usu, idem est ac *venit*. Et vero cui præter Deum competunt hæc quæ subsequuntur verba: *Operuit cœlos gloria ejus: laudis ejus plena est terra.* Sane operuerunt terram Mahumetis infamiæ: nec ei quis, nisi infamis ipse, vel cœco præjudicii furore raptus, laudis tributa persolvet. De his, si plura voles, adi doctis: Gabriël: Musson, è Regia Societate, Tom: 1. pag: 222. & seq:

Ad 3. Neque hic adumbratur Christus, nec Mahumetes, qui certe nec ratione suì, nec ratione gentis, solus camelum ascendit. Hic ergo per ascensorem asini designantur Persæ, qui ad Isaïæ tempora hactenùs ignobiles vixerant, & patientes malorum. Camelo autem comparantur Medi, qui & magnanimi erant, & camelis vehebantur.

Ad 4. Qui Mahumetum perjurio, incestu, fornicatione, adulteriis, viduarum & patriæ suæ devastatione famosum in spiritum consolatorem traducit, is vel cacodemon est, vel quid eo deterius.

Ad 5. Vel miracula non sunt, vel inanes fabulæ quæ narrantur de Mahumeto. Unde 1°. fictitia est, quæ tamen penè ubique legitur columbæ ad Mahumeti aurem advolantis historia, & Moslemis ignota; ut probat Relandus cap: 39. nec, si vera sit, quidquam probet. Quis nesciat belluas ad longè difficiliora informari?

2°. Quod ad animantium loquelam spectat, dixerit quis maligne, haud mirum videri, si par parem sibi intelligat. Ut ut est, vel hinc falsi convincitur Mahumetana superstitio, cum quæ ratione carent, rationis sensa exprimere non valeant. Ecquis tenebrio non idem de se jactabit quod Pseudopropheta, si æque desipiat?

3°. Idem dixeris de arborum salute, quæ quâ asse-

ritur facilitate, eâdem negatur, præsertim quia inepta, cùm arbor reverentiæ incapax sit. Plus placet, sed nihilo validiùs probatur, lunæ è cœlo descensus; ejusdem duas in partes divisio, partis unius in Prophetæ manicam intromissio. Vah! quam cœcutiit, qui post perpetratum hujusmodi prodigium, negavit se natum ad miracula.

4°. Quod spectat ad vervecinum Armum, qui se veneno infectum admonuit, quæro an is palàm locutus sit, an submissâ voce. Si primum, ut quid *Basher* Mahumeti discipulus tantùm ex eo comedit, ut agente veneno, confestim occubuerit. Si voce submissâ, cur Propheta discipulum suum non admonuit exitiosæ fraudis? Stet igitur admonitum fuisse Mahumetem non armi locutione, sed gustu qui veneni suspicionem ingesserit, & quidem paulo seriùs quàm oportuisset: cùm exhinc male affecta valetudo ipsius sensim defecerit.

5°. Circa Mahumeti raptum ad cœlos scinduntur Moslémi Doctores; alii eum pro vero eventu habent, alii pro nocturna visione: nos pro anili fabulâ, donec qui solus divini itineris comes fuit Angelus Gabriel, veritatem ejus renuntiet. Et verò quis, modò plenus impostor, paribus non gloriabitur prodigiis, si sat fuerit eadem sibi citra probationis speciem, affingere? Interim ex fictitia raptûs illius historiâ sponte sequitur Christum Mahumeto superiorem esse: cùm etsi, referente Pseudoprophetâ, ejus se precibus commendaverint in primo cœlo Adam, in secundo Noë, in tertio Abraham, in quarto Joseph, in quinto Moses, in sexto Joannes Baptista, ipse se Christi in septimo cœlo superiùs constituti precibus commendaverit. Non me fugit Mahumetanos Christum venerari, adeò ut è suis unum qui adversùs puram ejus nativitatem blasphemârat, palo transfigi jusserint Constantinopoli, prout narrat ex oculato teste editor Relandi; at & hinc urgeri debent quod Christo longe minùs tribuant, quàm ei tribuerit Mahumetes.

6°. Nihilo plus probant Mahumetanæ Religionis incrementa: 1°. quia impendio majores fuêre ethnicæ superstitionis progressus; & hæc tamen mera erat impietas; 2°. Quia non est metienda Mahumetismi amplitudo, ex vastitate Regionum quæ Ottomani Imperatoribus subjacent: cùm in iis innumeri prope occurrant Christiani, à se quidem, vel à Romana communione disjuncti, sed Alcorani hostes invicti; 3°. quia jam Musulmani complures, superstitionis manifestæ

pertæsi ad Atheismum convolant; 4°. Quia nil mirum quod tantopere creverit Alcorani fides; mirum duntaxat, idque debitum promissionibus Christi, quod Orbem totum non impleverit. Et vero quid stupendi, si populi, rudes præsertim, armis, cædibus, rapinis subdantur novæ tyrannidis, & novæ Religionis jugo; Religionis potissimùm, quæ carni & sensibus plene indulget, quæque nullam in dogmatis difficultatem habet, & vix ullam in factis; cùm jejunium mensis Ramazan, mera sit horarum inversio, ita ut post solis occasum plene compensetur, quidquid per diem subreptum est corpori. Quid non è contra miraculi, quod invitâ tot seculorum persecutione steterit, in ipso Mahumetismi ejusque promissionum & illecebrarum sinu; Religio; quæ credenda proponit mysteria, sapientibus seculi incognita, & humanæ impervia rationi; quæ sensibus bellum indicit, cupiditatibus refrenandis incumbit tota; quæ res præcipit imprimis difficiles & arduas, ad quas nulla est in natura & hominum indole propensio, imò repugnantia maxima; scilicet pœnitentiam & mortificationem carnis, inimicorum amorem, orationem pro calumniantibus, beneficentiam in persecutores, bonorum & mundanæ gloriæ contemptum.

Natal: Alex: ubi supra.

Quod autem objicere solent Mahumetani, Evangelium à Christianis mutatum fuisse ac vitiatum; mera est & putida calumnia. Dicant enim ubi & quando contigerit mutatio illa. Dicant quî fieri potuerit, ut diversæ, quæ jam ab Apostolicis temporibus eruperunt sectæ, quæque aliæ aliis capitaliter infensæ erant, in hanc conspiraverint mutationem, quæ quia uni fortè probata fuisset, displicuisset alteri. Dicant cur jam ab initio exprobraverint Gentiles, adorari à Christianis hominem cruci affixum. Dicant an probabile sit, Christi supplicium, quod fuit, & secundum naturæ infirmitatem esse debuit Judæis scandalum, & gentibus stultitia, alio quàm veritatis studio prædicari potuisse. Sed de his rursum in sequentibus.

CAPUT QUINTUM.

Impugnantur Mosaïcæ Legis adversarii.

Adversarios habet Mosaïca lex, 1°. Deistas, qui eam fabulis accensent; 2°. Mahumetanos, qui Codices ejus primùm legitimos fuisse, sed deinceps vitiatos; ac ipsam demum totam, ut opus imperfectum,

ſplendidiori Alcorani doctrinâ deletam ac rejectam eſſe fabulantur; 3°. Judæos ipſos, qui Moyſis legem in æternum ſancitum fuiſſe contendunt. De his ſequenti Capite: ceteros eodem telo confodiemus in præſenti. Sit.

CONCLUSIO. Vera eſt & divina Religio à Moyſe promulgata.

Prob: Ut vera ſit & divina Religio à Moyſe promulgata, quinque ſufficiunt, 1°. ut Moſes verè extiterit, non autem homo ſit fabuloſus; 2°. ut is Scriptor ſit vel approbator Libri, quem Pentateuchum dicimus; 3°. ut Liber ille injectis in eum mirabilibus adulterari non potuerit; 4°. ut idem Liber certam legum ſeriem, ſeu corpus divini & humani juris contineat; 5°. ut leges illæ, & qui ex iis manarunt animorum ſenſus, nihil præferant quod grandem & inſolitam ſummi Numinis ideam non ingerat; 6°. ut eædem leges ab uno Deo emanare putuerint. Atqui hæc omnia conſtant. Minor ſex habet partes, quæ pro totidem Concluſionibus haberi debent. Itaque

Dico 1°. Moyſes verus quidam homo exſtitit, non perſona romanenſis. Ideò enim credimus, & nobiſcum credunt Deiſtæ, fuiſſe olim Darium, Alexandrum, Solonem, &c. quia id poſteris mandaverint antiqui Scriptores cujuſcumque ordinis, nec ulla eâ de re apud populos emerſerit dubitatio. Atqui momenta hæc exiſtentiam probant Moyſis. Eam nempè tranſmiſerunt de ævo in ævum Hebræi Scriptores. Eam ſemper ut hodie tenuit tota Judæorum natio. Eam velut indubii quidpiam commemorarunt Autores Ethnici, ut Diodorus Siculus, Strabo, Juſtinus, Trogus Pompeïus, Plinius, Longinus, &c. ergo.

Dico 2°. Moyſes, vel ſcriptor eſt, vel approbator (uter ſit nil ad rem in præſenti) voluminis, quod Pentateuchi nomine circumfertur. Vel enim Libri hujus Autor * eſt Moyſes, vel idem Liber poſt mortem Moyſis ſcriptus eſt ab aliquo, qui eum mirabilibus in ipſo contentis tumidè exornaverit. Atqui poſterius iſtud dici non poteſt: 1°. Quia gratis id & temerè dicitur: quis porrò gratìs & temerè loquens in materia tam gravi audiri mereatur? 2°. quia quæcumque Moyſis exiſtentiam

---

* *Autoris nomen latius ſumo, nimirum pro eo etiam qui approbator ſit.*

annuntiant monumenta, hæc eundem five apud Hebræos, five apud Gentiles, Judaïcæ Legis Autorem faciunt. Ergo nifi litterarius Pyrronifmus invehatur, non magis in dubium vocari poteft *Legislatio* ejus, quàm ejus exiftentia. Sane fi contra publicam hanc totius antiquitatis, Hebrææ, Paganæ, Chriftianæ, Mahumetanæ vocem infurgere licebit, & Homero Illiadem, Æneïdem Virgilio, Mahumeti Alcoranum abnegare; 3°. Quia fi nihil fcripferit Moyfes, publicæ fuit notorietatis eum nihil fcripfiffe: cùm tanti momenti factum non potuerit latere gentem totam, cujus fummopere intererat cognoviffe, án fibi quidpiam, vel nihil præcepiffet vir cujus ad autoritatem bonus vel malus quifque perpetuò revocabatur. Ergo non magis fub Moyfis nomine vulgari poftmodò potuit lex in Pentateucho expreffa, quàm hodie fub Henrici III. vel IV. nomine vulgari poffit Codex Legum, quem norint omnes à neutro conditum fuiffe.

Dico 3°. Neque idem Liber injectis in eum mirabilibus, quæ Mofaïcæ Legi vim darent, adulterari potuit. Nam 1°. corruptio hæc vel à gente totâ proditffet, vel à privato quopiam impoftore. Non à gente totâ: tùm quia impoffibile eft ut gens tota in dolum & fraudem confpiret; femper enim occurrit, vel probus aliquis, qui adverfùs aliorum nequitiam infurgat, vel garrulus quis, aut malè contentus, qui proditores prodat ipfe apud extraneos. Tùm quia nulla Natio eò ufquam devenit, aut deveniet coecitatis & amentiæ, ut falfa fingat, quo grave ac pene intolerandum fibi jugum imponat, feque apud omnes Orbis populos infamet. Atqui Pentateuchus & jugum grave omnibus conjunctim Judæis, ac præcipuis eorum Tribubus imponit; & gentem totam infamat.

Quòd imponat grave jugum toti populo liquet; cùm in eo præcipiatur ut circumcidantur mafculi omnes, ut ne ligna quidem pauca colligantur Sabbato, ut viri omnes ter per annum fiftant fe Domino, ut nulla cum extraneis ineantur connubia, ut infida mulier gravi plectatur fupplicio, ut frequentia pro peccatis offerantur facrificia, & alia id genus, quæ ut plurimùm fub poena capitis imperantur.

Nec minùs liquet grave præcipuis Hebræorum Tribubus præjudicium inferri, cùm Sacerdotium, præcipua Reipublicæ dignitas, uni Tribui, ceteris ab eo in perpetuum exclufis, affignetur; cùm Tribus Ruben omnium prima primas tamen partes non habeat; cùm

in patribus, qui familiarum capita fuêre, quorum flagitia transmittuntur ad posteros, dehonestentur filii & nepotes, &c.

Demum haud minùs constat, Hebræos in totâ Pentateuchi historiâ graviter infamari. Hîc unoquoque passu invenias populum durâ cervice & incircumcisis cordibus, divinorum beneficiorum prorsus immemorem, pronum ad murmura contra Deum, & ad seductionem adversùs Duces suos; ventri suo deditum; propensum ad idololatriam; aurei vituli amantiorem quàm Dei Patrum suorum; turpi cum Moabitis fœminis crimine squallentem, aliisque infestum sceleribus, propter quæ à cœlo vindice tandem prostratus sit in deserto. Hîc nefanda fratrum Joseph flagitia, intentatam eidem Josepho perniciem, incestum Judæ cum Thamar, vim & dolos filiorum Jacob erga Schimitas, & alia hujusmodi conspexeris. Quæ usquam gens tales de se historias vel finxit, vel proprio motu, nulloque urgente Deo transmisit ad posteros?

Neque eadem corruptio à privato quopiam impostore oriri potuit: 1°. Quia nunquam fiet ut tota natio, quantumlibet ab omni propriæ utilitatis studio aliena supponatur, in fidem noti vel ignoti cujusdam hominis onerosam legem amplectatur; mortis, si resistat, pœnam adoptet; sibique factâ prodigiorum de quibus nihil usquam audierit, narratione illudi patiatur. 2°. Quia vitiatio hæc, nec paulò post Moysis mortem fieri potuit; quia recentior erat ejus ævi memoria, quàm ut sineret tentari aleam narrationis quæ notorietati publicæ contraria foret. Nec diu post, putà Samuelis, Davidisve aut Prophetarum tempore peracta supponi potest; cum ii ubique passim Moysis legem citent, qualem nunc habemus; & edita in Majorum suorum gratiam miracula indesinenter celebrent: unde si vitiatus sit Pentateuchus, & vitiata esse oportet quæcumque postmodum ab Hebræis prodiêre volumina. Hujus autem omnimodæ corruptionis quæ tandem argumenta? 3°. Quia idem ubique est stylus Pentateuchi; nihil in eo, saltem momenti alicujus, quod aliam & aliam manum sonet. Mirum autem si Liber multiplici manu exaratus, ubique adeò sibi æqualis sit, ut lac lacti similius esse nequeat: 4°. Quia etsi vitiari possit Liber obscurus & neglectus, at non is qui manu omnium teratur; qui quoquo die consuli debeat, uti solam Regiminis tùm sacri, tùm & politici regulam continens: cujus studio impense vacent & Magistratus

& Doctores; qui unoquoque septennio solemniter perlegi debeat; quem demum ipse populi moderator, & diebus singulis legere & manu suâ transcribere tene atur. Hujusmodi, quæso Liber an faciliùs vitiari possit, quàm quæ à Ludovico XIV. fluxerunt Leges? Et has tamen præsertim si quotidiano usu consec entur, quis adulterare ausit? 5°. Demum (ut alia prætereaam multa, atque in primis maledictiones iis indictas, qui Legis Libro vel addere quidpiam vel demere ausint) præcipua Pentateuchi facta, non minùs in perpetua Judæorum praxi, quam in eodem Pentateucho scripta sunt. Celebrant Judæi quotannis Pascha, aut quid Paschati consimile: ut quid? in memoriam exitûs sui de Ægypto. Celebrant Pentecosten: Quapropter? Quia legem sibi è monte Sinaï datam receperint. Celebrant festum Tabernaculorum: quâ, precor, de causa? quia in deserto sub tentoriis commorati sunt. Postes suos agni sanguine tingunt, & redimunt primogenitos suos: quo fine? ut in æternum meminerint, primogenitis suis parcitum ab Angelo Ægyptiorum devastatore. Ergo stat Moysis Librum vitiari non potuisse.

Deuter. 17. *v.* 18. 19.

Dico 4°. Pentateuchus quoddam divini & humani juris corpus constituit. Nimirum Volumen in quo omnia hominis erga Deum, erga se & erga proximum officia continentur, verum divini & humani juris corpus constituit: Atqui talem esse Pentateuchum norunt, quicumque eum vel raptim evolverint. Hîc nempe præcipitur Dei unius dilectio ex toto corde, gratiarum actio propter beneficia ejus, supplex ad eum in omni necessitate recursus. Hîc commendantur boni prosecutio, fuga mali, ejusdemque mali per pœnitentiam reparandi media. Hîc severe interdicuntur furta alieni boni, cædes proximi, odium fratris, imo & quæcumque rei ipsius concupiscentia; ergo.

Dico 5°. Volumen legis, & qui ex eo apud Israëlitas manarunt animorum sensus, nihil nisi Deo dignum præferunt. Et id quidem ut primo detegatur intuitu, sufficit ut Moysis Theologia cum Gentilium sui temporis Mithologiâ paulisper conferatur. Hîc ad minùs incertum an Deus unus sit, vel multiplex; an spiritus vel materia; an liber vel ineluctabili fato religatus. Illic novum in Orbem te transferri putes, & hominem audire, qui Numinis commercio diu potitus, Deitatis arcana penetravit. Hinc post tot anno-

in patribus, qui familiarum capita fuêre, quorum flagitia transmittuntur ad posteros, dehonestentur filii & nepotes, &c.

Demum haud minùs constat, Hebræos in totâ Pentateuchi historiâ graviter infamari. Hîc unoquoque passu invenias populum durâ cervice & incircumcisis cordibus, divinorum beneficiorum prorsus immemorem, pronum ad murmura contra Deum, & ad seductionem adversùs Duces suos; ventri suo deditum; propensum ad idololatriam; aurei vituli amantiorem quàm Dei Patrum suorum; turpi cum Moabitis fœminis crimine squallentem, aliisque infestum sceleribus, propter quæ à cœlo vindice tandem prostratus sit in deserto. Hîc nefanda fratrum Joseph flagitia, intentatam eidem Josepho perniciem, incestum Judæ cum Thamar, vim & dolos filiorum Jacob erga Schimitas, & alia hujusmodi conspexeris. Quæ usquam gens tales de se historias vel finxit, vel proprio motu, nulloque urgente Deo transmisit ad posteros?

Neque eadem corruptio à privato quopiam impostore oriri potuit: 1°. Quia nunquam fiet ut tota natio, quantumlibet ab omni propriæ utilitatis studio aliena supponatur, in fidem noti vel ignoti cujusdam hominis onerosam legem amplectatur; mortis, si resistat, pœnam adoptet; sibique factâ prodigiorum de quibus nihil usquam audierit, narratione illudi patiatur. 2°. Quia vitiatio hæc, nec paulò post Moysis mortem fieri potuit; quia recentior erat ejus ævi memoria, quàm ut sineret tentari aleam narrationis quæ notorietati publicæ contraria foret. Nec diu post, putà Samuelis, Davidisve aut Prophetarum tempore peracta supponi potest; cum ii ubique passim Moysis legem citent, qualem nunc habemus; & edita in Majorum suorum gratiam miracula indesinenter celebrent: unde si vitiatus sit Pentateuchus, & vitiata esse oportet quæcumque postmodum ab Hebræis prodiêre volumina. Hujus autem omnimodæ corruptionis quæ tandem argumenta? 3°. Quia idem ubique est stylus Pentateuchi; nihil in eo, saltem momenti alicujus, quod aliam & aliam manum sonet. Mirum autem si Liber multiplici manu exaratus, ubique adeò sibi æqualis sit; ut lac lacti similius esse nequeat: 4°. Quia etsi vitiari possit Liber obscurus & neglectus, at non is qui manu omnium teratur; qui quoquo die consuli debeat, uti solam Regiminis tùm sacri, tùm & politici regulam continens: cujus studio impensè vacent & Magistratus

& Doctores; qui unoquoque septennio solemniter perlegi debeat; quem demum ipse populi moderator, & diebus singulis legere & manu suâ transcribere tene atur. Hujusmodi, quæso Liber an faciliùs vitiari possit, quàm quæ à Ludovico XIV. fluxerunt Leges? Et has tamen præsertim si quotidiano usu confec entur, quis adulterare ausit? 5°. Demum (ut alia præteream multa, atque in primis maledictiones iis indictas, qui Legis Libro vel addere quidpiam vel demere ausint) præcipua Pentateuchi facta, non minùs in perpetua Judæorum praxi, quam in eodem Pentateucho scripta sunt. Celebrant Judæi quotannis Pascha, aut quid Paschati consimile: ut quid? in memoriam exitûs sui de Ægypto. Celebrant Pentecosten: Quapropter? Quia legem sibi è monte Sinaï datam receperint. Celebrant festum Tabernaculorum: quâ, precor, de causa? quia in deserto sub tentoriis commorati sunt. Postes suos agni sanguine tingunt, & redimunt primogenitos suos: quo fine? ut in æternum meminerint, primogenitis suis parcitum ab Angelo Ægyptiorum devastatore. Ergo stat Moysis Librum vitiari non potuisse.

Deuter. 17. *v.* 18. 19.

Dico 4°. Pentateuchus quoddam divini & humani juris corpus constituit. Nimirum Volumen in quo omnia hominis erga Deum, erga se & erga proximum officia continentur, verum divini & humani juris corpus constituit: Atqui talem esse Pentateuchum norunt, quicumque eum vel raptim evolverint. Hîc nempe præcipitur Dei unius dilectio ex toto corde, gratiarum actio propter beneficia ejus, supplex ad eum in omni necessitate recursus. Hîc commendantur boni prosecutio, fuga mali, ejusdemque mali per pœnitentiam reparandi media. Hîc severe interdicuntur furta alieni boni, cædes proximi, odium fratris, imo & quæcumque rei ipsius concupiscentia; ergo.

Dico 5°. Volumen legis, & qui ex eo apud Israëlitas manarunt animorum sensus, nihil nisi Deo dignum præferunt. Et id quidem ut primo detegatur intuitu, sufficit ut Moysis Theologia cum Gentilium sui temporis Mithologiâ paulisper conferatur. Hîc ad minùs incertum an Deus unus sit, vel multiplex; an spiritus vel materia; an liber vel ineluctabili fato religatus. Illic novum in Orbem te transferri putes, & hominem audire, qui Numinis commercio diu potitus, Deitatis arcana penetravit. Hinc post tot anno-

rum millia, unum id factu habent sublimioris ingenii ac politioris litteraturæ homines, quibus de Deo magnifice loqui propositum est, ut dicta seu Moysis, seu qui in ejus Schola efformati sunt Prophetarum, assumant. Ecquis se suprà se rapi non sentiat ad hæc verba: *Deus* is est *qui est*: nomen ejus, *omnipotens, æternus, Deus exercituum. Verbo ejus firmati sunt cœli, & spiritu oris ejus omnis virtus*, seu militia *eorum. Dixit & facta sunt; dixit: Fiat lux, & facta est lux. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei:* valdiores quæque *insulæ* coram eo *quasi pulvis exiguus. Dissipat consilia gentium, & reprobat consilia Principum. Mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.* Frustrà eum intra Templi limites coercere velis: *Hæc dicit* & vere dicit *Dominus; Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi, &c.* Pervolve omnes antiquitatis Philosophos, & experire an omnes in unum contusi pares de Numine sensus instillent.

Exod: 5. Psal: 33. Gen: 1. Isaï: 4. Psalm. 32.

Dico 6°. Mosaïca lex à Deo solo oriri pôtuit. Ea nempe lex ab uno Deo emanare potuit, quæ de Deo ideam ingerit humanâ majorem, quæ veris & crebris miraculis confirmata est, quæ à numerosa gente nonnisi ex miraculis & per miracula suscipi potuit. Atqui talis est Lex Mosaïca.

Et quidem 1°. Ex modò dictis ideam humanâ majorem ingerit, præsertim attentis temporum circumstantiis, in quibus vix existentiam Dei notat homo, nedum illius æquam sibi pingeret imaginem.

2°. Eadem Lex veris & crebris miraculis confirmata est. Siquidem terribiles Ægypti plagæ, transitus maris rubri, submersio Pharaonis & ejusdem exercitûs, Lex in monte Sinaï turbines inter & tonitruum fragorem data, hiatus terræ in ruinam Core, Datham & Abiron, aqua è rupe scaturiens, nubes per diem in modum tentorii expensa, per noctem vero in modum ignis irradians, hæc inquam, & alia id genus plura quæ dabit Exodus, totidem sunt miracula omni exceptione majora: atqui facta hæc extra omnem dubii aleam posita sunt: utpote quæ nec clanculùm & in angulo, sed coram universa multitudine filiorum Israël perpetrata sint; nec potuerint fingi vel à Moyse, vel à quopiam post ejus mortem, ut paulo ante probavimus.

3°. Eadem Lex nonnisi ex miraculis & per miracula suscipi potuit. Lex enim grave jugum & capitis

pœnam indicens genti universæ, ad seditiones & cædes promptæ atque alacri, minas spiranti & vindictam, ab homine præsidiis & opibus destituto, cuique Missio sua unus erat titulus, unum & munimen; hæc, inquam, lex, nisi accedentibus miraculis, quæ pervicaciam omnem frangerent, suscipi non potuit. Vertant se Deistæ quoquoversùm voluerint, invenient quidem Principes qui jura dederint; sed jura facilia & ad communem politiam; sed Principes vel electos à populis, vel qui populos armorum fragore & viribus ad obsequium coëgerint: Hominem vero, qui nullâ fretus autoritate (demptâ coelesti) ita animos intractabiles commoverit, ut millies mori mallent, quam legem ipsius ejurare, nullum omnino reperient. Ergo.

Prob: 2°. Nemo est mentis adeò desperatæ ut fingere possit non modò fabulosum esse Pentateuchi Librum, sed & ceteros omnes quos pro agiographis habent Judæi: est enim id nova Pyrrhonismi species priori deterior: Atqui admissâ semel quorumdam ex iis libris veritate, stat sua Mosaïcæ legis veritas & divinitas. Quod stet ei veritas sua liquet, quia Mosaïca lex, summaque ejus mirabilia in iisdem Libris perpetuò recensentur, ut norunt qui Libros Regum, Psalmos, Prophetas, aliosque pene omnes evolverint. Quod autem stet ei sua divinitas non minus perspicuum est. Enimvero Libri, qui dum ex una parte divinitatem Mosaïcæ Legis commendant, ex alia parte continent prædictiones quæ à solo Deo inspirari potuerunt, suam simul & Mosaïcæ Legis divinitatem adstruunt. Atqui tales sunt Libri de quibus loquimur. Quid enim, ut cetera omittam, crebriùs & apertius in iisdem Libris prædictum, quàm Gentilium vocatio ad fidem, & Judæorum reprobatio, subversio templi ipsorum, dissipatio gentis totius, &c. Atqui hæc ad unguem completa sunt, & ab eo solo potuêre inspirari, qui certa de populis & Principibus init consilia, & ea quibus voluerit, revelat, diu antequam exequatur. Ergo.

Prob: 3°. Vera est Christiana Religio, ut infra probabimus: Atqui hæc vera esse non potest, quin sua constet veritas Legi Mosaïcæ; cùm hanc & Christus & Evangelii præcones ubique veram supposuerint. Ergo.

Obj: 1°. Veritas Religionis Judaïcæ tota innititur familiari Deum inter & Moysem commercio. Atqui commercium illud gratis fictum supponi potest. Non enim minùs fictum esse potuit commercium Moysis

cum Deo, quàm Numæ cum Egeria Nympha, Minois cum Jove, Mahumetis cum Angelo Gabriele: Atqui hæc & paria Legislatorum plurium cum propitio quodam Numine commercia, nihil habent serii, sed ad conciliandam novis legibus autoritatem ficta sunt. Ergo.

R. ad 1. neg: min: commercium enim & publicum & innumeris confirmatum prodigiis, iisque notorietatis omnimodæ, fictum supponi non potest. Atqui Moysis cum Deo commercium, 1°. publicum fuit. Non enim clanculùm, sed palam & coram omni multitudine loquebatur Deus ad Moysen; imò & ad multitudinem ipsam, quæ hinc ità territa est & tremefacta, ut majestatem ejus sustinere non valens, petierit ne sibi deinceps loqueretur Deus: *Loquere tu nobis*, aiebant ad Moysen: *non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* 2°. Idem Moysis cum Deo commercium certis, notoriis, nullâque ex parte suspectis prodigiis confirmatum est. Et vero quæ uspiam gens, nisi premente evidentiâ, crediderit, apertum fuisse sub pedibus suis mare, quò transiret; se ab ignitis serpentibus laceratam fuisse; é terra erupisse ultricem flammam, quìcum in abyssos proruerint viri rebelles; se per annos 40. cibatam esse mannâ, quam nequidem degustaverit; integra sibi per idem tempus superfuisse vestimenta, quæ vel nulla haberet, vel sæpiùs renovasset: quæ, inquam, gens id credet, eo præcise ut gravi prematur jugo, ut dilectis Ægyptiorum dapibus renuntiet, ut in deserto pene tota fatiscat & consumatur?

Exod: 20. 19.

Ad 2. neg: maj: patet jam disparitas: Moysis cum Deo commercium & in se publicum fuit, & iis confirmatum prodigiis, quæ eidem, tametsi occultum fuisset, plenam fidem conciliarent. Atqui adducta Numæ, Minois, Mahumetis seu cum Pseudonuminis, seu cum Angelis commercia, 1°. Privato intra parietes nullo teste agebantur, unde nec iis semper credebant, quorum intererat, ut patet de Tito Livio, qui nocturnos Numæ cum Deâ Egeriâ congressus ridet, & ad commenti miraculum simulatos esse scribit Lib: 1. n. 8. quod & facit Valerius Max: Lib: 1. cap: 2. quod est *de simulata Religione*, ubi sic: *Numa Pompilius, ut populum Romanum sacris obligaret, volebat videri, sibi cum Deâ Egeriâ congressus esse nocturnos.* 2°. Nec ullis unquam comprobata fuêre prodigiis, quæ cominùs vel eminùs accederent ad Mosaïca. 3°. Nec ad eundem finem tendebant, nempe ad sanciendam Le-

gem, cujus observatio non ad Legislatoris utilitatem, sed ad Dei solius cultum tenderet; quæ quia grave & insolitum cupiditati frænum injiceret, eò tantùm admitti poterat, quod rejici non posset, &c.

Inst: Miracula de quibus non constat nisi ex ipsius Moysis, aut saltèm veterum Hebræorum relatu, silentibus ceteris in circuitu Historicis, imò & contradicentibus, Moysis cum Deo colloquia adstruere non possunt. Neque enim æquum est ut Genti quæ dignitatem suam commendat, fides habeatur: cùm idem nativo sui amore tentaverint populi omnes. Atqui Mosis Miracula, vel ab eo solo, vel ab Hebræis quibusdam referuntur. De iis altùm silent Scriptores ceteri, aut si non silent, contradicunt. Sic Manetho, Cheremon Lysimachus apud Josephum Lib: 1. contra Apion. & Justinus Lib: 36. scribunt Israëlitas ob scabiem & lepram è finibus Ægypti propulsatos fuisse. Sic qui idem memorat Tacitus Lib: 5. addit, asinorum rurestrium gregem, qui *è pastu in rupem nemore opacam concessit*, Moysi *largas aquarum venas* indicasse, quibus populum jam siti deficientem refecerit. Ergo,

R. 1°. neg: maj: Iis enim indubia fides haberi debet, qui & pleniorem historiæ suæ notitiam habent, & aliunde nec decipi potuerunt, nec decipere voluerunt. Major pro prima parte liquet ex communi eruditorum sensu, qui Romanam historiam in Scriptoribus Romanis, Græcam in Græcis inquirunt: pro secunda verò parte constat ex terminis. Atqui Hebræi 1°. pleniorem Historiæ suæ notitiam habere debuerunt, quàm ceteri; cùm & diu ante ceteros omnes scripserint, & eâ ut minimùm ætate quâ recens erat omnium memoria. 2°. Nec decipi potuerunt; cùm, uti jam diximus, agatur de factis quæ coram infinitâ multitudine contigerint, & quæ tùm in monumentis publicis, tùm & in sacris Religionis ritibus jam ab initio conservata sint. 3°. Nec voluerint decipere; non exteras Gentes, quia nihil habebant cum ipsis commercii, easque odio perfecto oderant, ut & ab ipsis odio habebantur; non proprios concives qui grave jugum romanensibus duntaxat historiis innixum explosissent. Næ! dixissent, lepidi estis, qui commemoratis transitum maris rubri, manna in deserto, divinæ Legis promulgationem, & id genus alia, de quibus nihil unquam auditum est à seculo, &c. Ergo.

Et verò, si cujus intererat decipere, Moysis profectò, quem versipellem & vafrum fingunt Deistæ. Atqui

sicubi prodit se totus hominis candor, dubio procul in Moyse. Nihil in eo quod proprii commodi studium redoleat. Præest quidem genti; sed à qua singulis ferme diebus, nisi in suppetias veniat Numen, mactandus sit. Dignitatem suam non transmittit ad filios. Nævos & delicta sua aperit, tarditatem linguæ, resistentiam Deo Pharaonem adire jubenti, diffidentiam ad aquas contradictionis, propinquorum suorum adversus semetipsum rebellionem, &c. quis uno superbiæ spiritu actus hæc scribat?

R. 2°. neg: min: Neque enim Mosaïcæ Legis dignitatem attestantur pauci tantùm Hebræi, sed 1°. Natio tota, tum in monumentis quæ diu subsistêre, tum in publicis ritibus qui hodieque subsistunt; 2°. Scriptores multi Josepho antiquiores, ut Heccathæus, Chærillus, Numenius, Polihistor, & alii plures quos dabit idem Josephus in Lib: contra Appion. & ex ipso Eusebius toto Lib: 9. Præparationis Evangelicæ. Certè meminerunt idem Autores diluvii, confusionis linguarum, Abrahæ, Jacobi, &c. Ex his porro totidem exurgunt testes in gratiam narrationis Mosaïcæ. Adon eandem identidem certis eventibus confirmavit. Sic primus omnium scripsit Moyses, Sodomam cum finitimis urbibus cœlesti tactam incendio periisse, atque hinc natum lacum Alphastitam: Atqui id non ità pridem vero congruere deprehenderunt viatores, qui depressis, ut interdum evenit, lacûs aquis, mœnium ruinas & fragmenta perspexêre.

Nec obest quod, de expulsis propter vitiliginem ex Ægypto Judæis narrat Justinus, aut de onagris Tacitus. Nullam enim merentur fidem quæ nullis nixa sunt momentis. Ubi porro sua hæc commenta nactus erat uterque Scriptor? an in Ægyptiorum Libris? nulli supererant hujus vel vicini temporis. An in Judæorum Codicibus? pugnant hi in contrarium. Et vero qui de Christianis suo tempore vigentibus tam malè disserit Tacitus, quia sua fortè norat, non aliena; quid fidei circa primævas Hebræorum historias mereri possit?

Inst: 2°. Responsio nostra præcipuè innititur conditioni factorum quæ à Moyse scripta sunt, quæque, ut volumus, cùm in publicis monumentis, ritibus etiam ac Festis conservata sint, fingi non potuerunt. Atqui ratio hæc nullius est ponderis, & ut veritati, sic & fabulæ adstruendæ inservit. Siquidem commentitiæ erant Pseudonuminum appetitiones: atqui tamen harumce memoria in publicis monumentis, delubris, fe-

ftis, ludis fcenicis, facrificiis etiam humanis conferva-batur. Ergo quemadmodum monumenta hæc nihil probabant aliud quam cæcam populi credulitatem, vel fuperftitionem, ità à pari.

R. neg: maj: vis enim argumenti noftri non nititur tantùm monumentis publicis, fed monumentis coævis, monumentis à tota natione erectis, monumentis finceram pietatem & veri Dei cultum fpirantibus: Atqui nihil hujufmodi habuerunt Ethnicæ Religionis monumenta. Horum pleraque diu poft prætenfas Deorum revelationes, eafque fine teftibus factas, erecta funt. Pleraque non à populo, fed à principibus, qui fe diis annumerari etiam ante mortem volebant, profe diis annumerari etiam ante mortem volebant, prout contigit Alexandro Magno, à quo necatus eft Califthenes, quia impiæ præfumptioni non affentiret. Nulla demùm ad veræ pietatis progreffus, nulla ad fincerum veri Dei cultum erecta funt. Unde tametfi omnia prorfùs, & ftatim, & publicè, & ab omni populo edita effent in memoriam eventûs alicujus humano majoris, puta quia Jovis vel Dianæ ftatua, citra hominis cujufcumque dolum, locuta effet, nihilo plus proficeret Religio Pagana, nec nutarent probationes noftræ in gratiam Mofaïcæ Religionis. In his enim non ponderanda eft tantùm hæc vel illa argumenti pars, quæ forfitan à vitiligatore dialectico elidi, vel eludi poffit; fed argumenti tota compages, contra quam ne inferi quidem prævalere poffint.

Obj: 2°. Lex quæ vetita comprobat, ut furtum; quæ inhumana jubet, ut nationis totius ftragem & internecionem; quæ ubique crudelem vindictam fpirat; quæ Deo humanas tribuit paffiones, ut zelotypiam, furorem, & fimilia, qui totidem funt in dogmate errores; quæ fabulationes narrat, ut colloquium ferpentis cum Eva; quæ naturales effectus tranfvertit in miracula, ut tranfitum maris rubri, cujus una caufa fuit refluxus maris; hæc, inquam, lex à Deo effe nequit. Sed lex Mofaïca, 1°. Probat furtum, Exod: 12. 2°. Nationis totius, non unius, fed multiplicis ftragem imperat, Chananeæ, Amorrhææ, &c. in Exodo, Numeris & alibi paffim; 3°. Vindictam fpirat adeo immanem, ut vix legi poffit Pfalmus 108. &c.

R. neg: min: ut quæ falfò fupponat, vel vetita effe quæ Deus probat aut jubet; vel non poffe Deum præcipere, ut impiæ nationi eripiantur opes fuæ vel vita. Utique qui pro nutu imperia dividit, qui mundum totum ob fcelera fua delevit diluvio, qui mor-

tificat & vivificat, potuit & Ægyptiorum bona transferre ad Hebræos, & Gentes, quarum completa erant scelera, hujus vel illius gladio interimere. Atque id sæpè sæpiùs ex parte fecit per bella principum, quæ tot utrinque hominum millia devorant. Quod autem tunc dispereant commixti reis innocentes, naturale est calamitatis publicæ consectarium. Nec vero insonti minus quam fonti lucem Deus adimere potest; imo & misericorditer adimit, ne malitia mutet intellectum ejus.

Quod spectat ad Psalmos, qui primâ fronte ultionis spiritum præferre videntur, uno docent ore Interpretes, in iis non optari mala, sed prædici. Et vero an optasset inimicis suis mala, qui Deum adjurabat ut meminisset David & mansuetudinis ejus; qui toties infensissimo hosti suo Saüli pepercit; qui cùm Rex esset potentissimus, fulmenque & vindictam gereret manu, in hæc verba fiducialiter erumpebat: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis*, Psalm: 7.

Quod spectat ad passiones Deo attributas, factum id à Moyse ut accomodaret se ad captum populi, qui divina nonnisi ex humanis intelligit. Et Vero sciunt Christiani Deum zeli & iræ incapacem esse. Atqui tamen cùm premuntur inopinis casibus, una eorum vox est, se Dei iram & furorem peccatis suis promovisse. Ergo quemadmodùm hinc redargui non possunt, sic nec Moyses, qui sat superque semetipsum explicat, cùm hæc refert Num: 23. 19. *Non est Deus quasi filius hominis ut mutetur.*

Colloquium serpentis cum Evâ nec rejici potest ut impossibile, cum Omnipotens creare potuerit spiritum, cui animantis corpus subiret, & sonos ederet per os ejus; nec ut fabulosum, quia narratio cujus veritas certis & indubiis prodigiis constat, pro fabulosa haberi non potest. Talis porro ex dictis est narratio Mosaica.

Refluxus maris, quo solerter usus sit Moyses, mera est chimæra, tum quia impossibile est ut Ægyptii, gens mari rubri finitima, phænomenum illud ne pueris quidem in portibus nostris ignotum, ignoraverint & ideò perierint; tùm quia fieri non potuit, ut his decies centena hominum, feminarum, & infantium millia, cum numerosis pecoribus, supellectili totâ, suisque & Ægypti opibus, intra tres & minus sufficientis refluxûs horas transierint à littore in littus. Vid: Dissertationem Calmeti.

Obj: 3°. Supponunt probationes nostræ, 1°. Pen-

tateuchum à Moyse conscriptum esse; 2°. Librum hunc non potuisse alienâ manu vitiari. Atqui utrumque falsum est. Primum quidem, quia multa habet Pentateuchus, quæ à Mose scribi non potuerint, putà genealogias quæ ultra Moysis ætatem protendantur, nomina urbium, quæ iis nonnisi diu post Moysis mortem indita sint, Moysis ipsius mortem & similia. Secundum non minus constat. Nam 1°. Perditus est aliquando Liber Moysis, & ab Esdra, ut volunt, restitutus, ex Esdræ 4. cap. 14. Idem liquet ex Regum 4. c. 22. ubi Helcias Volumen Legis in domo Domini reperit, illud ad Regem Josian. hinc graviter stupefactum mittit. Porrò facile est vitiari Librum, qui paucis adeò manibus teritur, ut deperdi possit. 2°. Patres, ut Irenæus Lib: 3. c. 24. & 25. Justinus Dialog: cum Triphone, Hieronymus in Epist: ad Galat. Judæis adulteratæ Scripturæ crimen impingunt. Ergo.

R. ad 1 1° ad argumenti nostri vim necesse non est ut Pentateuchus ab ipso Mose Scriptus sit; sed satis est ut scriptus fuerit, dum recens & indubia foret memoria eorum, quæ in eodem Libro relative ad Legem commemorantur: sic enim evidens est volumen illud vitiari non potuisse: quia etsi adulterari absolutè potest privati Scriptoris Liber, qui jacet in tenebris & neminem tangit; non tamen Liber, qui ad totam gentem spectat, qui Religionis ejus archivia continet, qui possessionis illius titulos complectitur, & certarum legum observationi jura ejus & bona alligat. Porro talis est Pentateuchus. Ergo seu à Moyse oriatur seu ab alio, fuit ab initio genuinus, & deinceps adulterari non potuit.

Quanquam negari non potest Pentateuchum Moysis foetum esse; tùm quia id semper agnovêre Judæi, Samaritani & Christiani omnes, qui rem illam propius & plenius indagarunt, quam Hobbes & Spinosa; tùm quia pluries in Scriptura fit mentio de Legis volumine à Moyse conscripto, ut Deuteron: 24. Exod: 34. &c. tùm quia remittit Christus Judæos ad ea quæ de se conscripta sunt à Moyse: hæc autem potissimùm habentur in celebri Jacobi vaticinio, quod diu tempus Legis præcessit. Sed de his, quæ extra institutum nostrum sunt, alibi. *Joan: 5.*

Nec nocent quæ contra opponuntur. Tum quia Moyses prophetico spiritu multa præscribere potuit; unde sentiunt Josephus, Philo, & alii plures, eum mortis suæ historiam scripsisse; tum quia fieri potuit

ut Jozue vel Eleazar, qui ipsi Spiritu Sancto pleni erant, notoria quædam ad elucidationem addiderint textui, vel potius margini; unde subinde in textum, quia res erant nullius momenti, transierint. Ita Bossuetus in oratione super historiâ universali. De his vide plenius Huet & Frassen.

Nihilo plus urget, quod alicubi laudat se Moyses, ut Num: 12. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Quæ enim afflante Spiritu Sancto fiunt, non jactantiæ, sed divinæ gratiæ commendationi adscribi debent. Sic & aliquando laudat se S. Paulus; sed alibi pluries, quod & factum est à Moyse, defectus suos non dissimulat.

R. ad 2. nullum fuisse tempus, quo Moysis Liber, seu potius Liber gentis universæ, adulterari potuerit. Utique non minùs tunc temporis reclamatum esset, quam hodie, si quis Evangelii textum corrumpere ausit.

Nec obest 1°. Liber quartus Esdræ, 1°. quia is apocryphus sit, & nullius prohinc autoritatis; 2°. quia narratio ejus fabulam sapit. Nempe aït Autor c. 14. *Cor* suum, postquam porrectum sibi calicem bibit, cruciatum fuisse *intellectu*: unde factum est ut per dies 40. viris Quinque dictaverit Libros 204. quo tandem nec tenui opere completo, *locutus est* ad eum *Altissimus, dicens*: *Priora quæ scripsisti in palàm pone, & legant digni & indigni: novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo.* Atqui nulla ullibi extitit memoria, seu Librorum 134. qui dignis & indignis traditi sunt; seu eorum septuaginta, qui nonnisi sapientibus concrediti fuêre; 3°. Quia Samaritani Pentateuchum Phænicibus characteribus descriptum religiosè servabant: atqui Samaritani Esdrâ erant antiquiores, & Judæis nimium infensi, quam ut ab iis Pentateuchum Mosaïco absimilem reciperent. Ergo idem semper fuit post Esdram Pentateuchus, qui anteà.

Nec 2°. obest inventi ab Helcia in Templo voluminis historia: Neque enim fuit illud unicum quod superesset Legis Volumen, sed vel ipsum Mosis autographum, quod à latere Arcæ repositum erat; vel, ut passim, teste Menochio, affirmant Interpretes, Deuteronomium, quo uno maxime centinentur quæ terrori esse possunt violatoribus Mosaïcæ Legis. Ceterum, an quia latuisset aliquandiu Volumen Legis ideo vitiari potuisset quantum ad mirabilia ejus, quæ millies in ceteris Scripturæ Libris, præcipue autem in Psalmis recensentur.

Quod ſpectat ad SS. PP. ii Judæos quidem argue-runt, ſed non quia ipſam Hebræi textûs ſubſtantiam invertiſſent, bene vero quia ipſum vel male interpre-tabantur, vel male reddidiſſent in verſionibus ſuis, Aquilæ ſymmachi & Theodotionis. Unde ſic habet Irenæus: *Non ergo vera eſt quorumdam interpretatio, qui ità audent interpretari Scripturam:* Ecce Adole-ſcentula in ventre habebit, & pariet filium; *quemad-modum Theodotion Epheſius eſt interpretatus, & Aqui-la Ponticus utrique Judæi proſelyti.* Idem eſt Juſtini & aliorum ſenſus.

Ambigit quidem Hieronymus annon Judæi vocem *omnis* & *omnibus*, ex illo ſuſtulerint Deuteronomii verſu: *Maledictus* OMNIS, *qui non permanſerit in* O-MNIBUS, *quæ ſcripta ſunt in Libro Legis.* Sed 1°. ambigit tantum, non affirmanter loquitur; 2°. Etſi paucula id genus quædam, bonâ vel malâ fide vitiaſ-ſent Judæi, quid inde contra Voluminis ſubſtantiam? an perierit Juſtiniani Codex, quia una vel altera ejus lex aliquo caſu tantillum interpolata fuerit? Tantil-lùm dico, ſive enim in citato textu legas, *omnis* & *omnibus*, ſive non, ſenſus in idem recidit; 3°. Quan-ta eſſe debet integritas Libri, in quo peritiores viri, nec certe in Judæos propenſi, ut Hieronymus, vix leviores aliquot ejuſmodi nævos detexerint.

Obj: 4°. Fuêre apud Hebræos increduli plures, & idololatræ. Sed eorum qui Moſis miracula pro veris, non pro præſtigiis habuiſſent, ne unus quidem in-credulitati ceſſiſſet. Quis enim non credat quæ oculis ſuis videt. Ergo Moyſis portenta, ne quidem ævo ip-ſius pro veris habita fuêre.

R. 1°. Fuêre etiam apud Hebræos qui ſincere cre-derent; nec dubium eſt quin ii alios adæquarent inge-nio, & virtute ſuperarent. Atqui facile concipi nequit viros & ingenio & pietate pollentes, ſibi viſos eſſe in-tueri quod neutiquam intuebantur: neque è divinâ bo-nitate erat, ut homines veri & æqui ſtudioſos miſeræ illuſionis & doli mancipia eſſe permitteret. Ergo.

R. 2°. Fuêre apud Hebræos homines nequam, ut nunc apud Chriſtianos. Porro Chriſtiani plures, etſi a-liquando hariolos interrogent, & magicis artibus ſer-viant, haud tamen Chriſtianæ Religionis veritatem & miracula inficiantur: imo plerumque in facinoribus ſuis atque ſacrilegiis ſupponunt. Ergo idem de incre-dulis Judæis dici poteſt. Serviebant illi non raro ido- * Taliſ-lis, & ſideralibus ſcripturis * utebantur, ſed eodem mans.

ſpiritu quo nunc noſtrorum aliqui ſe dæmoni nuncupant: non ubique quaſi eum Orbis creatorem exiſtiment: ſed ut ab ipſo per nefas extundant, quod aliunde aſſequi non valent.

R. 3°. Nullam eſſe abſurditatem cujus capax non ſit homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo. Nihil ſane inſulſius, quam Dei exiſtentiam inficiari, aut admittere Deum, qui homines, uti porcorum gregem, locaverit in terris, ut ventri & libidinibus, ſine ullo ad conditorem reſpectu, per aliquod tempus indulgerent, poſtmodum penes corpus & animam extinguendi: hæc tamen admiſſa ſunt. Quis ergo incredulos Iſraëlitas, nulliſque commotos prodigiis demiretur? Nonne eorum, qui ſe ingenio *fortes* jactitant, unus non ita pridem palam & in ſcriptis aſſeruit, non crediturum ſe reſurgenti mortuo, qui aliud, quam ſua ſibi dictet ratio, annuntiaret. I nunc, & Hebræorum incredulitatem objice.

Obj: 5°. Quidquid à Deo eſt, divinitatem ſapit: Atqui Lex Moyſis è contra. Lex enim adeo imperfecta & in multis deficiens, ut illam à Chriſto reformari neceſſe fuerit, hominem redolet, non Deum: atqui, &c.

R. neg: min: Imo Lex vetus quia non nihil habebat imperfecti, divinitatem ſapiebat. Exigit enim ſapientia Dei, ut leges ſuas hominis tenuitati attemperet: ſicut exigit patris ſapientia, ut minus ab imbecilli puero exigat, quam à natu majore jam aptiori ad graviora. Quanta vero foret Hebræorum, qui tot annos in medio idololatriæ ſinu vixerant, imbecillitas in ordine ad divina, neſcit nemo qui eorum hiſtoriam pervolverit. De his vide quæ in noſtro Legibus compendio dicta ſunt.

CAPUT SEXTUM.

Impugnantur Judæi.

Poſt vindicatam cum Judæis veritatem Religionis Moſaïcæ, probandum jam contra eoſdem, huic perfectiorem aliam ſucceſſiſſe. Sit

Conclusio I. Religio Moſaïca non in perpetuum conſtituta eſt, ſed poſt tempus abrogari debuit.

Prob: 1°. Ex dictis vera erat & divina Lex Moſaïca. Atqui eo ipſo quandoque abroganda erat. Namque Religio quæ ſui abrogationem certo prænuntiat, ſi vera

fit & divina, eo ipso abroganda est. Atqui Religio Mosaïca sui ipsius abrogationem prænuntiat.

Prob: min: ex ipsis, quas á Judaïca gente accepimus, Scripturis, Jeremiæ 31. v. eod: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum, non secundùm fœdus quod pepigi cum Patribus eorum, cùm educerem eos de terra Ægypti . . . Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël . . . Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum. Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs.*

Neque vero novum hoc fœdus suum inibit Dominus cum domibus solis Israël & Juda, sed & cum universis mundi Nationibus. Ita nimirum uno concentu docent Prophetæ. *Loquetur pacem gentibus*, Zachar: 9. 10. *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium*, Isai. 42. 6. *Parum est ut sit mihi servus ad fæces (* reliquias *) Israël convertendas: ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, ibid: 49. 6. *Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur*, ibid: 11. 10.

Ex iis sic: Ea lex sui abrogationem prænuntiat, quæ aperte docet futurum ut Deus legem novam á veteri prorsus diversam constituat, non modo in gratiam Israël & Juda, sed omnium mundi populorum. Lex enim vetus solis Judæis indicta erat, & aliunde saxo quidem insculpta erat, ât non in corde & visceribus. Atqui Lex vetus per Prophetas suos docet, &c. Ergo & sui abrogationem prænuntiat. Unde paucis Apostolus Hebr: 8. *Dicendo nomen, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit prope interitum est.*

Prob: 2°. Lex positiva qua talis, in externis ritibus consistit. Atqui externi Legis Mosaïcæ ritus abrogandi erant. Scilicet enim externi Legis Mosaïcæ ritus positi erant in singulari erga Arcam reverentiâ, in Tabernaculo, vel Templo quod per annum pluries invisendum esset, in sacrificiis omnigenis quæ Domino offerenda essent. Atqui nihil horum erat, quod olim abrogandum non esset.

Et 1°. quidem Arca ipsa, & proinde ejus veneratio desituræ erant. *Dabo vobis*, aït Deus apud Jerem: 3. 15. *Pastores juxta cor meum, & pascent vos scien-*

tia & doctrina. Non dicent ultra: ARCA TESTAMENTI DOMINI, *neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur.* Quid ergo futurum de Mosaïca Religione, quid de cultu publico, cujus Arca centrum esse videbatur, si eadem Arca omnimodæ cordis oblivioni tradenda sit, non ex injurioso contemptu, sed juxta doctrinam Pastorum, qui *pascent in scientia & veritate.*

2°. Desiturum erat Templum & Altare ejus. Danielis 9. 26. *Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem statuta desolatio... & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consumationem & finem perseverabit desolatio.* Osee 3. 4. *Dies multos sedebunt filii Israël sinè Rege & sinè Principe, & sine sacrificio, & sinè Altari, & sinè Ephod, & sinè Theraphim.* Hi porro *multi dies* nonnisi *in novissimo dierum* desinent, cum tandem *revertentur Filii Israël ad Dominum Deum suum.*

2°. Demum desitura erant sacrificia, iisque successurum aliud longe præstantius & in omni loco offerendum. Quod desitura essent liquet tum ex citato mox Osee textu, *Sedebunt filii Israël sinè sacrificio;* tum quia sacrificia multa nonnisi in altari offerri possent; & id quoque diruendum erat, *Sedebunt sinè Altari;* tum quia jam diu protestatus erat Deus indefinite, primum se holocaustis non delectari, & deinceps se ab iis abhorrere. Psal: 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis;* qui autem sacrificiis etiam á Davide, homine secundum cor suum, non delectabatur, eorum abjectionem sensim præparabat. Jeremiæ 6. 20. *Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suavè olentem de terra longinqua.? Holocautomata vestra non sunt acceptata, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Amos 5. *Odi & projeci festivitates vestras. Quod si obtuleritis mihi holocautomata & munera vestra, non suscipiam. Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Isaïæ 1. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum. Holocautomata nolui... Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatum, & festivitates alias non feram: odivit anima mea: laboravi sustinens.* Idem habes Isaï. 66. 1. 2. & 3. Atqui verba hæc generatim & indefinite prolata, cum necdum vera forent quo tempore prolata sunt: (quandoquidem

Isaïas, Jeremias, & alii quique religiosores, sacrificia obtulerint,) significare debuerunt futurum aliquando ut tam reus esset, qui Mosaïca offerret sacrificia, quam qui *interfecit virum*, aut *qui benedicit idolo*. Ergo & docent desituram esse legem eâ sui parte, quæ totum pene exteriorem Moysis cultum contineret. *Isaï. 66.*

Hæc autem desitio futura erat cum instituendum erat sacrificium veteribus cunctis longe præstantius: & istud etiam pronuntiarunt Prophetæ. Psalm: 39. *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi*, (seu ut habet S. Paulus: *Corpus autem aptasti mihi*:) *Tunc dixi*: *Ecce venio. In capite Libri scriptum est de me, &c.* Quæ verba ad Messiam futurum pertinent, non ad Davidem, qui dubio procul non eo usque de se præsumebat, ut crederet, se sacrificia omnia per legem præscripta supplere posse; aut se victimam se ipsâ innocentem esse, quâ omnes homines Deo reconciliarentur: & qui insuper nec prædictus, nec promissus fuerat á capite seu ab initio Scripturarum.

Malach: 1. 11. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Atqui sacrificium istud á Leviticis omnino discrepat. Hæc enim in uno tantum loco, & ab una tantùm gente offerri poterant, & jam á Moysis tempore oblata fuerant. Atqui illud & novum erat, nec proin antea oblatum, & in omni loco, potissimum autem, apud Gentes offerri debebat. Ergo.

Prob: 3°. *Translato Sacerdotio necesse est ut & legis translatio fiat*, prout aït Paulus, quem hîc non ut Apostolum, sed ut Theologum solide differentem adducimus. Atqui transferendum erat Sacerdotium Leviticum; seu Sacerdotibus Aaronis substituendus erat novus Sacerdos secundum ordinèm Melchisedech; ideoque alterius è Levi stemmatis, ipsoque Levi, & credentium omnium Patre Abrahamo major. Ita enim cum jurejurando promiserat Deus per os David, Psal: 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, &c.* Unde & futurum erat, ut non jam è stirpe Levi, sed ex universis quoquoversum gentibus, ex Africa & Lydia, Italiâ & Græciâ assumerentur *Sacerdotes & Levitæ*. Isaï: ult: v. 19. & 21. Ergo. *Hebr: 7.*

Omisimus probationem ex his petitam Moysis verbis Deuter: 18. 15. & seq: *Prophetam de gente tuâ &*

de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. ipſum audies ... Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. Omiſimus, inquam, non quia inefficacem, cum eâ uſi ſint. S. Petrus & S. Stephanus, Act: 3. & 7. ſed quia non paucis obnoxia ſit difficultatibus. Vide ſi lubet, Gabr. Muſſon, Tom: 1. p. 340.

Obj: 1°. Lex quæ tantum prædicitur renovanda in melius, non prædicitur abroganda. Atqui Lex Moyſis de qua Jeremias cap: 31. prædicitur tantum renovanda in melius; prout de facto renovata eſt ſub Nehemiâ, Eſdræ cap: 9. 38. & cap 10. v. eod: Tunc enim initum eſt fœdus cum Domino, & accurate cuſtoditum: Lex in plurimis quæ conſtructæ ſunt Synagogis plenius & frequentius, ter nimirum per hebdomadem, expoſita: major in populum collata Beneficiorum multitudo, quam cum Lex primum data eſt in monte Sinaï; unde id Iſaïæ 13 18. *Ne memineris priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce ego facio nova*. Ita Grotius in hunc locum Jeremiæ.

R. neg: min: neque enim apud Jeremiam ſermo eſt de renovatione antiquæ Legis, ſed novæ Legis in illius locum ſubſtitutione. Agitur enim de Lege quæ non juxta pactum præcedens; de Lege, quæ non minus domui Iſraël, quam domui Jacob, imo quæ Gentibus omnibus tradenda ſit; tandem de Lege quo non ſaxo, ſed cordibus intime inſcribenda ſit. Atqui hæc ne ex parte quidem conveniunt Legi ſub Nehemiâ datæ. Hæc nimirum fuit ipſa Lex Moyſis, cujus obſervatio ſolemniter ut jam millies contigerat, promiſſa eſt. Hæc non proprie domui Iſraël, quîcum nihil jam Judæis commercii erat, & longe minus Gentibus univerſis, ſed ſoli domui Judæ tradita eſt. Hæc demum non plus quam olim cordibus inſcripta eſt, ut patet ex Prophetarum quærelis, & Machabæorum hiſtoria. Ergo.

Atque hinc merito á ſupra citato Doctore vapulat Grotius, cujus interpretatio Judæum diverticula quæritantem decet, non hominem Chriſtianum, qui ab Apoſtolo Hebr: 8. 23. ediſcere debuerit, Jeremiæ vaticinium in Chriſto novi fœderis autore completum fuiſſe. Et vero ubi tandem reperit Grotius Synagogas illas quas ad arbitrium multiplicat? Ubi, quod mirum magis, detexit, plura in exitu è Babylone contigiſſe miracula, quam cum olim data fuit Lex in monte Sinaï, cum tanto utique apparatu, ut nuſquam magis

illuxerit tremenda Dei majestas? Desinant Christiani ex miserâ loquendi prurigine sua sibi subtrahere argumenta, & inimicis suis opitulari.

Obj: 2°. Ea Religio abroganda non fuit, cuï suus semper superesse debuit character constitutivus, & de facto hodieque superest. Atqui Mosaïcæ Religioni suus semper... Nimirum character ille est circumcisio, quâ mediâ Synagogam ingrediebantur Judæi, ut nunc medio Baptismate Ecclesiam ingrediuntur Christiani. Atqui nec ullibi usquam prædictum est desituram circumcisionem; neque hæc hactenus desiit apud Judæos. Ergo diruto licet Templo, & abolitis vi externâ sacrificiis, non minus subsistit Judaïca Religio, quam subsisteret Religio Christiana stante Baptismo, etsi per vim fieret ut nulli alii ejusdem Religionis ritus celebrari possent.

R. ad 1. neg: min: Ad 2. neg: maj: Enimvero ritus qui Mosaïcam Religionem præcessit, quique extra ipsam usurpabatur, ejusdem character distinctivus esse non potest. Atqui ritus circumcisionis, 1°. Mosaïcam Legem præcessit, ut patet, non modò ex Joan: 7. 22. sed ex Genes: 17. v. 10. & 23. ubi Abraham circumcidi jubetur; & ipse filium suum Ismaël, *& omnes vernaculos domûs suæ circumcidit.* Unde 2°. Circumcisio non á Judæis tantum, sed & ab Ismaëlitis Arabiam incolentibus observabatur, prout tradit Origenes Philocal: cap: 23. Concinit, & plus aliquid docet Hieronymus in Jerem: cap: 9. ubi sic: *Multarum ex quadam parte Gentium, & maximè quæ Judææ, Palestinæque confines sunt, usque hodie populi circumciduntur, & præcipue Ægyptii* * *& Idumæi, Ammonitæ & Moabitæ, & omnis Regio Saracenorum, quæ habitat in solitudine... Non igitur gloriari debet Juda..... eo quod præputium non habeat, &c.* Tom: 3. p. 577.

Atque hinc, ut obiter animadvertam, labefactatur id quod docent plures, Mahumetum á Judæis circumcisionem desumpsisse. Ut quid enim alibi quæsiisset, quod in Arabibus Ismaëlis inveniebat?

Concl: II. Lex Moysis de facto abrogata est.

Prob: 1°. Ut Lex Moysis de facto abrogata dicatur,

---

* *Imo apud Ægyptios, ut & apud Mahumetanos circumcidebantur à Matronis puellæ. Vid: Reland: ubi supra, pag: 42.*

sufficit ut Messias foedus novum veteri præstantius sancire debuerit, & de facto advenerit sanciturus. Atqui utrumque constat.

Et 1°. Messias novum fœdus sancire debuit, 1°. quia ex dictis fœdus illud sancire debuit, non modò cum Judæis, sed & cum Gentibus: atqui à nullo, potiori jure, & autoritate majori constitui potuit, quàm à Messia; 2°. Quia Messiam tanquam novi hujusce fœderis, in justitia & caritate positi fundatorem, præsagierunt gemitibus suis Justi, oraculis suis Prophetæ, figuris suis Patriarchæ. Minor quoad oracula, quæ minùs elidi possunt, constat ex pluribus Scripturæ locis. Psal: 9. gemebundus exclamat David: *Exurge Domine... constitue Legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Isaïæ 2. *Ibunt populi multi & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Ibid: 33. *Dominus judex noster, Dominus legifer noster... ipse salvabit nos.* Ibid: 42. *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ expectabunt.* Jerem: 31. *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in cordibus eorum.* Daniel 7. 13. *Aspiciebam... & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat... & dedit ei* Antiquus dierum *potestatem, & honorem & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Neque citatos textus, qui mutuò se confirmant, soli de Messia Legislatore interpretantur Christiani, sed & Judæi celebriores, ut Maimonides Dissertat: in Perck Chelek. R. Salomon in cit: cap: 7. Danielis, & R. Jeschua apud Joan. Buxtorf: in Catalectis n. 49. pag: mihi 53.

2°. Jam pridem venit Messias ille prædicti novi fœderis autor, uti probavimus in Tract: de Incarnat: pag: 406. & seq: ubi & objectiones præcipuas solvimus.

Prob: 2°. Religio, cujus Doctores invasit spiritus erroris & vertiginis, non potest vera esse. Ubi enim malè docent Prophetæ, male credunt populi: Atqui Religionis Judaïcæ Doctores invasit... Prob: min: Qui in Talmude suo ea Deo tribuunt, quæ eidem tribuere non ausint Gentiles & Mahumetani, hos certe invasit spiritus erroris: atqui Judæi Doctores... Minor ex aliquot doctrinæ Libri hujus articulis constabit. Hic itaque

docent, 1°. quod Deus quotidie lugeat, tùm judæorum captivitatem, tùm & quod eos hinc eruere non possit: unde præ dolore capillos capitis sibi violenter evellit; 2°. Quod idem Deus enixe efflagitet absolvi à jurejurando, quo spopondit se Judæos in captivitate relicturum; 3°. Quod Deus sic vitæ suæ momenta dividat, ut per horas tres Legi addiscendæ studeat; per tres subsequentes eandem doceat infantes, qui ante adultam ætatem occubuêre; per tres alias nugetur cum Leviathan; ac demum per totam noctem invisat octodecim millia mundorum, quos creavit; 4°. Quod Deus à luna, quam primum soli æqualem fecerat, veniam supplex efflagitet, eo quia hanc deinceps soli inferiorem reddiderit. Cùm autem memor injuriæ luna injustum sibi dedecus condonare nolit, sancitum à Deo culpam suam delere volenti, ut quolibet lunari mense offeratur hircus in sacrificium; 5°. Quod Deus, utique longævi otii impatiens, antequam Orbem hunc crearet, tempus insumeret in perpetua mundi alterius creatione & destructione. Atqui absurda hæc ne dementiores quidem Ethnici somniarunt; & qui simile quidpiam evomeret Mahumetanus, illico daret poenas. Verùm his neglectis ad graviora properemus.

CAPUT SEPTIMUM.

Impugnantur Antichristiani.

BREviori Antichristianorum vocabulo eos exprimi volumus, qui Christi Religionem veram esse inficiantur, quales sunt Deistæ, Judæi, Mahumetenses, & alii id genus. Hi autem, assertâ jam antiquis Judæorum Scripturis veritate suâ, iisdem pene armis oppugnari possunt, ac Legis Mosaïcæ hostes: quædam tamen usurpabimus, quæ Judæum mage confodiant, quædam quibus omnes æquè opprimi possint. Sit

CONCLUSIO. Christi Religio indubie vera est.

Nostram hanc Conclusionem à quâ pendet salus æterna, multiplici argumentorum genere confirmabimus, quibus singulis suum, perspicacitatis causâ, titulum inscribemus.

ARGUMENTUM I. *Ex necessitate Religionis.*

Ex dictis necessaria est revelata quædam Religio, nisi Deus hominem præstantissimum dexteræ suæ e-

pus disperdere velit, quod negant ii quibuscum concredimur. Atqui Religio hæc necessario est Christiana; cùm ex dictis etiam neque Ethnica sit, neque Mahumetana, neque Judaïca; ergo.

ARGUMENTUM II. *Ex Prophetarum oraculis.*

Religio cujus institutor diu ante manifestationem suam à veris Dei Prophetis prænuntiatus est ut Legislator omnino audiendus, est necessario vera: Atqui talis est Christiana Religio.

Et primo Institutor ejus, Christus nempè Messias, diu ante quam appareret prænunciatus est. Vel enim citata superius Dividis, Isaïæ, Jeremiæ, aliorum item quos in Tractatu de Incarnatione adduximus, oracula diu ante Christum prodierunt, ut Christianis videtur; vel eadem solerti versipellis alicujus manu fabricata sunt, ut respondente prædictionibus eventu, novæ Religionis commentum extrueretur. Atqui posterius id dici non potest, imo nec à sapiente quopiam cogitari. Nimirum vero prophetiæ ad Christum spectantes, nonnisi à Judæis, aut á Christianis, sub ipsum Christi tempus cudi potuêre: nec enim Ethnicis curæ fuit, ut Nazaræi unius idololatriæ hostis gloriam & Religionem promoverint. Atqui prophetiæ de quibus supra, nec à Judæis cudi, nec à Christianis fingi potuerunt.

Non à Judæis: Gens enim Christo capitaliter infensa, quæque eum in propria venientem non recepit, haud utique sat demens fuit ut iidem Christo ejusve Discipulis arma contra se ipsam ministraret. Deinde, nisi tota huic iniquitatis operi incubuisse supponatur, quod insulsitatis apex fuerit, unius vel plurium, dolos sensissent ceteri, & undecumque conclamassent, obtrudi sibi, nescio quem Jeremiam, Danielemve, de quibus nihil unquam audiissent; aut saltem certos eorumdem textus, quorum ne syllabam quidem in genuinis illorum Operibus usquam legissent. Ergo stat primo prophetias Christum spectantes à Judæis cudi non potuisse.

Sed nec à Christianis fingi potuerunt. Nemo enim sibi fidem haberi studens, palam fingit ut notum id quod publicæ notorietati, adversum fuerit. Sic nemo eo usque desipiet, ut palam scribat, regnante Ludovico XII. vixisse Parisiis tres quatuorve Prophetas, qui plenam hujus urbis stragem, Regiæ prosapiæ interitum, novarum legum Codicem, seu liberi, seu vinculis onusti prænuntiarint, & scriptis consignarint. Atqui in adversariorum hypothesi Christiani palam finxissent ora-

cula, quorum falsitas publicâ notorietate constitisset. Ergo.

Et certè id unum Christi Discipulis propositum erat, ut eidem Judæos lucrifacerent; prout reipsâ horum quammultos Evangelio genuerunt. Atqui nihil ab eo scopo alienum magis esse potuit, quam fictio de qua agitur. Eâ enim detectâ, ut statim & indubie detegenda erat, Christiani horribilem falsariorum notam ubique sustinuissent. Ergo.

Secundò prænuntiatus est à veris Dei Prophetis. Viri enim qui & futura quasi præsentia annuntiant, & interim unius Dei gloriam intendunt, Prophetæ sunt, & veri Dei Prophetæ. Atqui ii de quibus loquimur, 1°. Futura annuntiarunt quasi præsentia. Sic prædicit Isaias cap: 45. insignes victorias Cyri, quem & proprio suo nomine appellat annis amplius ducentis quam ad regnum perveniret; cap: 7. irruptionem Sennacherib Assyriorum Principis, ejusque devastationem; cap: 53. ignominiosam Christi passionem, non tam ut futuri præsagus, quam ut rei præteritæ oculatus testis. Sic prædicit Jeremias Regem Babylonis (Nabuchodonosor) stato tempore arma sua conversurum in Jerusalem; filios Juda Babylonem captivos translatum iri, templum in favillas redigendum, captivitatem post annos 70. solvendam, Chaldæorum dominationem à Medis subvertendam esse, de quibus vid: cap: 27. v. 1. 6. 7. cap: 25. v. 18. 19. cap: 46. cap: 49. cap: 51. v. 11. Mitto notas Ezechielis de Sedecia, Danielis de Nabuchodonosor, Balthasar & aliis prædictiones.

2°. Iidem Prophetæ, non suam, sed unius Dei gloriam intenderunt, cui ne deessent, nihil non malorum perpessi sunt. Isaïas populi fabula est & ludibrium. Michæas traditur vinculis, Zacharias Joïadæ filius lapidibus obruitur; Ezechiel & Jeremias lachrymarum & afflictionis pane vescuntur. Horum tamen ne unus quidem tremendâ hâc voce quatitur: *Si pergis loqui, non es amicus Cæsaris, &c.* nunquam non eructant Dei magnalia; nunquam non placita ejus, suæ etiam vitæ dispendio, annuntiant. Ergo & indubii, & veri Dei Prophetæ fuerunt.

3°. Ab iisdem prædictus est Christus ut Legislator omnino audiendus, qui nimirum & legem dabit, & eam omnigenis prodigiis confirmabit. Quod prædictus sit ut novæ Legis Autor, patet ex textibus citatis pag: 274. Quod autem miracula, Legis hujus dubio procul confirmativa, editurus esset, liquet ex iisdem Prophe-

tis Isaï: 29. 18. *Audient in die illâ surdi verba Libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt*: Ibid: 35. 4. 5. *Deus ipse veniet & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum.* Ibid: 42. 16. & seq: *Ducam cæcos in viam quam nesciunt*... *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.* Quæ verba & physico & spirituali sensu intelligenda sunt, quia & utriusque capacia sint, & uterque plus ad Messiæ gloriam conferat. Hinc fatentur Talmudistæ, Messiam maximâ patrandorum prodigiorum facultate præditum fore, ac Mose longe superiorem. De quo videris Huetium in Demonst: Evangel: propos: 9. c 39. p. 420. & 421.

4°. Demum Christus ille tot antea annos prædictus à Prophetis, is ipse est quem venerantur Christiani: cùm eo venerint tempore, quo venturum hunc iidem Prophetæ præsagierant, nempè post ablatum Judæis sceptrum, & completas Danielis hebdomades: prout ostensum est in Tract: de Incarnatione.

Et vero si Christus noster non sit Messias ille à Jacob & Daniele prædictus, jam inutilia sunt utriusque vaticinia. Danielis quidem, quia prædictæ ab eo hebdomades nihil jam certi & fixi determinare possunt: Jacobi vero quia Tribus omnes jam pridem inter se confusæ sunt, nec alia ab aliâ secerni potest, ut fatentur Judæi: unde nunc sciri nequit quis ex Tribu Juda ortum duxerit. Reponunt equidem Judæi discretionem hanc à Messia faciendam. Atqui non cogitat gens cæca se hoc pacto Scripturæ argumentum invertere; cum Messias ex Tribu agnoscendus sit, non Tribus ex Messia vel à Messia. Ita idem qui supra Buxtorf, ibid: n. 51. p. 56.

ARGUMENTUM III. *Ex miraculis Christi.*

Religio, quæ confirmata est miraculis, non clanculùm sed publicè editis, non fictitiis sed inconcussis, non diabolicis, &. quæ in erroris patrocinium fieri potuerint, sed omnino divinis, vera est divina Religio: Atqui Christiana Religio.

Primo confirmata est miraculis. Miraculum enim est eventus, qui contra naturæ leges virtute viribus creaturarum superiori producitur. Atqui innumeris hujusmodi eventibus doctrinam suam confirmavit Christus. Scilicet enim resurrectio mortuorum, repetita panum multiplicatio, ejectio dæmonum; infirmitatis omnimodæ curatio solo verbo edita, sedatio subita furibundi maris, ejusdem sub calcanti pede soliditas, totidem sunt, juxta Deistas, effectus creatâ virtute majores; &

si quos id genus dæmon parere possit, nec omnes, nec in iisdem circumstantiis. Atqui effectus illi Christo & ejus Discipulis familiares & quotidiani fuêre. Ergo.

Secundo, hæc & alia id genus prodigia, non in angulo, sed palam & publice edita sunt; id est coram amicis & inimicis, in Galilæa, in Judæa, in ipsa urbe Jerusalem, præsente Pharisæorum turbâ, &c.

Tertio, & id caput argumenti, miracula hæc reipsa contigêre, non autem Christo ab addictis eidem Discipulis supposita sunt. Nam 1°. nemo suî tantillum compos miracula finget ut alios decipiat, cùm ex fictione nihil sibi boni, sed mali plurimùm continget, puta verborum dedecus, carcerum molestia, cruciatus exquisiti & ante mortem mille mortes. Quisquis hîc aliud sentit, vel potius loquitur, cor humanum penitus ignorat. Atqui Discipuli Christi nihil ex ficta miraculorum ejus suppositione nisi mali plurimum sperare peterant. Intus acres conscientiæ remorsus; extus ignominia, carceres, persecutio immanis, mors, & secuturi judicii horrores. Ergo.

2°. Nemo miraculorum fictor ea fingit quæ statim & sine mora falsi convinci possint. Nemo v. g. mediis in Parisiis palam prædicabit, extitisse ante aliquot menses in suburbio Sangermanensi virum, qui mortuos tres suscitaverit; qui in campo Martis plura hominum millia panibus quinque saturaverit; qui ad necem quæsitus, medios per satellites transierit, &c. Atqui miracula, quæ à Discipulis Christi ficta supponuntur, illico falsi redargui & convinci poterant. Neque enim miracula hæc tantùm prædicabant Apostoli, sed & in horum gratiam Auditorum suorum fidem & testimonium invocabant: iique nedum reclamarent, calculo suo suffragabantur.

3°. Ficta non sunt miracula, quæ apud omnes etiam inimicos, in confesso sunt. Atqui talia sunt miracula Christi. Hæc enim agnovêre non modò Christiani omnes, qui pro ipsis sanguinem fuderunt, sed & Judæi ipsi, Mahumetani, & Gentiles. De Mahumetanis res indubia est, ut constat tum Alcoranum legenti, præsertim cap. 5. 11. 13. 29. & 31. tùm ex facto Turcæ illius, quem quia contra B. Virginem blasphemasset, diro & infami supplicio peremptum retulimus. Sed & idem constat de Judæis. Josephus siquidem in textu à nobis alibi * vindicato, Jesum vocat *mirabilium operum effectorem*. Idem docent veteres Thalmudici, atque vim ve-

* *T. I. p.* 432.

Huet: *p.* 421. neni per nomen Jesu (quod & ipse futurum prædixerat) repressam fuisse tradunt. Idipsum Origenis & Arnobii temporibus fatebantur Judæi alii, tantumque hæc & alia Christi prodigia clandestinis ac magicis artibus attribuebant; quod egregiè confutavit Origenes Lib: 2. contra Celsum. Neque id in dubium vocabant Ethnici; sic Julianus apud Cyril: L. 6. Jesum aït nihil præclari gessisse, *nisi quis existimat*, verba sunt Apostatæ, *sanasse claudos & cæcos aliquos, & dæmone correptos, maxima opera esse*. At antè Jerosolymæ templum restituisset sceleftus princeps, quàm modica hæc effecisset. Sic Celsus in Christo agnovit hominem, qui naturæ leges inverteret: quique, aïebat Porphyrius, Deos ipsos cogeret. Vide Opus inscriptum: *La Religion Chrétienne autorisée par le témoignage des anciens Auteurs Païens*, Autore P. Dominico de Colonia, Tom: 2. p. 150.

4°. Illud in genere historico juxta saniores artis Criticæ regulas verum censetur, quod scriptum fuerit, 1°. à testibus coævis; 2°. à testibus veridicis; 3°. à testibus publicis; 4°. à testibus quorum testimonio diu & maturè perpenso cesserint adversarii, Deistis nostris pares ingenio, majores sapientiâ; 5°. à testibus, quorum narratio ab ipsis eorum inimicis confirmetur; 6°. à testibus quorum scripta ad nos pura & integra devenerint. Atqui miracula Christi ab hujusmodi testibus conscripta fuêre.

1°. A testibus coævis, aliis quidem de visu, ut Matthæo & Joanne, aliis autem de certo auditu, ut Marco & Luca: quorum omnium Libri primo æræ Christianæ seculo prodierunt; cùm ab Ecclesiæ incunabulis citati sint tum à Christianis Patribus, tùm & ab Ethnicis qui contra ipsos scripsêre.

2°. A testibus veridicis; cùm ii unde, simpliciter, sine arte, sine succo ea narrent, quæ propriis oculis, vel auribus excepêre; sivè hæc novi gregis Ducibus favorabilia sint, ut admiranda Petri confessio; sive iisdem noceant, ut proditio Judæ, negatio Petri, dispersio omnium tempore passionis, stupenda incredulitas, &c. Adde quod sacri Scriptores nihil emolumenti ex falsa narratione percepturi essent, imo mali plurimum, & ipsam mortem etiam ex vera, prout jam diximus. Adde rursum quod ipsi Christianæ Religionis hostes sinceritatem Evangelii partim silentio suo, partim Christi prodigia confitendo confirmaverint. Adde quod eam æquè & multo plus asseruerint Apostoli, cum nova, prout jusserat ipsorum Magister, miracula sponde-

runt, ipsius etiam Magistri prodigiis majora: miracula, inquam, nisi quæ senatus nemo promisisset in verba & fidem Magistri sui jurans, certò ea se operaturum confidisset; miracula, sine quibus impossibile fuit Mundum converti, &c.

3°. A testibus publicis, qui nempe prodigia Christi, non mussitando, & in angulis, ut ii solent qui dubia & erronea propinare parant; sed mediis in urbibus, & coram frequentissimis, quantùm poterant, Magistratuum & Sapientium conventibus, Athenis etiam & Romæ, per famam, & ignominiam prædicaverunt.

4°. A testibus, quorum invictæ sapientiæ cesserit obstinata potentiorum Orbis ingeniorum pervicacia; nec cesserit, nisi quia perpensis æquâ lance omnibus, quæ pro & contrà forent, diutius reluctari non potuit. Hìc revocandi in mentem Polycarpus, Ignatius, Irenæus, Justinus, Athenagoras, Origenes, Cyprianus, & alii, quorum egregias cordis & animi dotes tam sæpè, tam impensè celebrarunt Ethnici: quique ut plurimum ante quam Christo nomen darent, Paganismi decus fuerant & ornamentum.

5°. A testibus quorum narrationi subscripserint vel ipsi eorum adversarii, è Judæis Josephus, è Paganis Porphyrius, qui Christum per oracula sua *hominem pium immortalem factum*; per Hecatem verò, *piissimum fuisse virum, & animam ejus immortalitate donatam* scribit apud August: L. 19. de Civ: Dei cap: 22. & 23. His adde Tiberium auditis Christi per Syriam miraculis, petivisse à Senatu, ut Deos inter cenferetur, prout referunt Tertullianus Apolog: cap: 5. & Eusebius Lib: 2. Hist: cap: 2. Adde Adrianum, & exinde Severum, Imperatorem virtute multiplici commendandum, de nuncupandis Christo templis cogitasse, prout in vita Severi testatur Lampridius, & infra dicemus paucis.

La Chambre, p. 285.

6°. A testibus, quorum scripta ad nos pura & integra devenerint. Corruptionis enim quæcumque hìc fingi possit, nec autor, nec tempus, nec ratio ulla proferri potest. Quidquid in Evangelio nunc legitur, quasi Evangelii fœtus jam ab initio productum est à Patribus: idque & olim confirmatum est, & etiamnum confirmatur miraculis, quæ deridere quidem possit Deista, sed quorum falsitatem demonstrare non possit.

Et verò, si vitiati sint Evangelistarum Libri, vel à Paganis, vel à Judæis, vel à Christianis. Non à Paganis, quorum Religio, stante, ut nunc est, Evangelio tota corruit. Non à Judæis, quorum hypocrisis, excæca-

La Chambre, T. 5. pag: 228.

tio, furor, & impietas, in eodem Evangelio palam referantur, & miseram gentem in æternum infamant. Non à Christianis, alioqui vel ab uno aut paucis, vel ab omnibus simul. Non ab uno aut paucis: Hi enim quo pacto exemplaria omnia vitiassent? quo pacto, ne eorum quæ prima vitiassent, corruptio detegeretur, Pastorum sacri depositi custodiæ intentorum fauces & ora præclusissent? Non ab omnibus: qui enim dispersos pluribus Regnis Christianos, quorum pietas, bona fides, veri amor ipsis Gentilibus admirationi erant, in id omnes conspirasse credat, ut fidei suæ fundamenta labefactarent? quis neminem unum, pungente licet, quæ apud primores Christianos tenerrima erat, conscientiæ remorsu, dolos & fraudem aperuisse crediderit? quis occultam doli machinationem, saltem ab Apostatis quos aperte insectabatur Ecclesia, proditam non fuisse suspicetur? Apage nænias.

Quarto demum miracula Christi divina fuêre, nec dæmoni ullo pacto adscribi possunt. Miracula enim quæ ad unius Dei gloriam, ad solidæ pietatis imperium, ad subversionem regni dæmonis unicè tendunt; miracula contra quæ inferi universas mundi & tenebrarum potestates armaverunt; miracula denique, quæ si dæmonis fuissent, nullum remansisset, veræ Religionis à Pseudoreligionibus discernendi medium; hæc inquam, in Deum solum, non in Dei hostem refundi possunt. Atqui, &c. Minorem non probo, tùm quia probationes ejusmodi cùm attendenti facilè affulgebunt; tùm præcipuè, quia nostri hujus Operis finem ex æquo urgent & Typographi, & Voluminis limites.

Argumentum IV. *E resurrectione Christi.*

Indubiè vera est Religio Christiana, si Christus, prout toties prædixerat, ut dictis suis fidem conciliaret, surrexit à mortuis. Atqui surrexit verè.

Prob: min: incredibile est Christum surrexisse à mortuis; ergo vere surrexit. Antecedens plenâ manu concedunt Deistæ, quorum è principiis hìc ratiocinamur. Prob:: conseq: Impossibile est, Mundum totum rem creditu impossibilem credidisse sine prodigiis, quæ vel invitis assensum extorqueant. Atqui Mundus totus credit resurrectionem Christi, ut vident & inutiliter dolent Deistæ. Ergo vel eò prodigiis omni pervicaciâ superioribus adigi debuit; vel sine prodigio factum est id quod prodigia quæcumque excedit, nimirum ut sinè miraculis credatur, quod creditu impossibile sit. Tota hæc est

Augustini ratiocinatio: sic ille Lib: 22. de Civ: Dei cap: 5. *Tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt. Incredibile est Christum resurrexisse in carne, & in Cœlum ascendisse cum carne. Incredibile est Mundum rem tam incredibilem credidisse. Incredibile est homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter Mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti cum quibus agimus, credere: secundum coguntur & cernere; quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium.*

Prob: 2°. Ut indubia sit resurrectio Christi, duo sufficiunt, 1°. ut Apostoli, qui mirabilem hunc eventum ubique & constanter annuntiaverunt, circa ipsum decipi non potuerint; 2°. ut nec potuerint decipere velle. Atqui 1°. non potuerunt decipi. Qui enim factum credunt cujus ad fidem malè affecti erant; qui credunt factum diu & nimiùm diu expensum; uno verbo qui credunt, & nonnisi evidentiâ oppressi credunt, hi profectò circa id quod credunt, decipi non potuêre. Atqui sic se habuerunt Apostoli, cùm Christi resurrectionem credidêre. Resurrectionem hanc annuntiant Maria Magdalene, Maria mater Jacobi, Salome, & Discipuli Emmaüs. Quid tùm? *Visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: & non crediderunt illis.* Stat Jesus in medio Discipulorum, iisque pacem optat, conturbantur quidem, & existimant *se spiritum,* seu phantasma *videre,* sed necdum credunt. *Ostendit eis manus & pedes & latus:* sed *adhuc illis non credentibus,* necessum est ut quo tandem omnis abigatur suspicio, petat mitissimus Salvator *aliquid quod manducetur.* Hìc tandem veritati cedendum: At non cedet tot integræ fidei hominum testimonio qui tunc aberat Thomas Dydimus; tuncque demum refragari desinet, cùm redivivi Magistri cicatrices pro arbitrio contrectaverit: seu tunc credet, cùm nè impietas quidem decredere ausit. Atqui in his nemo est qui non videat mentem à fide resurrectionis alienam, & dubitationem æquos ultra fines protensam. Ergo qui suum Religionis facto assensum præbuerunt Apostoli, ideò tantùm præbuerunt, quia negare non potuerant.

Luc: 24. v. 11.

2°. Nec decipere voluerunt, 1°. Quia in nullo Orbis tribunali præsumitur dolus, sed probatur: Deistæ porrò fraudem & dolos Apostolorum nec probant, nec probare possunt; 2°. Quia nusquam minùs præsumitur fraus, quam cùm tota vitæ series candorem

animi ſpirat. Quæ autem magis quam Apoſtolorum vita plenam & ſanctam ingenuitatem ſpirat? In his homines conſpicias, graves, modeſtos, alienæ ſemper, ſuæ nunquam utilitati ſervientes, gratis dantes id quod gratis acceperunt, ignominiæ amantiores quam honoris, quique id quod viderunt, & audierunt imminente licet odio, contemptu, & ruinâ, ad extremos uſque ſpiritus annuntient. 3°. Quia qui dolum meditantur, illius præſertim ſimilem de quo nunc, imprimis de tota fabula inter ſe paciſci debent, nè, pugnantia loquendo, falſi redarguantur. Age ergo, & Petrum, qui ante alios fraudis artifex & ductor eſſe debuit, eâ de re cum ſuis tractantem audiamus. Sic ille fermè præfari debuit. En tandem occubuit in Cruce Magiſter noſter. Promiſerat is equidem ſe tertiâ poſt die reſurrecturum, idque à nobis ſperatum erat: ſed ſpem fefellit eventus, nec jam dubium quin fœdus fuerit impoſtor, qui filium Dei ſe eſſe blaſphemabat, & ſupernas nobis in regno ſuo ſedes pollicebatur. Quid ergo jam nobis agendum? Unum è duobus, ut vel ad ſordidam noſtram piſcatûs artem revertamur; vel Jeſum hunc à mortuis ſurrexiſſe, nobiſque per dies multos apparuiſſe mentiamur. Et hanc partem in grandibus animis longè digniorem propono vobis. Nec verò me fugit quantis ea difficultatibus ſubjaceat. Ne quid enim diſſimulem, diſſeminandum erit ubicumque mendacium eâ mentis intrepiditate, quâ nec alii veritatem annuntient. Pugnandum erit contra carceres, torturas, mortem ipſam, & fortè immaniſſimam. Jam nunc prævideri debent mala hæc omnia & contemni. Interea, & id vos ſerio commonitos velim, nihil undecumque expectandum erit ſolatii. Non à conſcientia; cujus è contrario remorſus & clamores ſedulò compeſcendi erunt. Non à Deo qui mendaces plectit, nedum remuneret. Non ab illo Jeſu, cujus in gloriam inaudita hæc meditamur: nec enim ſalvabit nos, qui ſalvare ſemetipſum non potuit. Non ab amicis, quibuſcum id nunc inimus conſilii: alii enim poſt alios cadent; nec fortè deerit novus Judas, qui promiſſis allectus, aut victus conſcientiâ, & futuri judicii tremore, noſtram hanc totam machinationem revelet, & tetram impoſtorum labem miſeris jam & afflictis inurat. Macti tamen eſte animis: ite, volate, & id unum metuite, nè quid in terra, in Cœlo, in inferis vereamini. En ſummam pacti Apoſtolos inter ineundi, ut Orbem totum deluderint. Id porrò quis ſuſtineat? quis ſucceſſiſſe autumet?

V. Duguet principes p. 236.

ARGUMENTUM V. *E propagatione Religionis Christianæ.*

Vera est Religio, quæ nonnisi per Omnipotentis dexteram propagari potuit. Atqui Christi Religio... Scilicet enim Religio, quæ nihil tum in dogmatibus suis, tum in præceptis moralibus, tùm in præconibus suis, præferebat, unde sibi viam & ingressum pararet apud eos quibus annuntianda erat; imò quæ nihil non habebat unde ii insigniter offenderentur; hæc inquam, Religio, si propagata est, per Omnipotentis dexteram necessariò propagari debuit. Atqui Religio Christi, &c. Ea enim geminæ speciei populis annuntianda fuit, Judæis nimirum, & Paganis. Atqui nihil illa habebat, quo viam sibi apud utramque gentem aperiret; nihil quo utraque non ostenderetur insigniter.

Et quidem 1°. ut exordium ducam ab Ethnicis, apud quos longe magis profecit Christiana Religio, nullum penè istius dogma erat, quod Paganæ aures patienter ferre possent. Quid enim, amabo, docebant Apostoli? Istud ante omnia; cui, ne mutus sim, immorabor: Deum esse unum, non multiplicem; sacrilegè consequenter impendi Dei nomen & honores Jovi, Mercurio, Apollini, Veneri, Dianæ, &c. hos totidem fuisse scelestos utriusque sexûs homines, quibus error & superstitio templa & vota nuncupassent; eosdem in inferis miserè torqueri; ubi & eorum adoratoribus sedes præparata sit, nisi præteriti temporis ignorantias & delicta pari ad crimen pœnitentiâ eluant. En primaria Doctrinæ Apostolicæ consectaria, quæ si non eruebant ipsi, à nemine non erui poterant, & de facto eruebantur. Hìc verò quæ oriri debuit in gente veteribus præjudiciis abreptâ commotio animarum? qui fremitus? quæ novorum Dagmatistarum detestatio? & istud tamen dogma uno minùs seculo amplexi sunt Græci, Romani, Indi, & in his etiam docti, & sapientes.

Neque idonea magis erat Christi Religio, quæ per moralia præcepta animos Gentilium alliceret. Quæ enim Religio profundam humilitatem tumentibus Philosophis; sui suorumque abnegationem hominibus famæ & opum avidis; pudicitiam, quæ vel ad ipsum mali nomen erubescat, populis eò ad omnem libidinem magè projectis, quò propiori vestigio Deos suos sequerentur; amorem paupertatis, gentibus quæ aras fortunæ & argento consecraverant; injuriarum veniam, & teneram erga inimicos caritatem Nationi aliud diversum prorsus â diis suis edoctæ; hæc, inquam, Reli-

gio non ea erat quæ animos ſibi facilè demereretur. Atqui talis erat Religio Chriſti.

Demum nihil habebant Religionis præcones, quo eidem apud Potentates & Philoſophos aditum aperirent. Viri enim ſimplices, idiotæ, & ſine Litteris; viri nullo natalium ſplendore fulgidi; viri ſi non mendici, at qui parum à mendicis differrent; viri qui ſectatoribus ſuis nihil in hoc ſeculo ſponderent præter cruces, ignominiam & ærumnas, quibus & ipſi adeò cruciabantur, ut eos tæderet vivere: hi certe, ſi ſolam naturæ vocem audieris, novæ & inauditæ doctrinæ progreſſum retardare debuerunt, non promovere. Atqui tales fuêre Apoſtoli, aliis quidem ſcandalum, ceteris verò ſtultitia. Ergo.

Et verò interroget quis animo Apoſtolos è Jeroſolymis poſt Aſcenſionem exeuntes. Quo pergitis, aïet, quis itineris hujus veſtri ſcopus? *Progredimur*, reponent, *dirutis quæcumque dominantur Religionibus, novam implantaturi*. Parcetis ſaltem, inquiet alter, Romanæ Religioni, quam colunt & fovent Imperatores. *Atqui hæc illa eſt*, dicent, *quam priorem aggrediemur*. Ergo, dicet, facilis admodùm & commoda eſt nova illa veſtra Religio: quis enim auſteram legem præponat leniori? *Commoda*, *inquis*, *Papæ! quàm aberras. Hæc nempe noſtra cupiditatem præfocat, libidines abigit, voluptatibus etiam licitis modum arctum ponit; vel à mali ſpecie abſtineri jubet*.... Et hanc Religionem, regeret alter, ipſis etiam Cæſaribus, qui fauſta libidinibus Numina colunt, perſvadere vultis? Grande opus: ſane habetis præpotentes amicos, qui & perſonas veſtras, dogmata veſtra, ceteroqui ab omnibus exſibilanda, protegant. *Ne unum quidem*, reſpondebunt, *amicum novimus, qui tueri nos velit: hominum alii pro ſcandaloſis nos habent, alii pro inſanientibus.* Ut minimùm, exclamabit alter, tumida ære marſupia geritis, quò vobis per medios Magnatum ſatellites viam reſerare valeatis. *Et hic quoque*, dicent, *egregie falleris: argentum & aurum neſcimus: tota nobis ſupellex virga hæc quam gerimus manu.* Sinite, perget interrogator, ſinite unum adhuc obloquar: eâ igitur vigetis facundiâ, quæ Romam & Athenas leporibus & illecebris irretiat, uti olim cantûs dulcedine inferos commovit & inflexit Orpheus. *Neque hic*, reclamabunt, *ſcopum attigiſti: homines ſumus idiotæ & ſinè litteris. Sermo noſter non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis. Necdum quidem cogitavimus, quomodò aut quid*

loquamur: at in verbo illius qui mittit nos, confidimus futurum ut detur nobis in illa hora quid loquamur. Ite amici, perget alter, quandoquidem ire vobis animo fixum est: unum auguror, vestri scilicet, vestræque Religionis omnimodam irrisionem. *Longè aliud auguramur nos; ac vix dum tria effluxerint secula, cùm Deûm vestrorum templa corruent. Crux illa quam abhorretis, Principum diademata decorabit. In hoc signo vincent Imperatores, &c.* Hæc quisquis tunc temporis audiisset, an, quæso, Apostolis, annon eorum adversario consensisset?

Matth: 10. 19.

2°. Neque plus apud Judæos sibi gratiæ paritura erat Christi Religio. Quæ enim Mosaïcam Legem, quam toties ad internecionem usque tuiti erant Judæi, convellebat; quæ utì Deum à Judæis adorandum proponebat hominem, ab iisdem Judæis infami patibulo affixum; quæ omnes subvertebat ideas gentis totius circa Messiam, quem illa ut Nationum domitorem expectabat; ea utique Religio non magnopere sapiebat Judæis. Atqui, &c. ergo quod hanc paucos intra annos plura Judæorum millia profiteri cœperint, nonnisi in omnipotentis dexteram refundi potest. *A Domino factum est istud, & hodieque mirabile est in oculis nostris.* Ut autem intelligatur quo pacto suum hunc firmandæ novæ Religionis finem attigerit Deus, sit.

ARGUMENTUM VI. *Ex Apostolorum miraculis.*

Vera est & sancta Religio, quam confirmavit Cœlum miraculis omni exceptione majoribus. Atqui promulgatam ab Apostolis Religionem confirmavit Cœlum, &c. Hæc enim recensentur Apostolorum miracula, Quod omnes sine studio variis linguis locuti sint, Act: 2. Quod Petrus & claudum *ex utero matris suæ, annorum amplius quadraginta,* & paralyticum *ab annis octo jacentem in grabato* sanaverit, Act: 3. 4. & 9. Quod idem Tabitam suscitaverit à mortuis, & Ananiam cum Saphira, utrumque quia æque mendacem, morti solo imperio addixerit, Act: 9. & 5. Quod ejusdem umbrâ infirmos in plateis obumbrante, ii *liberarentur ab infirmitatibus suis.* Act: 5. Quod is precante Ecclesiâ, per Angelum è carcere, quod ad mortem produci deberet, eductus fuerit, Act: 12. Quod Paulus Barjesum, magum insignem, cæcitate percusserit coram Proconsule Sergio, Act: 13. Quod & claudum lystris curaverit, Act: 13. Quod juvenem, repentino & gravi casu oppressum, vitæ reddiderit, Act: 20. &c. Atqui miracula hæc

operante Cœlo perpetrata sunt. Cui enim alii tribuentur? An magicis artibus? At non eò tendit Dæmon, magicus autor, ut imperium suum concutiat, & adoratores suos palam humiliet. Quis porro Petri & Pauli miraculorum exitus, nisi ut radicitus subverteretur imperium dæmonis, & humiliarentur adoratores ejus, prout experti sunt Elymas & Simon Magus, hic quidem dum *signa & virtutes maximas*, quæ ab Apostolis fiebant, *stupens admirabatur*, Act: 8. ille dum privatus visu, gemendo saltem confessus est, quod ante inficiabatur. Non fictioni. Huc enim contra redeunt probationes superius allatæ, Quod fictio non supponitur, sed probatur; Quod Apostolorum miracula à coævo teste scripta sunt, & in publicum emissa nemine reclamante; Quod eadem ab Ecclesiæ exordio credita sunt & citata, prout etiamnum creduntur & citantur; Quod per ea, & id impendio grave est, resipuerit Orbis, seu ab idolorum cultu, seu à legalium observantiâ, nec resipuerit credendo solum, sed novum vitæ genus in lachrymis, in humilitate, in pœnitentia, in castitate, in constanti simul & placidâ injuriarum, cruciatuum ac mortis ipsius perpessione, ineundo. Hæc enim mundi totius metamorphosis ab hominibus omni cetero rum præsidio destitutis fieri non potuit sine miraculis iteratis, omni sensu discussis, & tandem premente evidentiâ admissis. Hâc profecto, & non aliâ lege, fieri potuit, ut Ethnici commodæ suæ Religioni Religionem omnimodis austeram, & penes Mysteria incomprehensibilem præponerent. Qui contrarium fingit Deista, nemini id sensato nec sibi forte persuadebit. Belle Augustinus: Si Apostoli miracula non ediderint, *hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum Orbis sine ullis miraculis crediderit.* Sane hæc mundi conversio, si absque miraculis facta supponatur, non minus stupenda est, quam si Japonensis quipiam idola Xacæ vel Amidæ Parisios deferens, immensam hanc urbem ad eorum cultum, nulla interim miracula perpetrans, converteret.

La Chambre T. 3. pag: 29.

Et vero Deo id permittente in confirmationem Religionis, ex iis qui primum Christi fidem amplexi erant, alii ad primævam superstitionem reversi sunt, ut Simon Magus, alii ab Apostolorum doctrinâ defecêre, & ab iis severe increpati sunt, ut Cerinthus, Ebion, & invisa Nicolaïtarum propago. Atqui ne unus quidem eorum adversus Apostolica miracula reclamavit; aut se præstigiis deceptum esse mentitus est. Eadem his

tunc & sola fuit à Christi nomine deficiendi ratio, quæ nostratibus Deistis, id est vel voluptatis aut pecuniæ amor, vel studium profanæ novitatis. Ergo utrique tunc magis quam uspiam, miraculorum quibus conversi erant, veritatem attestati fuêre.

ARGUMENTUM VII. *Ex oraculorum silentio.*

Argumentum illud fusè satis evolvimus in Tractatu de Incarnat: pag: 353. quem, ne dicta repetamus, consuli precamur.

ARGUMENTUM VIII. *Ex Paganorum testimoniis*

Religio cujus Autori, instituto, & miraculis testimonium perhibere coacti sunt Gentiles, certos quosdam divinitatis characteres præferre debet: Quæ enim propriâ spontè confitentur inimici, id premente evidentiâ confitentur. Atqui Ethnici,

1°. Testimonium perhibuêre Christo Religionis nostræ autori. Sic Tiberius cognitâ ex Actis ad se per Pilatum transmissis dignitate Christi, eundem à Senatu Romano inter Deos reponi proposuit. Ità refert Tertulianus Apolog: cap: 5. ubi & addit, comminatum à Tiberio fuisse *periculum accusatoribus Christianorum*. Sic Alexander Severus, quo vix quisquam apud Romanos Imperatores sapientior extitit, Christum *matutinis horis in larario suo*; seu ut videtur, domestico templo, cum Abrahamo quidem & Orpheo (quia horum dijudicationem non patiebatur idololatriæ caligo) ut animam sanctiorem venerabatur. Idem Severus *templum Christo facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitasse fertur... sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra*, oracula, *repererant omnes Christianos futuros, si id optatò evenisset, & templa reliqua deserenda*. Ità refert, nec ut Christianis blandiretur, refert Lampridius vir Ethnicus in vita Severi. Sic Celsus & Porphyrius, ceteroquin *rabidi adversùs Christum canes*, ut loquitur Hieronymus in præfat: Lib: de Scriptor: Ecclesf: quasi furoris sui immemores, vel potius, agente eo, qui ex ipsius dæmonis ore laudem suam aliquando perfecit, Christum encomiis suis decorant. *Præter opinionem*, aït Augustinus lib: 10. de Civ: Dei, cap: 22. *profectò videatur quod dicturi sumus. Christum enim piissimum*, teste Porphyrio, *Dii pronuntiârunt & immortalem factum, & cum bonâ prædicatione ejus meminerunt*. Ibid: cap: 23. *Hec-*

Coloniæ, T. 2. p. 17. & 368.

cate, referente eodem Porphyrio, *interrogata, si Christus esset Deus, respondit piissimum fuisse virum*, & animam ejus *immortalitate donatam*. Quod ad Celsum attinet, etsi ejus plurimi intererat miracula Christi negare, vel saltem obscurare; at id ne tentavit quidem: unde eò redactus est, ut illa magicis Ægyptiorum artibus, quibus imbutum apprimè Christum supponit, attribueret. Quâ de re pro meritis vapulavit ab Origene.

2°. Iidem Ethnici testimonium perhibuerunt doctrinæ Christi, & Christianorum instituto, vitæ & moribus. Sic idem qui supra Severus adeo hanc Christi *sententiam dilexit*: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, *ut* eam *& in Palatio & in publicis operibus præscribi juberet*: Ita refert Lampridius. Sic Plinius junior in celebri suâ ad Trajanum Epistolâ hanc Christianorum, *culpæ, vel erroris summam* esse aït, *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem: seque sacramento, non in scelus obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, nè fidem fallerent, &c.* Sic Imperator Antoninus cognomine Pius in Epist: *Ad Commune Asiæ* apud Eusebium Lib: 4. Hist: Eccl: c. 12. Christianos laudat, quod pro Deo suo libentiùs moriantur, *quàm incolumes remaneant; & majorem tunc fiduciam in Deo collocent*, cùm variis flagellis putà terræ motibus quatiuntur. Sic Julianus Apostata integros Christianôrum mores & caritatem immensam commendat invitus; atque in eo totus est, ut Paganismum suum ad modum & normam Christianæ Religionis componat. Sed de his plura apud P. de Colonia.

Val: p. 102.

3°. Iidem quoque & Christi & Christianorum miraculis testimonium præstitêre. Sic Chalcidius Commentario in Timeum Platonis refert olim apparuisse Stellam, quæ *non morbos mortesque* denuntiaret, *sed descensum Dei venerabilis ad humanæ consecrationis rerumque mortalium gratiam: quam stellam*, ait, *cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri... quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili veneratos esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse.*

Sic Phelgon Adriani libertus in Historia Olympiadum, ubi scribit, Christum veri nominis Prophetam fuisse, cujus vaticinia eventu confirmata fuêre, hæc subdit Lib: 13. *Quarto anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio solis facta. Dies horâ sextâ*, Romanis duodecimâ, *ità*

in tenebrofam noctem verfus, ut ftellæ in cœlo vifæ fint: Olympias porro 202. ad annum mortis Chrifti, Tiberii 18. refertur.

Sic Thamus Ægyptius navis rector, cum in Italiam tenderet, jamque Echinadas infulas præternavigaret, vento confeftim remittente, vocem ad Paxas infulas audiit, quæ appellato ex nomine Thamo juffit ipfum, fimul ac appuliffet ad portum Pelodem, clamare magnum Pana effe mortuum. Paruit ille, eâque, quam juffus fuerat, voce editâ, ejulatus auditi funt, quafi Panos necem gementium. Vectores Romam delati portentum vulgarunt. Pervenit illud ad Tiberium, qui & à Thamo ipfo de re certior factus, hominum eruditorum fententiam fuper eâ exquifivit. Narrat id apud Plutarchum Æmilianus Rhetor, ut fibi à patre fuo Ephiterfe, rei tefte traditum. Atqui id convenit in tempus mortis Chrifti, qui verus Pan eft, rerum omnium parens, & totius naturæ autor. Ita poft Eufebium Huetius, prop: 9. cap: 136.

Sic Marcus Aurelius datis ad Senatum litteris publicè teftatus eft, fibi adverfus Marcamanos & Quados pugnanti, unâque cum acie Romanâ; tum locorum anguftiis preffo, tùm aquæ penuriâ laboranti, Chriftianos milites imbrem de cœlo impetraffe, dùm grandine & fulminibus copiæ Barbarorum obruerentur. Rem viginti quinque circiter pofteà annis, utì vulgò cognitam femel & iterum refert Tertullianus; idque jam ante in fuo ad Marcum Imperatorem Apologetico fecerat Apollinaris, Hieropolitanus Antiftes, tefte Eufebio: quod fane neuter facere aufus fit, fi res dubia fuiffet. Vid: Huet: prop: 3. n 19. & fufius P. de Colonia.

Sic infignem Theodofii magni ex Eugenio & Arbogafte triumphum, quem tefte Auguftino Lib: de Civ: Dei, c. 26. pius Princeps *magis orando quam feriendo* retulit, verfibus fuis celebravit Claudianus, cetera ftudiofus Jovis adorator, & in eximiam Theodofii Deo dilecti virtutem retulit. Sic ille:

> *..... Gelidis aquilo de monte procellis*
> *Obruit adverfas acies, revolutaque tela*
> *Vertit in autores, & turbine repulit haftas.*
> *O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris*
> *Æolus armatas hyemes, cui militat æther,*
> *Et conjurati veniunt ad claffica venti.*

Certè Auguftinus Eugeni milites qui prælio inter-

fuerant, audierat cum dicerent, *extorta fibi effe de manibus quæcumque jaculabantur, cùm à Theodofii partibus in adverfarios vehemens ventus iret, & non folum quæcumque in eos jaciebantur, concitatiffime raperet; verum etiam ipforum tela in eorum corpora retorqueret.* De his adi elegantem Theodofii Hiftoriam ab Illuft. Flechier confcriptam, ubi & celebrem hanc Theodofii victoriam eidem prædictam fuiffe, & quo reportabatur inftanti, in Regionibus procul diffitis revelante Deo manifeftatam effe confpicies.

Mens erat hic quædam addere de violenta & ut plurimum atrâ Chriftiani nominis perfecutorum morte, Neronis potiffimùm, qui Reipublicæ hoftis à Senatu renuntiatus, feipfum veneno fuftulit an Chrifti 68. Domitiani qui à Stephano percuffus in inguine obiit an Chr: 96. atque etiam poft mortem Senatufconfulto infamatus eft. Decii qui corvorum morfibus expofitus occubuit an: 251. Valeriani qui captus, à Perfis, dura quæque perpeffus,, *detractâ* tandem fibi *cute condiri juffus à Sapore Perfarum Rege, fempiternum calamitatis fuæ trophæum præbuit,* an 260. Verum hæc pluribus profequi non vacat. De his ergo legatur Lactantius de morte perfecutorum. Etfi enim hinc ineluctabile prorfus argumentum erui non poteft, probabile tamen deducitur. Si Ethnici ipfi fummas calamitates in irati Numinis vindictam retulêre, quidni perfecutorum acerba mors Deo, Martyrum fuorum fanguinem & gemitus exaudienti adfcribatur? Adi, & quo poteris diffunde Opufculum recens, cui titulus: *Idée de la vérité & de la grandeur de la Religion démontrée par des preuves claires.* Parif: apud Heriffant, viâ novâ B. Mariæ, 1750.

Eufeb: in orat: Conftant: cap:24. p. 496.

Solvuntur nonnullæ Objectiones.

Obj: 1°. Religio in hominis gratiam conftituta certos evidentiæ characteres præferre debet, quibus hominis confenfum rapiat: alioqui temerè eidem affentietur. Atqui his evidentiæ characteribus deftituta eft Religio; cùm dogmata rationi invia proponat, ut Deum Trinum, Deum incarnatum, Deum æterna brevi peccato fupplicia decernentem Ergo.

R. neg: min: Etfi enim Chriftiana Religio dogmata fua intrinfecè obfcura effe confitetur; at ea demonftrat extrinfecè; quatenus oftendit hæc revelata fuiffe ab eo, qui nec falli nec fallere poffit; quique plura homini non in fupernaturalibus tantùm, fed in naturalibus o-

mnino impervia comprehendit. Non ergo, ut folent Deiftæ, conijciendi funt primum oculi in dogmata, fed in autoritatem quâ dogmata proponi dicuntur: fi enim hæc divina eft, jam dogmata quantumvis obfcura fidem merentur indubiam. Et vero, fi Religioni defint efficacia credibilitatis momenta, quâ animorum fafcinatione fieri potuit, ut eam Orbis totus complexus fit? Quin & myfteria Dei in perfonis Trini, & incarnati ipfâ fuâ incomprehenfibilitate veritatem revelationis probant, nedum imminuant. Conftat enim Chriftianos aliquam Trinitatis & Incarnationis ideam habere; conftat & eos utrumque dogma credere. Atqui nufquam fieri potuit, ut ratio fibi relicta tantæ fublimitatis, tamque in fpeciem lumini naturali adverfa dogmata excogitaret, ac multo minus ut eadem credenda proponeret, nec proponeret folum; fed ita perfuaderet, ut pro iifdem tuendis innumeri Martyres, acie ingenii commendandi, fanguinem fuum profuderint. Ergo ipfa Myfteriorum noftrorum incomprehenfibilitas veritatem religionis noftræ adftruit: Vid: P. Le Febvre in Tract: cui titulus: *La feule Religion veritable démontrée*, pag: 130.

Cæterùm Religionis Myfteria, licèt humanæ mentis oculos fugiant; haud tamen fpernendis fuadentur rationibus, ut patet ex Tomo præced: utique natura tota peccati originalis dogma, quo nullum aliud captu difficilius eft, atteftatur; & qui eo ufque affurgere non potuerunt Philofophi, faltem intellexêre, hominem non in eo nunc ftatu effe, in quo primùm è creatoris manibus prodiit.

Obj: 2°. Miracula Chrifti & Chriftianorum, fi quæ fuerint, æquivoca funt, non autem efficax Religionis probatio. Scilicet enim æquivoca eft admodum ea probatio, quâ nec ipfi Gentiles caruerunt. Atqui non caruerunt miraculis Gentiles, miraculis, inquam, quibus vel fanarentur cæci, aut aliter infirmi, prout in Efculapii & Serapidis templo pluries contigit, teftibus Strabone & Jamblico; vel Pagani cultûs contemptores fevere pœnas darent, prout dedêre, tum *Brennus* ille *Gallorum Dux*, qui *Delphis Apollinis templum* ad prædam *ingreffus, Dei,* Apollinis, *voluntate, in fe manus vertit*, feu femetipfum furibunde interemit; tum Alexandri milites, qui cûm Mileti templum Cereris fpoliare pararent, irruente flammâ excæcati funt. Vide Valerium Maximum his prodigiis urgentem.

Valer: Max: l. 1. n. 18.

R. ad 1. neg: ant: miracula enim quæ Religionem

aliquam tam solide adstruunt, nulla ut supersit ejusdem piè oppugnandæ via, necessario sunt efficax & peremptoria ejusdem demonstratio. Atqui quæ Christianismum adstruunt miracula, eum confirmant tam solidè &c. Unde enim oppugnabitur? Demonstratâ prodigiorum falsitate? at ea palam edita sunt, omnium examini subjecta, ab ipsis etiam inimicis admissa. Demonstratâ dæmonum coïtione? at eò tendunt miracula hæc, ut subvertatur imperium ejus; quin & is pluries victum se confessus est, sive in Evangelio, cùm Christo testimonium perhibuit, Marci 1. 24. sive in Actis Apost: cum Pauli & sociorum ejus sanctitatem commendavit, cap: 16. v. 17. sive deinceps, cum ad præsentiam reliquiarum S. Babylæ Martyris conticuit Daphniticus Apollo. Certe increvit apud Ethnicos rumor, editum ab Apolline oraculum, *quo justos viros in terris degentes*, Christianos videlicet, *obstare sibi aiebat*, quominus vera prædiceret; uti refert Constantinus apud Eusebium, L. 2. de vita Constant: c. 50.

V. Chry-sost: de S. Babyla.

Ad 2. 1°. Ethnici nulla unquam protulêre miracula, quæ ad miracula Christianorum accederent. Illis ne auditum quidem resurrectionis nomen; quod cùm adhibuit Paulus, Act: c. 17. v. 18. *novorum dæmoniorum*, seu numinum, *annuntiator esse* visus est: Christum enim ut Deum, & resurrectionem velut Deam à Paulo prædicari crediderunt.

2°. Jactata à Gentilibus miracula pleraque falsi suspicione graviter laborant; cùm velut incerta, & ut plurimum fictitia suis à sponsoribus referantur. Scribit vel ab Operis sui limine Titus Livius, se fabulas, fictaque pro arbitrio prodigia recitaturum. Haud major Valerii Maximi fiducia; *Nec me præterit*, aït Lib: 1. c. 8. n. 7. *de motu & voce Deorum immortalium, humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed fidem Autores*, qui hæc primi scripserunt, *sibi vindicent*. Non alia fuit mens Tullii, qui postquam in primo de divinatione libro trecenta & eo plus Deorum mirabilia per Quintum fratrem suum retulit; eadem Libro 2. velut frivola, numine indigna, & per superstitionem invecta explodit.

R. 3°. Miracula, si quæ apud Ethnicos fuêre, quod non ægre admiserit Augustinus, licet non nihil eâ de re anceps*, vel ad fovendam Religionem tendebant, vel ad aliquid planè diversum. Si postremum hoc, nihil ad nos. Si prius, de his dijudicandum fuit, sicut de quocumque alio hominis actu nimirum ex circumstan-

* *V. L. 22. de Civ: 6. 10.*

tiis, præſertim autem ex fine. Atqui miraculorum Ethnicornm finis Deo planè indignus erat. Rem probamus exemplo miraculi apud Ethnicos celebris, de quo ſic Valer: Maximus Lib: 1. cap: 7. quod totum, nec uno ſenſu, eſt de ſomniis. *Atinio homini ex plebe Jupiter in quiete præcepit, ut Conſulibus diceret*, ſibi proximè habitos ludos circenſes *non placuiſſe*, (quia antequam inciperent, ſervus quidam in crucem actus eſſet) *quæ res niſi attentâ ludorum inſtauratione expiata eſſet, ſecuturum non mediocre urbis* Romæ *periculum. Veritus* Atinius, *nè* mendax haberetur, *ſilentium egit: è veſtigioque filius ejus ſubitâ vi morbi correptus, interiit. Ipſe etiam* denuò *per quietem ab eodem Deo interrogatus, an ſatis magnam pœnam neglecti imperii ſui pependiſſet, in propoſito* tacendi *perſeverans, debilitate corporis ſolutus eſt*, ſeu paralyticus evaſit: *ac tùm demum ex conſilio amicorum, lecticâ ad tribunal Conſulum, & inde ad Senatum perlatus, ordine totius caſûs ſui expoſito, magna cum omnium admiratione, recuperatâ membrorum firmitate, pedibus domum rediit.* En grande prodigium, quo nullo ſponſore refert Valerius, quodque fabellis annumeravit Cicero, ubi ſuprà: At datâ, non conceſſâ ejus veritate, contendo miraculum iſtud, è fine penſatum, à ſolo dæmone prodiiſſe. Quis enim, quæſo, hujus portenti finis? ut coleretur Jupiter, & quidem per ludos Circenſes. Atqui cultus Numinis venerei, impii, omnibuſque, dum vivere, ſceleribus infamis, eo ipſo nefarium quid cenſeri debebat. Nec minus ſupremum Numen dedecebant ludi Circenſes, in quibus nihil erat quod vel larvam pietatis præferret; nihil quod non ſpiraret facinus.

N. 4. p. 38. *édit. Min: Elii.*

Obj: 3°. Reſurrectio Chriſti utpotè à quibuſdam duntaxat textibus aſſerta, nihil meretur fidei. Et verò reſurrexit Chriſtus ut Religionem ſuam confirmaret. Sed ad id ut palam mori, ſic & palam reſurgere debuit. Sic enim, qui ſcopus ejus erat, Religionem ſuam ſtatim & ab initio indubiam feciſſet.

R. 1°. Argumentum hoc perperam & inſcitè proponi à Judæis, qui ſane multa credunt in fidem unius etiam teſtis, puta Eliam raptum igneis equis per turbinem aſcendiſſe in cœlum; quod à ſolo Eliſeo didicêre, 4. Reg: 2. Reſponſione hâc Judæum quemdam obruit Rev: P. de Martianay. Nec prudentiùs proponitur à Deiſtis, quos pari telo impetit Atheus in hunc modum: Si exiſteret Deus, is utique, ut ſumme bonus & ſumme providus exiſtentiam ſuam tam apertè, tam

universe manifestaret, nulla ut superesset de ea ambigendi ratio. Atqui tamen non id facit; cum existentiam hanc alii in dubium vocent, alii fortè inficientur, alii ad solem aut similia transferant. Ergo non est Deus.

R. 2°. ad 1. neg: ant: Resurrectio enim asserta ab hominibus, ceteroqui plus quingentis, qui dictum suum, miracula innumera, & in his mortuorum resurrectiones operando, confirmant, fidem omnem meretur; nec meretur solum, sed reipsâ toto ab Orbe consecuta est. Atqui asserta est Christi Resurrectio ab hominibus, &c.

R ad 2. neg: min: quemadmodum enim ut Deus Religionem naturalem, quam Deistarum sapientiores non negant, adstrueret, satis ei fuit ut eam validis quibusdam firmaret rationibus, quæ tamen nonnullas relinquunt difficultates, quibus abutuntur Athei, vel Atheo-Deistæ, & olim abusi sunt Gentiles innumeri: sic ut Christianam Religionem adstrueret, satis fuit, ut eam iis muniverit argumentis, quibus prudens quisque cedere debeat, quibusque de facto cesserint prudentiores antiquitatis viri; ergo & satis fuit ut certum & inconcussum splendoris gradum daret resurrectioni Christi, licet non eum omnem dare voluerit, quem præscribere audet humana anxietas, vel potius incredulitas. Incredulitas, inquam, nec enim credere est cessuros Deistas, si Christus, utì palam mortuus est, sic & palam resurrexisset. Enimvero miracula sua palam edidit Christus, ut palam sua ediderunt Apostoli. Atqui tamen nihilo plus credunt Deistæ. Ergo non ideo credere abnuunt, quia Christus publice non resurrexit; sed quia sibi animo fixum est ut non credant.

Et vero resurrectionem Christi pro certâ habuêre Principes Sacerdotum, ut quæ sibi renuntiata esset à militibus ad sepulchri custodiam appositis, quorum silentium pecuniâ emerunt. Atqui tamen non ideo crediderunt. Ergo. Sed de his vide solide disserentem Clariss: Ditton in Opere inscripto: *La Religion Chrétienne démontrée par la résurrection de N. S. J. C.*

Obj: 4°. Religio à Prophetis prædicata dominari debet á mari ad mare, & usque ad terminos Orbis terrarum. Atqui Christi Religio nequaquam sic in immensum effusa est. Nulli pene ejusdem fuêre progressus apud Sinenses, Persas, Americanos, &c. Ergo.

R. Prophetarum verba quibus prædicta eſt Religionis per Meſſiam invehendæ amplitudo, non mathematicè, ſed moraliter eſſe intelligenda. Patet id 1°. quia is eſt Scripturæ ſtylus, & Orientalis idiomatis genium, ut indefinite dicat, quæ definitè intelligi vult. Sic I. Math: 8. 3. Romani dicuntur *omnem locum* poſſediſſe *conſilio ſuo & patientiâ;* nec quid tritum magis, quam veterem Romam mundi dominatricem audiiſſe: Et tamen nuſquam toti mundo dominata eſt Roma. 2°. Quia ipſi ſibi interpretes Prophetæ ſenſu minus generali locuti fuiſſe videntur. Sic Iſaiæ 2. 3. *Ibunt populi multi & dicent, Venite & aſcendamus ad montem Domini.* Ceterum unde habent adverſarii non futurum, ut gentes quæ Chriſto hactenus non credidêre, eidem deinceps non credant?

Jam inveſtigandum, quâ ratione vera Chriſti Eccleſia ſecerni poſſit ab iis quæ nomen illud falſò uſurpant; & id quidem præſtabit ſequens Tractatus.

PRÆLECTIONES *THEOLOGICÆ* DE ECCLESIA.

QUÆSTIO PRIMA.

De natura Ecclesiæ.

Ecclesia, quæ juxta vim Græci nominis idem est ac Congregatio, quandoque sumitur pro loco in quem conveniunt homines, ut I. Cor: 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant;* quandoque & sæpiùs pro ipso hominum conventu. Tunc autem vel *latè* sumitur pro quovis coetu, sacro vel civili, bono vel malo, ut Psal: 120. *Odivi Ecclesiam malignantium;* vel strictè pro sola Fidelium societate; seu ii regnent in Coelis, quæ est Ecclesia Triumphans; seu abluantur ignibus purgatoriis, quæ est Ecclesia Patiens; seu etiamnum in terris adversùs salutis hostes prælientur, quæ est Ecclesia Militans, eaque præsentis Tractatûs materia.

Ecclesia postremo hoc sensu accipitur 1°. pro Pastoribus, quos Spiritus S. posuit regere Fideles, ut Matth: 18. *Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, &c.* 2°. Pro fidelibus, qui vel in una domo, vel in eadem Parochia sub cura Pastoris degunt, vel in una civitate uni subjiciuntur Episcopo; 3°. & præcipue pro universa Christianorum gente quoquo versum diffusâ.

Ecclesiæ sic sumptæ nomen multiplex, idque omni sensu honorificum. Est enim & dicitur *Civitas Dei,* Psal: 47. 2. *Civitas supra montem posita.* Matth: 5. 14. *Domus Dei,* I. Timoth: 3. 15 *Castrorum acies ordinata,* & quidem eo nomine *terribilis,* Cant: 6. 10. *Corpus, Ovile, sponsa* Christi, Coloss: 1. 15. Joan: 10. 16. Cantic: 4. 8. *Columna & firmamentum veritatis.* I. Timoth: 3. &c.

Rursùm miltiplex fuit Ecclesiæ figura, 1°. In lege naturæ *paradisus terrestris.* Ut enim benè observat Aug: Lib: 4. de Bapt: c. 1. *Cùm Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo tamen non est nisi, intra Paradisum: sic Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ec-*

clesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur. Itèm in eadem lege *Arca Noë*, cui Ecclesia hinc potissimum similis est, quod ut nemo extra Arcam tempore diluvii, sic extra Ecclesiam nemo salvus esse possit.

2°. In lege Mosaïca *Templum Jerosolym*. extra quod Agnum paschalem comedere non licebat; & *lapis* ille de quo Daniel 2. v. 35. qui primum tenuis magnum in montem excrevit, & in universam Orbis faciem diffusus est.

3°. In nova lege Ecclesiam triplex præcipue figura adumbravit.

Prima fuit vas illud ingens linteum quod videt S. Petrus, ubi ipsi ostendit Deus gentes esse ad fidem divinam admittendas.

Secunda fuit piscatio jussu Christi bis facta, quæ quidem ante mortem Christi bonos & malos pisces colligit, ita ut etiam rumpatur rete: & hæc præsentem Ecclesiam designat, quam hæresibus & schismatis dirumpi contingit: at verò post resurrectionem Christi multos & magnos pisces capit, nec tamen scinditur rete, ut delineetur Ecclesia triumphans, quæ in continua autoris sui pace requiescens, nullis jam dissensionibus agitatur.

Tertia figura fuit tunica Christi inconsutilis; unde Aug: Tract: 118. in Joan: *Merito vestis, quâ caritas significatur, desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem, ne aliquando dissuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit.*

Non figuris tantùm, sed & parabolis Ecclesiam suam expressit Christus.

Prima est Agri, in quo cùm Paterfamilias zizania cum tritico permisceri animadvertisset, noluit avelli à servis, sed permisit simul crescere usque ad messem, ne forte bonum simul cum malo tritico evelleretur. *Matth: 13. 24.*

Secunda est Sagenæ, quæ missa in mare pisces ex omni genere congregat. *Ibid: v. 27.*

Tertia est Pascuorum, ubi sunt hirci simul cum arietibus, & hædi cum ovibus. *Matth: 25. 32.*

Quarta est Convivii nuptialis, Matth: 22. ubi per regnum Coelorum Ecclesiam intelligi vult S. Aug: in qua improbi sunt simul cum probis, donec absolutâ coenâ, hoc est exacto hujus vitæ stadio, qui inventi fuerint sine veste nuptiali, seu caritate vacui, segregentur ab aliis & mittantur in tenebras exteriores. His obiter præmissis inquirenda Ecclesiæ definitio. Hæc autem apud varios varia est.

Pelagiani Ecclesiam definiebant, Congregationem hominum perfectorum, nullum habentium peccatum. Ita refert S. Augustinus lib: 2. de hæresibus c. 88.

Novatiani dicebant Ecclesiam esse cœtum hominum qui nunquam lapsi fuissent in graviora peccata circa fidei confessionem.

Wiclefus non alios agnovit in Ecclesia quam prædestinatos, neque aliud vinculum quo partes Ecclesiæ inter se colligentur, quam prædestinationem.

Lutherani duplicem distinguunt Ecclesiam; alteram veram, ad quam pertinere aïunt encomia quæ referuntur in Scripturis; & in hac dicuntur contineri duntaxat eos qui vere & sincere obediunt Deo: at nonnisi fidei lumine visibilem illam esse. Alteram externam, quæ nomen tantùm habeat Ecclesiæ, hancque describunt, *Societatem hominum in doctrina fidei & Sacramentorum usu convenientium.* Atque hinc Lutherus aït, *Papam & Cardinales idcircò non esse de Ecclesia, quia Sancti non sunt.*

Longe aliter Ecclesiam militantem, adæquate spectatam, id est, prout corpore & animâ constat, definiunt Catholici, quibuscum sit.

Conclusio. Recte definitur Ecclesia, Cœtus hominum unius & ejusdem fidei Christianæ professione, & eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue Romani Pontificis.

Prob: 1° Illa definitio legitima est, quæ complectitur omnes partes Ecclesiæ, & ab ea removet quidquid ab ea est removendum: atqui talis est prædicta definitio. Tria enim in illa notantur, quorum si unum desit, non potest quis censeri de corpore & de gremio Ecclesiæ, scilicet professio fidei Christianæ, Sacramentorum communio, subjectio legitimis Pastoribus. Defectu primæ conditionis, excluduntur omnes infideles & hæretici. Defectu secundæ, excluduntur vel qui Sacramentorum incapaces sunt, ut Catechumeni; vel qui per Ecclesiæ censuram ab eorumdem communione sunt præcisi, ut excommunicati. Defectu tertiæ conditionis, excluduntur schismatici, qui tametsi fidem habeant & Sacramenta, legitimo tamen Pastori non obtemperant, atque idcircò foris extra Ecclesiam fidem profitentur, & Sacramenta recipiunt.

Ed: Rigalt: p. 118.

Prob: 2°. Quia nova non est, ut fingit Launoius, Ecclesiæ definitio, in qua mentio fiat Pastorum quibus obtemperare debent fideles. S. Cyprian: Epist: 69. *Illi,*

inquit, *sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* Et de unit. Ecclesiæ: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur.* S. Optatus L. 2. contra Parmenian: de Sede Romanâ hæc habet: *In qua una Cathedra unitas de omnibus servatur... ut jam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* S. Hieron: Epist: ad Damasum: *Ego,* inquit, *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Atqui in his textibus palam est debitam Pastoribus, præcipue vero Romano Pontifici subjectionem ad veræ Ecclesiæ ideam pertinere.

Pag: 180.

Tom: 4. part. 2. p. 19.

Obj: Manca est ea Ecclesiæ definitio, in quâ nulla fit mentio fidei, spei & caritatis, in quibus tamen maximè posita est Ecclesiæ pars nobilior seu anima; perinde enim est ac si quis hominem per solum corpus definiret, nullâ factâ mentione animæ. R. prædictas virtutes essentiales quidem esse Ecclesiæ, & ad ipsius animam pertinere, quæ proinde præsupponuntur in definitione adducta: sed clare non exprimuntur, quia Theologi animus est definire duntaxat partem Ecclesiæ visibilem, seu societatem illam exteriorem quæ corpus Ecclesiæ dicitur, & constat exteriori fidei professione, Sacramentorum participatione, & subjectione legitimis Pastoribus, quæ omnia continentur in nostrâ definitione. Neque urget exemplum quod adducitur: cùm enim Philosophi hominem definiunt, totum; non partem ipsius definire sibi proponunt.

Inst: Sequitur ex nostra definitione eos qui ad animam Ecclesiæ non pertinent, eò quia fide aut caritate sint destituti, posse dici Ecclesiæ membra: atqui hoc est absurdum. R. dist: maj: eos posse dici Ecclesiæ membra imperfecta, arida, mortua, C. perfecta, viventia, N. Quicumque visibili societati fidelium colligatus est externâ professione fidei, &c. si interiùs aut fide verâ aut caritate sit destitutus, ille membrum quidem est corporis Ecclesiæ, sed imperfectum; cum interiori animâ Ecclesiæ non informetur.

Inst: 2°. Membrum mortuum non est verum membrum; quemadmodum corpus ab anima hominis separatum non est vere corpus hominis; ergo. R. membrum mortuum, modo non sit à corpore hominis præcisum, esse verum hominis membrum, licet im-

perfectum: hominem vero non ampliùs existere, ubi anima separatur à corpore, quia nihil potest esse sine suâ essentiâ; itâ quoque Ecclesia secundum se non potest esse sine corpore & anima, alioquin perire posset, quod est contra perpetuitatem ipsi à Deo promissam: at fieri potest ut aliquod membrum Ecclesiæ sit sine anima Ecclesiæ; si nempe cohæreat tantùm cum corpore Ecclesiæ per externam communionem; quo casu, membrum quidem est aridum, sed tamen membrum.

Quæres 1°. quis sit Ecclesiæ autor.

R. 1°. solus Deus est Ecclesiæ autor potestate supremâ & independenti: 1°. Quia omnium universim hoc modo operator est Dominus, & quidem solus; 2°. Quia hoc etiam titulo Ecclesia speciatim Dei esse dicitur Act: 20. *Attendite vobis, & universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* 3°. Quia illius duntaxat esse potest instituere Ecclesiam autoritate supremâ, cujus est independenter à quocumque alio homines ordinare ad finem sanctificationis per gratiam, & salutis per gloriam: atqui istud solius Dei est, Psal: 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* & Job: 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es.*

R. 2°. Christus solus Ecclesiæ autor est potestate excellentiæ & misterii principalis: Tùm quia Christus est autor fidei & Sacramentorum, in quibus fundata est Ecclesia: fidei quidem, Hebr: 12. *Aspicientes in autorem fidei & consummatorem Jesum;* Sacramentorum vero; quia hæc ex latere ejus in cruce dormientis fluxerunt, ut dicemus ubi de Sacramentis.

R. 3°. Posse etiam dici homines concurrisse ad instituendam Ecclesiam, in genere causæ ministerialis inferioris. Tùm quia reverâ Apostolorum ministerio Deus uti voluit ad fundandam Ecclesiam. Tùm quia Ephes: 2. v. 20. Prophetæ & Apostoli mystyci Templi seu Ecclesiæ fundamenta dicuntur. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Est tamen unicum & principale Ecclesiæ fundamentum, præter quod nullum aliud poni potest; quia sine fide in Christum salus æterna obtineri non potest. *Neque enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

I. Cor: 3.

Act: 4.

Quæres 2°. an antiqua sit Ecclesia, non quidem stricte sumpta, pro societate eorum qui in Christum jam natum & passum fidem habent; sed sumpta pro multitudine Fidelium qui ab initio mundi vixerunt in terris.

R. Ecclesiam hoc sensu acceptam vel ipsis naturæ & Legis scriptæ temporibus adeo floruisse, ut tunc temporis veros extitisse Christianæ Religionis cultores asseri meritò possit: 1°. Quia illi verè fuêre Christiani, qui Christiano, non Judaïco more vivebant: atqui tales fuisse fideles in lege naturali & scriptâ docet Eusebius Lib: 1. Hist: c. 4. *Verùm,* inquit, *tametsi hoc novum certè Christianorum nomen nuper omnibus innotuit; sectam tamen rationemque vivendi non recens à nobis compositam, sed jam inde à primo (ut ita dicam) conditu generis humani, ex notionibus à natura insitis, ab hominibus Deo acceptis institutam atque excultam fuisse, sic demonstrare conabimur;* 2°. Quia inter viros justos qui tempore legis naturæ & scriptæ floruerunt, nullus æternam salutem consecutus est nisi per fidem in Christum; unde August: Ep: 187. *Erat,* inquit, *antiquis justis aliquid occultum, cùm tamen & illi eâdem fide salvi fierent, quæ fuerat suo tempore revelanda.* Et Ep: 190. c. 2. *Sicut in regno mortis, nemo sine Adam; ita & in regno vitæ, nemo sine Christo;* 3°. Quia iis idem fuit caput Christus, secundùm id S. Aug: concione 3. in Psalm: 36. *Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos, ut esset & ipse totius Caput Civitatis Jerusalem.*

Edit: Valesf: p. 25. B. C.

Tom:2. p. 689. E.

Obj: 1°. Id Apost: Galat: 3. *Lex pædegogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur: at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Ergo ante adventum Christi non erat fides, nec consequenter Ecclesia, quæ sine fide stare non potest, ut quæ sit fidelium collectio. R. dist: conseq: non erat eadem Veterum fides, ac nostra, quantùm ad modum, C. quantùm ad substantiam, N. Non fuit, inquam, eadem Veterum fides quantum ad modum, tùm ex parte objecti, quia Veteres credebant in Christum nasciturum, moriturum; nos autem credimus in Christum natum, mortuum; tùm ex parte actûs & modi credendi, quia antiqui quandiu fuerunt sub nube veteris Testamenti, ad fidem in Christum explicitam non tenebantur, sed sola ipsis sufficiebat implicita. Verùm quoad substantiam eadem apud veteres fides fuit cum nostra. Unde Aug: Tract: 45. in Joan: *Eadem fides utrosque conjungit, & eos qui venturum esse, & eos qui eum venisse crediderunt.*

Inst: Veri fideles, utpote vero sensu Christiani debent esse sub gratiâ: atqui Veteres illi non erant sub

gratia, sed sub Lege. R. neg: min: nam proprie sub Lege esse dicuntur, qui vel gratiam nescientes servitute Legis premuntur, vel ii in quibus peccatum dominatur, juxta Apost: Rom: 6. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim sub Lege estis, sed sub gratiâ.* At veteres justi neutro modo erant sub lege: non 1. quia licet Legis Mosaïcæ præceptis adstricti essent, justitiam tamen à Lege non expectabant, sed tantùm à fide Christi venturi. Non 2. cùm ipsi non servierint peccato: ex quo sequitur Veteres illos sub gratiâ potiùs fuisse quàm sub Lege, seu, ut loquitur Aug: Lib: 3. contra duas Epistolas Pelagian: c. 4. *Abraham, Moysen, David, omnesque veteres justos filios fuisse promissionis & gratiæ, non ex Lege, sed ex promissione, hæredes Dei, cohæredes autem Christi.*

Ibid: p. 452. A.

Inst: 2°. Unitas Religionis repetitur potissimum ex participatione eorumdem Sacramentorum: atqui Patres veteris Testamenti non habuerunt eadem cum nobis Sacramenta, neque idem sacrificium. R. dist: min: & habuerunt alia tum Sacramenta suis temporibus convenientia, C. nec habuerunt, N. At ex S. Aug: Epist: 102. non mutatur Religio, licèt mutentur Sacramenta & Sacrificia, modò idem subsistat fidei spiritus.

Tom. 2. 281.

Inst: 3°. Veris Christianis promissa est æterna felicitas: atqui Sanctis veteris Testamenti promissa fuit tantùm temporalis, ex Aug: Enar: in Psalm: 73. R. dist: min: Non fuit promissa felicitas æterna, ut præmium quod pertineret ad vetus Testamentum, C. ut præmium proprium novi Testamenti, N. *Quando felicitatem temporalem agebant*, ait S. Aug: Ep: 140 n. 5. *æternam, veram & præferendam intelligebant; & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio.*

Tom. 2. p. 423. E.

QUÆSTIO SECUNDA.

De notis seu characteribus Ecclesiæ.

Cum extra Ecclesiæ sinum nihil occurrat nisi damnatio, ut ipsi fatentur Calvinistæ in suo Catechismo, necesse est eam notis & characteribus tam splendidis fulgere, ut Solis radios suos ex omni parte diffundat, ita ut non possit ab ullo sanæ mentis ignorari. Quia tamen plures, licet oculos habeant, non vident, summâ nobis diligentiâ inquirendum est de signis, seu

characteribus ac proprietatibus Ecclesiæ. Quo circa dicendum hic 1°. de notis Ecclesiæ in genere; 2°. demonstrandum eam esse unam; 3°. sanctam; 4°. Catholicam; 5°. Apostolicam; 6°. Romanam; 7°. visibilem; 8°. indefectibilem.

ARTICULUS PRIMUS.

De notis Ecclesiæ in genere.

Not. 1°. ad notas Ecclesiæ, ut veræ sint, tria requiri, 1°. ut propriæ sint, si non sigillatim, at saltem collective sumptæ: alias in certam Ecclesiæ notitiam deducere non possent; 2°. Ut sint notiores re quam significant: est enim hæc communis signi cujuslibet conditio: 3°. Ut sint quodam modo sensibiles, omnibus obviæ, & cognitu faciles, non solùm domesticis fidei, sed & extraneis, ut omnes ad Ecclesiam & fidem adducantur.

Not: 2°. Licet Catholici & Hæretici conveniant dari notas quibus vera Christi Ecclesia facile dignosci possit, inter se tamen maxime dissidere in illis assignandis. Lutherani enim & Calvinistæ duas duntaxat proponere solent, scilicet veritatem doctrinæ, & legitimum Sacramentorum usum: aliter sentiunt Catholici, quorum mentem antequam plenius evolvamus, sit.

Conclusio. Neque vera Christi doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus, sunt veræ notæ quibus certo dignosci possit Ecclesia Christi.

Prob: 1°. Quia ex dictis veræ Ecclesiæ Christi notæ debent esse 1°. Propriæ, non communes; 2°. Notiores re quam significant; 3°. sensibiles, obviæ & omni hominum conditioni accommodatæ: atqui conditiones illæ non competunt veræ Christi doctrinæ, & legitimo Sacramentorum usui.

Non ima. Nulla enim fuit unquam Hæreticorum secta, quæ non jactaret se puram habere Christi doctrinam & ejus Sacramenta: nulla, quæ errorum suorum patrocinium ex Scripturis non repetierit; nulla quæ non contenderit veram esse apud se Ecclesiam. *Singuli quique hæreticorum Cœtus se potissimum Christianos & suam esse Catholicam Ecclesiam putant*, ait Lactantius L. 4. Instit: c. 29. & S. Cyprianus Epist: ad Jubaïan: *Novatianus*, ait, *simiarum more, quæ cùm homines non sint, homines tamen imitantur, vult Eccle-*

gratia, sed sub Lege. R. neg: min: nam proprie sub Lege esse dicuntur, qui vel gratiam nescientes servitute Legis premuntur, vel ii in quibus peccatum dominatur, juxta Apost: Rom: 6. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim sub Lege estis, sed sub gratiâ.* At veteres justi neutro modo erant sub lege: non 1. quia licet Legis Mosaïcæ præceptis adstricti essent, justitiam tamen à Lege non expectabant, sed tantùm à fide Christi venturi. Non 2. cùm ipsi non servierint peccato: ex quo sequitur Veteres illos sub gratiâ potiùs fuisse quàm sub Lege, seu, ut loquitur Aug: Lib: 3. contra duas Epistolas Pelagian: c. 4. [*Ibid:* p. 452. A.] *Abraham, Moysen, David, omnesque veteres justos filios fuisse promissionis & gratiæ, non ex Lege, sed ex promissione, hæredes Dei, cohæredes autem Christi.*

Inst: 2°. Unitas Religionis repetitur potissimum ex participatione eorumdem Sacramentorum: atqui Patres veteris Testamenti non habuerunt eadem cum nobis Sacramenta, neque idem sacrificium. R. dist: min: & habuerunt alia tum Sacramenta suis temporibus convenientia, C. nec habuerunt, N. At ex S. Aug: [*Tom.* 2. 281.] Epist: 102. non mutatur Religio, licet mutentur Sacramenta & Sacrificia, modò idem subsistat fidei spiritus.

Inst: 3°. Veris Christianis promissa est æterna felicitas: atqui Sanctis veteris Testamenti promissa fuit tantùm temporalis, ex Aug: Enar: in Psalm: 73. R. dist: min: Non fuit promissa felicitas æterna, ut præmium quod pertineret ad vetus Testamentum, C. ut præmium proprium novi Testamenti, N. [*Tom.* 2. p. 423. E.] *Quando felicitatem temporalem agebant,* ait S. Aug: Ep: 140 n. 5. *æternam, veram & præferendam intelligebant; & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio.*

QUÆSTIO SECUNDA.

De notis seu characteribus Ecclesiæ.

Cum extra Ecclesiæ sinum nihil occurrat nisi damnatio, ut ipsi fatentur Calvinistæ in suo Catechismo, necesse est eam notis & characteribus tam splendidis fulgere, ut Solis radios suos ex omni parte diffundat, ita ut non possit ab ullo sanæ mentis ignorari. Quia tamen plures, licet oculos habeant, non vident, summâ nobis diligentiâ inquirendum est de signis, seu

characteribus ac proprietatibus Ecclesiæ. Quo circa dicendum hic 1°. de notis Ecclesiæ in genere; 2°. demonstrandum eam esse unam; 3°. sanctam; 4°. Catholicam; 5°. Apostolicam; 6°. Romanam; 7°. visibilem; 8°. indefectibilem.

ARTICULUS PRIMUS.

De notis Ecclesiæ in genere.

Not. 1°. ad notas Ecclesiæ, ut veræ sint, tria requiri, 1°. ut propriæ sint, si non sigillatim, at saltem collective sumptæ: alias in certam Ecclesiæ notitiam deducere non possent; 2°. Ut sint notiores re quam significant: est enim hæc communis signi cujuslibet conditio: 3°. Ut sint quodam modo sensibiles, omnibus obviæ, & cognitu faciles, non solum domesticis fidei, sed & extraneis, ut omnes ad Ecclesiam & fidem adducantur.

Not: 2°. Licet Catholici & Hæretici conveniant dari notas quibus vera Christi Ecclesia facile dignosci possit, inter se tamen maxime dissidere in illis assignandis. Lutherani enim & Calvinistæ duas duntaxat proponere solent, scilicet veritatem doctrinæ, & legitimum Sacramentorum usum: aliter sentiunt Catholici, quorum mentem antequam plenius evolvamus, sit.

Conclusio. Neque vera Christi doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus, sunt veræ notæ quibus certo dignosci possit Ecclesia Christi.

Prob: 1°. Quia ex dictis veræ Ecclesiæ Christi notæ debent esse 1°. Propriæ, non communes; 2°. Notiores re quam significant; 3°. sensibiles, obviæ & omni hominum conditioni accommodatæ: atqui conditiones illæ non competunt veræ Christi doctrinæ, & legitimo Sacramentorum usui.

Non ima. Nulla enim fuit unquam Hæreticorum secta, quæ non jactaret se puram habere Christi doctrinam & ejus Sacramenta: nulla, quæ errorum suorum patrocinium ex Scripturis non repetierit; nulla quæ non contenderit veram esse apud se Ecclesiam. *Singuli quique hæreticorum Cœtus se potissimum Christianos & suam esse Catholicam Ecclesiam putant,* ait Lactantius L. 4. Instit: c. 29. & S. Cyprianus Epist: ad Jubaïan: *Novatianus,* ait, *simiarum more, quæ cùm homines non sint, homines tamen imitantur, vult Eccle-*

siæ Catholicæ autoritatem sibi & veritatem vindicare; ità ut apud se esse Ecclesiam dicat, & nos hæreticos faciat; idipsum prætendebant Donatistæ. *Quæstio inter nos versatur,* aiebat S. Aug: *ubi sit Ecclesia, utrùm apud nos, utrùm apud illos;* ergo fieri non potest ut doctrinæ veritas, quam tot diversæ hæreticorum sectæ sibi vindicant, propria sit veræ & unius Christi Ecclesiæ nota.

Lib: de unit: Eccles: cap: 2.

Non 2da. Si enim æquè, imo magis arduum sit dignoscere quænam sit pura Christi doctr na, quænam pura ejus Sacramenta, quàm quæ vera sit ejus Ecclesia, certè dici non potest hæc duo notiora esse ipsâmet Ecclesiâ: atqui tamen imò longè magis arduum est, dignoscere quæ sit pura Christi doctrina, &c. Ut enim certò cognoscatur quæ vera sit Christi Doct ina, tria certò constare debent: 1°. Librum in quo illa doctrina continetur, esse reipsâ verbum Dei; 2°. Versiones Librorum in quibus legitur hoc Verbum Dei, esse fidelissimas: & ipsos fontes ab omni errore saltèm fundamentali esse liberos; 3°. Quinam sit sensus illius verbi, quæ legitima interpretatio. Atqui difficile admodum est, nè dicam impossibile, hæc omnia ab un quoque privato dignosci. An enim id possunt rustici, plebeii, illiterati, &c. Certè literati ipsi de hisce tribus graves habent inter se concertationes, quæ privatorum judicio terminari nunquam possunt. Non eos omnes Scripturæ libros ut Canonicos agnoscit Lutherus quos Calvinus admittit; v. g. Epistolam ad Hebræos, Epistolam S. Jacobi, & Apocalypsim. Non minùs etiam discordes sunt circa sensum Scripturæ. Lutherus in istis Christi verbis, *H est corpus meum,* deprehendit realem corporis Christi præsen iam: Calvinus è contra realem absentiam, & figuratam duntaxat præsentiam. Quis litem inter ipsos componet? Nemo certè, nisi judicem Fcclesiam audire voluerint. *Scripturam sacram,* ait Vincentius Litin: Com: c. 2. *pro ipsâ suî altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt* (Hæretici); *ejusdem eloquia aliter alius, atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur... Atqui idcirco multùm necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur*

Bibliot: PP. T. 7. pag: 250. D.

Non 3tia. Vera enim Christi doctrina, utpote quæ & humanum caput longè superet, & ea sit quam sectæ

singulæ sibi ad mortem usque vindicent, non potest obvia esse & sensibilis. Unde si barbarus quispiam nulli hactenus Religioni addictus, in Europam adventet, ibique Christianæ fidei nomen dare velit, & eum ut emptorem solent propolæ, sic & magno clamore invitent Zuingliani, Anabaptistæ, Puritani, Hussitæ, Lutherani, Calvinistæ, & suam quique puram, & veram esse doctrinam vinditent: quid, amabo, faciet Proselytus ille? id certè ut se multò quàm antea incertiorem profiteatur; & cum eo, de quo loquitur Aug: Catechumeno exclamet: *Quo ergo signo manifesto adhuc parvulus, & nondum valens liquidam discernere à tot erroribus veritatem, quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi?* *Lib: 13. contra Faust: c. 13.*

Prob: 2°. Signum rei distinguitur à re significatâ, neque pertinere potest ad ejus essentiam, alioqui enim esset sui ipsius signum: atqui vera Christi doctrina pertinet ad essentiam Ecclesiæ. Conveniunt enim inter se Catholici & Reformatores, Ecclesiam esse societatem hominum puram Christi Religionem profitentium; ergo doctrinæ puritas non potest esse signum Ecclesiæ.

Prob: 3°. Ad Ecclesiam solam pertinet determinare quæ vera sit Christi doctrina: atqui eo ipso fieri non potest ut vera Christi doctrina sit nota Ecclesiæ. Minor liquet. Quomodo enim id de quo nonnisi per Ecclesiam, utique jam cognitam, constat, possit esse nota, id est, signum deducens in cognitionem Ecclesiæ. Prob: itaque maj: ex Aug: Lib: contra Epist: fundamenti c. 5. *Ego verò*, inquit, *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret autoritas. Quibus ergo obtemperavi dicentibus, Credite Evangelio; cur eis non obtemperem dicentibus, Noli credere Manichæo?* idem docent Irenæus, Tertulian, &c. *Tom. 8. p. 154. A.*

Obj: 1°. Vera doctrina idem est ac Verbum Dei seu Scriptura: atqui Scriptura notior est Ecclesiâ, quandoquidem per ipsam probatur Ecclesia; ergo vera doctrina, Ecclesiæ signum esse potest & debet. R. dist: min. notior est quam Ecclesia, notior. inquam, secundum quid, & quando de ipsa conveniunt ambæ partes, C. notior est simpliciter & absolutè, N. itaque Catholicus hæreticum validè ex Scripturis revincit, prout olim Donatistas revincebat Augustinus: quia jam utrinque de vera Scriptura constat: At non ideo Scriptura est absolutè & simpliciter nota Ecclesiæ; tum

quia multi sunt Scripturæ Libri quos infidelis facile rejiciat, seu propter quædam in speciem absurda, seu propter apparentes antilogias; tùm quia non iidem ab omnibus, qui se Christianos dicunt, admittuntur Libri; tum quia etiamsi omnes statim admitterentur, non statim omnes eodem & legitimo sensu intelligerentur.

Obj: 2°. Nulla res cognosci potest absque cognitione eorum quæ ad ejus essentiam pertinent, & ipsius definitionem ingrediuntur: atqui vera Christi doctrina pertinet ad essentiam Ecclesiæ, &c. definitur enim Ecclesia, Societas veram Christi doctrinam profitentium: ergo. R. neg: maj: quæ in ambiguo ludit. Etsi enim res in se, seu in natura sua cognosci non possit, quin cognoscantur ea quæ ad ejus essentiam pertinent: at tamen sine cognitione hâc quidditativâ possumus ità rem cognoscere, ut eam ab alia quacumque secernamus. Sic per hederam foribus appensam cognoscit rusticus extare hìc venale vinum; neque tamen intimam vini essentiam cognoscit. Pari de causâ cognoscet infidelis hìc extare Ecclesiam, nec tamen intrinsece Ecclesiam noscet, nisi cùm ejus Pastores audierit.

Obj: 3°. Illa est veræ Ecclesiæ nota, quæ semper usurpata fuit, ut secerneretur à falsa: atqui veritas doctrinæ semper usurpata fuit, ut secerneretur vera Ecclesia à falsâ. Sic Judæa ut vera Dei Ecclesia agnita fuit, Samaria autem ut falsa; quia filios, quos per circumcisionem genuerat, à verâ doctrinâ avocabat, atque immolare in excelsis permittebat.

R. ad 1. neg: min: Neque enim afferri potest pro nota veræ Ecclesiæ, quod Hæretici, licet immeritò, apud se habere semper gloriati sunt: Atqui ex S. Aug: nulla fuit Hæreticorum secta, quæ non gloriaretur se puram habere doctrinam.

Ad 2. neg: ant: & dico Jerusalem non verò Samariam pro vera Ecclesia habitam fuisse, quia ut refert Josephus, Lib: 13. Antiquit: c. 6. continuas Pontificum in Sacerdotio successiones numerabat Judæa, non Samaria: utpotè cùm in monte Carizim recentiùs ædificatum fuisset templum Dei, nempe circa tempora Alexandri magni. Unde etsi totam Judæorum doctrinam servassent Samaritani, haud tamen Ecclesiasticam cum iis communionem habere licitum fuisset. Quemadmodum si coortâ seditione desertor aliquis vexilla regia in loco eminentiori figeret, ut iis

conspectis subditos Regis in partes suos traheret, non liceret, subditis ad sola vexilla jam penès desertores posita concurrere; sed sicut tunc temporis eò recurrendum esset, ubi sunt Duces Regis & Magistratus legitimi, ita confugiendum est ad eam Ecclesiam in qua sunt veri & Apostolici Pastores, id est, ubi apparet antiquitas, universalitas, successio, unitas. Hinc S. August: Lib: 3. contra Petilian: c. 5. *Nullus*, inquit, *prædicans nomen Christi, & gestans ac ministrans Sacramentum Christi, sequendus est contra unitatem Christi.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De unitate Ecclesiæ.

Ecclesia est vivum corpus. Præcipua verò unitas corporis viri consistit in conjunctione membrorum cum capite, & inter se. De unione membrorum cum capite, suus erit posteà dicendi locus, cùm expendetur an vera Christi Ecclesia sit Romana: hìc agimus de unione membrorum inter se. Hâc autem de re aliter sentiunt Catholici, aliter Lutherani & Calvinistæ.

1°. Enim Catholici eam in Ecclesiæ fidem requirunt, quæ saltem in genere omnes errores ab Ecclesia proscriptos excludat: Hæretici autem, imprimis Jurius, docent ea sufficere fidem, quæ veritates fundamentales profiteatur, licet alios errores ab Ecclesia proscriptos admittat: 2°. Catholici ita eandem Sacramentorum participationem exigunt, ut per eam omnes fideles in una duntaxat communione sibi invicem conjungantur: contrà docent Hæretici, satis esse usum Sacramentorum habere in aliqua ex iis societatibus quæ veritates fundamentales profitentur; etsi hæc nullam cum aliis societatibus Christianis communionem habeat, imò ab eis excommunicetur; 3°. Quantùm ad Pastores, volunt Catholici necessariam esse subjectionem legitimis Pastoribus unicæ communionis quæ vocatur Ecclesia Catholica & Romana: docent autem Hæretici, satis esse si adhæreant fideles Pastoribus alicujus societatis, quæ in articulis fundamentalibus non erret.

Etsi verò Novatores non satis inter se consentiant in designandis articulis, quos appellant fundementales; nihilominus apud ipsos generatim veritatis fundamentalis ea est, quæ Christianæ fidei ita est essentialis, ut qui negare eam audeat, nullam possit habere spem

salutis, sive ea veritas ab Ecclesia definita fuerit, sive non, ut trinitas personarum in Deo, Verbi divini incarnatio. Veritas autem non fundamentalis est quæcumque alia, sive ab Ecclesia definita sit, sive non, quæ sine salutis dispendio ignorari aut etiam negari potest.

Contra Catholici, licet fateantur aliquos articulos præ aliis dici posse fundamentales, quia eorum distincta & explicita fides ad salutem sit necessaria, v. g. Trinitatis, Incarnationis; docent simul omnes articulos revelatos esse hoc sensu fundamentales, quod illos impugnare nemini liceat, qui salvus esse velit. An jure ac merito, liquebit ex dicendis.

Conclusio I. Vera Christi Ecclesia ità est una, ut prorsùs excludat quascumque alias societates, quarum fides erronea sit in articulis etiam non fundamentalibus, & extra ipsam nulla sit salus.

Prob: 1. Pars: Illud Ecclesiæ tribui debet, quod demonstrant omnia, figuræ & parabolæ, quibus eam exprimunt Scripturæ: atqui ... propter hanc enim unitatem Ecclesia vocatur Corpus Christi, Ovile, Sponsa. Propter illam unitatem adumbrata fuit per Arcam Noë, Templum Jerosolimit. Vestem Christi inconsutilem. Propter illam unitatem à Christo designata fuit parabolis, Agri, qui unus est, Sagenæ, quæ in unum congregat, Areæ, quæ paleas cum granis colligit.

Confirm: ex SS: PP. Cyprian: in Lib: de unitate Ecclesiæ, cujus vel ipse titulus nobis in probationem cedit, pluribus adversus Novatianos probat Ecclesiam esse unam. *Ecclesia*, inquit, *una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radii, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum ... Avelle radium Solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præcisus arescet ... Qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Et sub finem Tractatûs: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, & fides una, & plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.*

Pag: 180.

Pag: 186.

S. Optatus Milevit L. 1. *Christus*, inquit, *sponsus est unius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum ipse testatur; qui cùm unam laudat, ceteras damnat.* Idem ex professo probat S. Aug: in suis contra Donatistas operibus.

Tom: 4. part: 2. p. 306.

Prob: 2. pars; 1°. Quia incognita est toti antiquitati hæc Juriei opinio, quâ vult Ecclesiam universalem complecti omnes etiam Hæreticorum sectas, modò non errent in fundamentis fidei. Nihil quippe frequentius apud antiquos, seu Patres, seu Fideles, quam nomen Ecclesiæ, imo & nomen *Catholicæ*, quo sæpissimè utebantur, ut Ecclesiam pro qua decertabant, distinctiùs significarent: atqui nusquam his nominibus intellexerunt societatem universalem, quæ omnes etiam formaliter errantes complecteretur; sed unicam communionem, à qua quilibet hæretici excluderentur. Sic S. Clemens Alex: Lib: 7. Stron: *In unius*, inquit, *naturæ sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere; eaque, quæ antiqua est & Catholica, una est propter unitatem fidei.* Origenes lib: 1. in Job: *Ad dimicandum adversùs Ecclesiam, non tria tantùm cornua, sed innumera atque inæstimabilia omnes sectæ atque hæreses faciunt, per quas universas adversùs Ecclesiæ unitatem incessanter dimicant.* S. Hieron: Dial: contra Lucif: dicit *societatem Marcionitarum, Valentinianorum, Montanistarum, Novatianorum non esse Ecclesiam Dei, sed Synagogam Antichristi.* Paulò ante dixerat, *se omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare posse.* Conc: CP: I. quod est universale II. an: 381. Can: 6. *eos hæreticos appellat, qui ab Ecclesia abdicati sunt, & anathematisati:* sed qui Ecclesiam discindunt, qui ad Synagogam Antichristi pertinent, qui adversùs Ecclesiam dimicant, qui demum ab Ecclesia anathematisantur, ii profectò in Ecclesiæ sinu concludi non possunt; ergo.

Tom: 4. part: 2. p. 306.

Tom: 2. Concl: p. 942. P.

Prob: 2°. Quia ex hac Juriei sententia sequeretur, 1°. Per sexdecim sæcula nullum ex fidelibus Symbolum fidei, quo par est modo, intellexisse. Neque enim illi alio modo Symbolum intelligebant, quàm qui ipsis exponebatur à SS. Doctoribus horum temporum: atqui articulum de Ecclesia nunquam aliâ ratione exposuerunt SS. Patres quam eo sensu, ut excludat omnes Hæreticorum sectas & societates; 2°. Illusorias & injustas fuisse fidei professiones quas à tempore Conc: Nicœni semper ab Heræticis postulavit utraque Ecclesia, nempe ut omnes hæreses ab eadem Ecclesia Catholica proscriptas ejurarent; 3°. Male etiam exegisse puriorum temporum Episcopos, ut Fideles effugerent Hæreticorum consortia: cùm Hæretici modo fundamentaliter non errent, veræ sint Ecclesiæ partes: atqui hæc totidem sunt absurda.

Prob: 3. Pars, videlicet Ecclesiam ita esse unam, ut extra ipsam nemini sit speranda salus; Prob: inquam 1°. ex SS. PP. qui sex primis Ecclesiæ seculis floruerunt. S. Cyprianus L. de unit: Eccl: *Quisquis,* inquit, *ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra Arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet?* Et posteà: *Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est... Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel objecti belliis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.*

Pag: 101.

P. 183. & 184.

S. Aug: L. 4. de Symbolo ad Catech: cap: 13. *Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum, nec habebit Deum patrem, qui noluerit Ecclesiam habere matrem.* Idem Sermone ad Cæsareenses Ecclesiæ plebem coram Emerito n. 6. *Salutem,* inquit *non potest habere homo, nisi in Ecclesia Catholica. Extra Ecclesiam Catholicam totum potest præter salutem.*

Tom: 6. p. 582. C.

Ibid: p. 22. B.

Ecclesia Africana duobus in Conciliis congregata idem prorsùs sentit. In Carthaginensi IV. can: 1. inter illa de quibus ante Ordinationem interrogandus est Episcopus, hoc postremum venit, credatne *quod extra Ecclesiam nullus salvetur.* Idem docent ceteri Patres.

Tom: 2. Conc: p. 1199 C.

Prob: 2°. Rationibus Theologicis. I. Ex Scripturis Ecclesia est corpus Christi, cujus membra sunt singuli fideles: atqui membrum quod non manet in corpore, vitam habere non potest. II. Christus est verus Ecclesiæ sponsus; ac proinde non potest filios generare, nisi ex sua sponsa. III. Nulla est salus extra regnum Dei, extra Templum, Domum, & Civitatem Dei; sicut tempore diluvii nulla fuit salus extra Arcam: atqui Ecclesia est Dei Templum, Domus, &c.

Obj: 1°. Non debet esse propria, sensibilis, & notior ipsâ re quam significat; atqui hæc non conveniunt unitati. R. neg min: namque 1°. Est propria Ecclesiæ; cùm nulla Secta constantem habuerit doctrinam, constans regimen, & idem caput, nempe R. Episcopum; 2°. Est sensibilis & notior Ecclesiæ; cùm facilè cuivis attendenti constet, quæ Ecclesia iisdem Pastoribus constanter subjacuerit.

Obj: 2o. Ex doctrina nostrâ de unitate Ecclesiæ sequitur, 1o. Perire eos omnes qui errant in minimo fidei articulo, vel communionem non habent cum R. Episcopo; 2o. Ecclesiam posse suis Judiciis facere quosdam articulos fidei qui ante ejus sententiam non erant: atqui horum prius inhumanum est, posterius ridiculum. R. neg: min: & ad 1. dico plurima esse in Religione nostrâ quæ sunt verissima, licet videantur duriora humanæ rationi: reatus peccati originalis propter unum hominem; æternitas ignis in vindictam vel unius peccati mortalis, prædestinatio unius & reprobatio alterius. An liceret ea omnia negare, quod duriora videantur? Similiter etsi durum videtur damnari Hæreticos & Schismaticos, non ideò tamen minùs verum est; cùm tota traditio doceat extra Ecclesiam non esse peccatorum remissionem, non esse caritatem, non esse salutem.

Ad 2. Ecclesia fidei articulos non facit, sed qui sunt à Deo revelati, eos definit ex verbo Dei; eosque aliquando evolute magis pro temporum necessitate, aut Hæreticorum insurgentium oppugnatione aperit & explanat. Ipsius autem esse fideles suos instruere, vel id unum probat, quod per sexdecim secula non aliam SS. Patres ac fideles omnes habuerant Ecclesiæ ideam, quam decidentis, definientis, docentis, & rebelles omnes anathemate ferientis. Rebelles dico, qui enim errant, & ita affecti sunt, ut Ecclesiæ loquenti statim obtemperent, prout erant Glorius, Eleusius. & alii de quibus loquitur S. Aug: Ep: 43. ii saltem desiderio ad Ecclesiam pertinent: notum est ac tritum id ejusdem Aug: *Errare potero, sed Hæreticus non ero.*

Obj: 3o. Ecclesia successit Synagogæ: atqui non erat tanta Synagogæ necessitas, ut extra eam nullus posset salvari; multi enim in gentibus, penes quos fuit unius veri Dei cognitio, ut Melchisedech, Job, & alli, solâ legis naturalis observatione ad salutem pervenerunt. R. neg: maj: Ecclesia enim id omne præstat quod ante Christum præstabat universa societas Sanctorum, sive hi è Judæorum grege essent, sive non. Et verò Ecclesia toto terrarum Orbe diffunditur; usque ad consummationem seculi perseveratura est; perfectionem habet cultûs divini & sanctitatis; quæ omnia Synagogæ nunquam convenerunt. Unde meliùs dixeris, Ecclesiam id nunc esse quoad Christianos omnes quod fuit Synagoga quoad solos Judæos: quapropter sicut Judæorum nemo salvari potuerat separatus à ve-

teri Synagoga, ita nemo nunc salvus esse potest, si separetur ab Ecclesia.

Conclusio II. Ecclesia Catholicorum illam habet unitatem quæ nota est ac character veræ Ecclesiæ Christi, non autem Ecclesia Reformatorum.

Prob: 1. pars. Ex dictis unitas quæ est character veræ Ecclesiæ in tribus potissimùm consistit, nempe in universali fidei consensione, in regimine ubique simili, in communione cum uno Capite visibili R. Pontifice: atqui hæc tria occurrunt in Ecclesia Catholicorum.

Prob: 2 pars. Et quidem 1°. Reformatorum Ecclesiæ non habent consensionem in doctrina. Ea enim duobus potissimùm momentis probari potest; scilicet constanti eorumdem fidei dogmatum professione, & ejusdem fidei publicis confessionibus: atqui Reformatores nostri in neutro capite consensionem habent. Non in dogmatibus fidei. Nam ut de multis taceamus, in quibus innitæ propemodum fuêre variationes, tùm apud Lutheranos, tùm apud Calvinistas, sicut eruditè demonstravit Ill. Bossuetus, unum duntaxat articulum præsentiæ Christi realis in Eucharistia hîc attingemus. Anno 1631. in Synodo Nationali Charentonianâ reformatores Decreto solemni sanciverunt fœdus cum Lutheranis Confessionis Augustanæ, & declaraverunt nihil esse in eorum cultu, quod perfectæ unioni obstare posset; atqui ante hanc Synodum palam dicebant, hoc momentum esse unicam suæ ab Ecclesia Romana separationis causam. Quid sæpiùs in eorum Libris legimus, quam horrendam esse Catholicorum doctrinam, quos cyclopes, antropophagos, parricidas, humanæ Christi naturæ & ejus Ascensionis in Cœlum hostes, idololatras, &c. vocant? Non fidei Confessionibus, quæ variæ sunt & contrariæ non modo apud Lutheranos & Calvinistas, sed & apud unius & alterius temporis Lutheranos & Calvinistas, ita ut ex tot Confessionibus, unum, idque non mediocrum volumen exurgat; in quo quæ olim reprobata sunt vel approbantur, vel saltem tolerantur, & vicissim. Quâ de re vide citatam Variationum Historiam.

2°. Regimen simile non habent: aliud quippe regimen est apud Lutheranos, aliud apud Calvinistas, aliud apud Anglicanos, quorum alii Episcopos habent, alii detestantur.

3°. Nec R. Pontificem ut visibile Caput agnoscunt etsi Sedes ejus sit unitatis centrum, de quo infrà.

Obj: 1°. Non est apud nos doctrinæ consensio; alia

enim est doctrina Scotistarum, alia Thomistarum, &c. nec ullus est, qui non existimet oppositam suæ sententiam erroneam esse: ergo doctrinæ consensionem velut certam unitatis Ecclesiæ notam laudare non possumus. R. distingui hic debere dogma fidei ab opinione libera Scholæ. Circa dogmata fidei nulla est inter nostros sententiæ varietas: aliud est de Scholæ opinionibus, quas varias in partes agitari permittit Ecclesia ad elucidationem veritatis, & Scholæ exercitium. *In quibus*, ut ait S. Aug: Lib: 2. de peccato orig: c. 23. *salvâ fide, quâ Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit... aut aliter quam est, humanâ & infirmâ suspicione conjicitur*. In quibus proinde & refellere quisque sine pertinaciâ, & sine iracundiâ refelli paratus esse debet: unde eos minime probat Ecclesia, qui propter hujusmodi Scholæ dissidia sese mutuò erroris audent incusare. At Hæretici nostri de rebus etiam ad fidem pertinentibus dissentiunt, & alii alios habent pro Hæreticis. Sic Anabaptistæ pro Hæreticis habentur à Lutheranis & Zuinglianis, & vicissim; tametsi omnes eundem agnoscant parentem Lutherum. Similiter Zuingliani à Lutheranis habentur ut Hæretici, sicut patet ex ipso Luthero suis passim in Libris: his tamen non obstantibus, Calvini Lutheranos ad suam communionem admiserunt; adeo mentitur iniquitas sibi.

T. 12. p. 93. C. D.

Obj: 2°. Est quidem in societate Catholicâ communio eorumdem Pastorum, & primi Pastoris scilicet R. Pontficis: at de isto tam opposita in Scholis nostris disputantur, ut nihil certi circa ipsum statui possit. Alii enim ejus autoritatem ad res duntaxat spirituales limitant, eamque Concilio generali subjiciunt; alii superiorem dicunt, &c R. circa R. Pontificem id unum duntaxat de fide esse, de quo consentiunt omnes Orthodoxi, nempe illum esse Caput visibile Ecclesiæ, ac primatum honoris & jurisdictionis in ceteros Episcopos obtinere: cetera quæ hinc & inde disputantur, salvâ semper quæ ipsi debetur reverentiâ, ad opinionem Scholæ; non ad fidei dogma pertinere.

Obj: 3°. Si Ecclesia esset una, maximè propter caritatem: at si ita est, sequitur eos qui sunt sine caritate, Ecclesiæ unitos non esse: præterea licet diversa regna habeant eundem Principem, easdem leges generales; non sequitur esse unum regnum; ergo.

R. ad 1. Unitatem seu unionem caritatis maxime optandam esse inter omnia Ecclesiæ membra; hæc tamen in aliquibus (non in omnibus, quod fieri non po-

test) deficiente, superesse alias rationes unionis, nempe in fide, in regimine, in sacramentis, in subjectione legitimis Pastoribus, quæ sufficiunt ad veram Ecclesiæ unitatem.

R. ad 2 Plura Regna per se vel ex institutione divinâ uni Principi non subjiciuntur: at omnes Ecclesiæ particulares ex ordinatione Christi, uni Capiti subjiciuntur, uno spiritu foventur, operantur tanquam partes totius corporis mystici. Ipse enim dedit Episcopos, & Pastores, regulam fidei ipsam & Sacramenta quibus inter se conjunguntur fideles, adeoque unum corpus per se constituunt.

Conclusio III. Nulli unquam licet sese separare ab unitate Ecclesiæ; hincque Schismatici sunt Reformatores nostri.

Prob. 1. pars: quia nulla unquam esse potest legitima ratio separationis ab unitate illius Ecclesiæ, extra quam nulla est salutis spes, non caritas, non martyrium, sed una damnatio: atqui ex dictis, &c. *Avelle radium Solis à corpore,* aïebat supra S. Cyprianus, *divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præcisus arescet.*

Prob: 2°. Si ob aliquam rationem fieri posset justa separatio ab Ecclesia, vel ob corruptos mores, vel propter errores, vel propter idololatriam: atqui ob eas causas nusquam licita esse potest talis separatio. Non 1°. propter corruptos mores: *Nos autem,* ait S. Aug: Ep: 95. c. 9 *certi sumus, neminem se à communione omnium gentium juste separare potuisse. Neque enim,* pergit c. 12. *propter paleam relinquimus aream Domini; neque propter malos pisces rumpimus retia Domini; neque propter hœdos in fine segregandos, deserimus gregem Domini; neque propter vasa facta in contumeliam, migramus de domo Domini.*

Ibid: p. 852. A.

Non 2°. propter errores. Utique enim Catholicos gravissimi erroris redarguebant Donatistæ, ut & Cyprianum redarguerat Stephanus Papa: atqui tamen nec à Cypriani communione recessit Stephanus, ut alibi ostendam; nec ab Ecclesia recedere potuerunt Donatistæ, ut millies docuit Augustinus, juxta quem *inconcussum firmumque* est *nullos bonos ab* Ecclesia *se posse dividere.* Et verò ulteriùs progrediuntur Reformatores, qui æternam ambiunt pacem cum Ecclesiis, in quibus sunt errores non fundamentales; imo & cum

Tom: 9. p. 75.

eis quæ articulos fundamentales, modo per solam consequentiam, non autem directè subvertunt.

Non 3°. propter idololatriam. Tùm quia, ut observat S. Aug: in Psalmo contra partem Donati, multi ex Judæis tempore Isaïæ, Jeremiæ, & Ezechielis, in crimen idololatriæ prolapsi fuerunt, neque tamen ab iis se se separaverunt Prophetæ. Tùm quia damnat ubique S. Aug: secessum Donatistarum à Catholicis quorum multos Idolis sacrificasse accusabant. Tum quia Calvinistæ in suam communionem admittunt Lutheranos, quos habere debent ut Idololatras, aut idololatriæ saltem consentientes; cùm Lutherani Poloniæ flexis genibus Eucharistiam accipiant, omnesque post Lutherum existiment nullum esse peccatum præsentem Christum in Eucharistia adorare, &c.

Prob: 2. pars, scilicet Calvinianos reos esse schismatis. 1°. Enim illi sunt schismatis rei, quorum separatio ab Ecclesia Catholicorum est divisio à prima unitate, seu ab eâ unitate quâ non datur alia prior: atqui Protestantium separatio ab Ecclesia Catholicorum est ab eâ unitate, quâ non datur alia prior. Minor tandiu constabit, donec manifestissimis argumentis ostendant se invenisse aliquam unitatem & communionem unitate Catholicâ priorem & antiquiorem: id autem hactenus ostendere non potuerunt, nec haud dubie unquam ostendent. Neque hîc inquirimus causas eorum divisionis, satis est, quod divisionem fecisse ostendamus. *Tota quæstio est,* inquiebat S. Aug: Ep: 87. alloquens Donatistas, *utrùm nihil mali sit schisma, aut utrùm schisma non feceritis:* Atqui fecisse illos schisma vel ex eo uno constat, quod primam unitatem reliquerint; quod altare erexerint contra altare Ecclesiæ nostræ; quod altari alterius Ecclesiæ à nostra diversæ & ante suum schisma existenti sese non adjunxerint; neque reipsâ ad communionem aut Orientalium, aut Valdensium confugerint, sed novam Ecclesiam erexerint, novum Religionis corpus absque ulla ab ipsis dependentiâ constituerint: sunt igitur manifesti schismatis rei.

Tom: 2. *p.* 211. G.

Prob: 2°. Illi sunt schismatis rei, qui ab Ecclesia, in cujus communione vivebant, recesserunt propter doctrinam, quæ legitimo Judicio ante suam separationem non fuerat condemnata. Namque ut ipsi docent in Admonitione de Libro Concordiæ, contra Lutheranos, à quibus immerito se condemnari dicebant, tùm ob negatam manducationem oralem, tùm ob rejectam u-

biquitatem, *recta ratio & pietas dictat omnibus, neminem esse damnandum propter controversiam legitimo Judicio nondum definitam*: atqui recesserunt Calviniani ab Ecclesia Catholicorum, propter doctrinam nondum legitimo Judicio definitam ante suam separationem. Proferant illud Judicium! An porrò aliud dictat ratio & pietas, cùm pacem Lutheranorum ambiunt, aliud cùm unitatem Catholicam fugiunt? Scilicet non tolerant pro pace Christi Catholicos, quos infamant; & tolerant pro pace Calvini, quos damnant. Ita contra Donatistas S. Aug: Tract: I. in Epist: Joannis.

Prob: 3°. Aut Ecclesia Catholicorum, quam propter errores deseruerunt, erat vera Christi Ecclesia, vel non erat: Si prius, ergo Calviniani sunt schismatici, qui deseruerunt veram Christi Ecclesiam: Si posterius, vel missionem suam habuerunt ab illa Ecclesia, vel non. Si habuerunt, nulla est, utpote quæ non data fuerit à legitima autoritate: Si non habuerunt, dicant ergo à qua receperint: an à Deo ipso extra ordinariè eos mittente? Probent ergo missionem suam extraordinariam, aut per Scripturа, in quibus prædicantur tanquam Pastores futuri; aut per miracula, sicut olim qui à Deo immediatè mittebantur, suam missionem confirmabant, ut Moyses, Aaron, Prophetæ, Christus ipse.

Obj: 1°. Non ipsi Calviniani Ecclesiam Romanam deseruerunt, sed ipsa eos à sua communione separavit; seu cùm varias in ipsos excitavit persecutiones, quæ in causa fuerunt, cur Catholicorum societatem deseruerint: seu cùm Leo X. ipsos excommunicavit, ante legitimi Concilii celebrationem quam sæpissimè postulaverant.

R. Imò R. Ecclesiam deseruerunt, antequam ipsa, in cujus communione vivebant, quidquam circa nascentes lites pronuntiaret. Leonis X. Judicio saltem provisionaliter obsequi debebant, cùm ipse esset Caput Ecclesiæ, in qua ipsi & majores eorum hactenus vixerant: at illi separationis impatientes altare contra altare erexerunt; Sacramenta nobiscum simul participare noluerunt, & quidem antequam Conc: Trid: an: 1545. jam celebrari incœptum quidquam definiisset. Nam anno 1536. Calvinus Genevensis institutus est Minister; jamque errores infinitos evomuerat. Anno 1524. omnino eruperat schisma Zuinglii, à quo originem suam ducunt Reformatores: jam tùm sublatæ Reliquiæ & Imagines; prohibita Missæ celebratio, in-

terdictum jejúnium quadragesimale, ut videre est in Hospiniano, 2. part: fol: 24.

Neque est quod dicant, violentas Catholicorum persecutiones fuisse causam suæ separationis: præcessit enim eorum schisma nostras, si quæ fuerunt, persecutiones. Nam ab an: 1520. quo excommunicati sunt à Leone X. Lutherani, ad an: 1529. quo in Comitiis Spirensibus protestati sunt se ad Concilium liberum provocare, nihil fermè contra ipsos actum fuerat: tantùm abest ut in Gallia, Hispania, Italia, Anglia, &c. tragicæ fierent executiones, ut ipsis scripserunt.

Quod dicitur de excommunicatione Leonis X nihil adversùs nos probat: imo aperti schismatis Lutherum convincit. Initio admonitus fuit à Cardinali Cajetano nomine Summi Pontificis, ut errores retractaret, aut saltèm Ecclesiæ Judicio se subjiceret. Statim sponte id promisit; at brevi promissorum oblitus, turbas passim excitavit; neque unquam ab erroribus defendendis abstinuit. Damnatus est à Pontifice hanc ob causam, & ità parùm constans fuit ejus fides in promissis, ut an: 1520. in Comitiis Vormatiensibus, cùm sæpè urgeretur ut Ecclesiæ universalis tribunal agnosceret, nunquam voluerit acquiescere: quæ Lutheri pervicacia ità displicuit Imperatori, ut eum, consentientibus totius Imperii Principibus & Ordinibus, tanquam Schismaticum & notorium Hæreticum in toto Imperio proscripserit.

Obj: 2°. multa Scripturæ loca quibus Deus mandat fidelibus ut impiorum consortium fugiant. Isaïæ 32. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Jerem: 23. *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* I. Cor: 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c.* R. cum S. Aug: agente contra Donatistas qui iisdem testimoniis abutebantur, ea solùm intelligenda esse de separatione spiritali, quâ scilicet probi ab improbis animo sejuncti, vitâ moribusque distinguantur.

Inst: Si in societate impiorum qui veri Dei cultum abrogant, sit periculum approbandi erroris, non tantùm licebit communionem eorum deserere, sed etiam tenebitur unusquisque, ut suæ saluti provideat. R. nequidem in periculo erroris licitam esse separationem externam, sed, ut docet Aug: passim adversùs Donatistas, satis est si pravos illos mores non imitemur. Tulit Moyses tot hominum millia contra Deum murmurantia: Aaron, Moyses, Zacharias & multi alii Prophetæ inter medios divinæ Legis contemptores vixe-

runt; & quanquam erroris participandi periculo obnoxii forent, imo & in periculum veniret eorum vita, ut Zachariæ contigit, nunquam tamen societatem diversam instituerunt.

ARTICULUS TERTIUS.

De Sanctitate Ecclesiæ.

Consentiunt omnes 1°. Ecclesiam Christi in se sanctam esse: Quæ sanctitas elucet tùm in ejus autore Christo, qui est fons totius sanctitatis: tùm in ejus fine, nempe cultu divino, cui promovendo consecrata est; tùm in ejus doctrina, Sacramentis, quæ omnia sanctitatem undequaque spirant. Unde S. Petrus Epist: I. c. 2. fideles appellat, *genus electum, gentem sanctam, populum acquisitionis;* 2°. Plura Ecclesiæ membra non eam habere sanctitatem quam in ipsis exoptat pia mater. Quæstio igitur est 1°. An societas Catholicorum sit sancta; 2°. An societas Protestantium sit sancta.

CONCLUSIO I. Ecclesia Catholica est sancta eâ sanctitate quæ veræ Ecclesiæ propria est.

Prob: Sanctitas quæ propria est Ecclesiæ Christi, posita est præsertim in sanctitate doctrinæ & professionis; in sanctitate eorum qui primum eam fundaverunt; in gloria miraculorum quibus veritatem Christianæ Ecclesiæ confirmavit Dominus: atqui societas Catholicorum habet 1°. Sanctitatem doctrinæ & professionis, quia nihil docet quod non sit sanctissimum: de fide nihil proponit credendum, nisi vel scriptum sit in sanctis Libris, vel constanti traditione ad nos transmissum; unicum Deum in spiritu & veritate colit: verum agnoscit Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum; & si quas in cultu Dei usurpat ceremonias, non alio fine usurpat, quàm ut mentem hominum ad cœlestia erigat. Non aliam habet moralem doctrinam, quàm quæ à Christo, Apostolis, & SS. Patribus tradita est, &c. Non ita certè in sectis Hæreticorum: nullum enim ferè est flagitii genus, cujus rei non fuerint veteres Gnostici, Carpocratiani, Montanistæ, &c. Nonne & ipsi Reformatores ex Religione sustulêre quæ dura & onerosa sunt, jejunia, carnis macerationes, auricularem confessionem, &c. Nonne simultaneam polygamiam permisit Lutherus, & potiores ejus asseclæ quam sub an. 1542. scriptis adstruere tentavit Bernardinus Ochin, &c.

Habet 2°. sanctitatem in primis sui instituti fundatoribus; nimirum in Christo, qui est primus ejus autor, & origo totius justitiæ; in Apostolis & SS. Patribus, qui contra singulas hæreses ævi sui dimicaverunt; in Martyribus, qui constanti animo pro Christo occubuêre; in tot Episcopis & Pastoribus, in tot Religiosorum ordinum Institutoribus eximiæ pietatis: nihil verò tale apud se esse probare possunt nostri Reformatores.

Habet 1°. sanctitatem doctrinæ miraculis à Deo confirmatam: imo sola est quæ miracula habuerit; eaque tam indubitata, ut ab adversariis nostris negari non potuerint. Habuit primo seculo miracula Christi & Apostolorum in sacris Libris memorata. Secundo seculo miracula militum Christianorum in exercitu Marci Antonini Imperatoris, quæ referuntur à Tertuliano Apologet: c. 5. Tertio seculo, miracula Gregorii Thaumaturgi, apud S. Basilium Lib: de Spiritu sancto c. 29. apud S. Greg: Nyssenum in vita ejus. Quarto seculo miracula Antonii, Hilarii, Martini, Nicolai, apud S. Athanasium, Hieron. Sulpitium. Quinto seculo, miracula quæ describuntur á S. Aug: Lib: 22. de Civit: c. 8. Sexto seculo, miracula quæ narrantur á S. Gregorio Magno in suis Dialogis. Neque hæc nostro aut superiori seculo defuerunt, ut constat ex Historiis Fr. Xaverii, Fr. Salesii, Vincentii à Paulo, cujus prodigia vel ipso Protestantium calculo confirmata sunt. Nemo igitur nostrûm his Hugonis Victorini verbis Deum compellare verebitur: *Domine, si error est* (quod credimus) *à te ipso decepti sumus: ista enim in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt & talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt.* *L. 1. de Trin: c. 267.*

Sed grave de miraculis argumentum, si Deo videbitur, alibi excutiemus. Unum hîc observare sufficiat, miracula nimirum, etsi à dæmone in erroris confirmationem fieri posse supponantur, quod negat Tournely, invictum tamen pro Ecclesiâ argumentum suppeditare quoad Deistas, imo & quoad Hæreticos: quia neutri superiora habent prodigia, quæ nostris opponant, ut sua miraculis Magorum Pharaonis opposuit Moyses. Ceterùm ex Apostolo I. Cor: 14. 22. *linguæ in signum sunt, non Fidelibus, sed infidelibus.* Quod si fortè Antichristi prodigia prodigiis superioribus non impugnentur, non tamen decipient nisi eos qui decipi volent; quia & prædicta sunt à Christo vetante ne

eis credatur, & ab Ecclesia judicabuntur esse Seductoris miracula.

Obj: 1°. Societas nostra corrupta est in doctrinâ & in moribus, tam in capite quàm in membris; ergo. R. nego ant: quæ vetus est Hæreticorum cantilena. Sic Manichæi objiciebant olim Catholicis, hypocrysim, superstitionem, sepulchrorum adorationem, luxuriam. Sic Luciferiani affirmabant universum mundum factum esse Ecclesiam diaboli & antichristi. Sic Donatistæ Cathedram Ecclesiæ Catholicæ vocabant Cathedram pestilentiæ, quia sancti in ea sedere non possunt. Quid igitur mirum si Reformatores calumniis onerant societatem Catholicorum.

Aug: *Hieron:* *Aug:*

Obj: 2°. Efficacia Doctrinæ certum non est ejus sanctitatis argumentum; quia magnos fecit etiam progressus doctrina Mahumetanorum, Lutheranorum, &c, R. nego ant: Ad exemplum Mahumetis; non est quod miremur ejus sectæ progressus: nam præterquam quod hominum libidini plurimum favet, armorum vi non persuasione doctrinæ longe latèque diffusa est. Imo Mahumetes ipse Alcorani c. 18. & 19. sancit populos bello & armis ad suas partes cogendos esse.

Nihil quoque mirum quod Lutheri & Calvini hæresis tot regiones occupaverit: quid enim non potest novitas; ubi sub specie severioris morum disciplinæ ea rescinduntur, quæ in Catholicorum Religione magis ardua sunt, ut v. g. Confessio sacramentalis, Jejunium, Cœlibatus in Ministris Ecclesiæ, &c? At quod ea Religio, quæ tota naturæ inclinationi contradicit, tam stupendos fecerit progressus, id verè soli ejus doctrinæ sanctitati & autoris ipsius efficaciæ adscribendum est. Quas vero strages in Gallia, Germania, Anglia; quas rebelliones excitaverit prætensa Novatorum reformatio, nemo ignorat.

Conclusio II. Societas Protestantium non est sancta sanctitate veræ Ecclesiæ propriâ.

Prob: 1°. Illa Societas non est sancta, cujus doctrina non est sancta, cujus Moralis principia non ducunt ad sanctitatem, cujus autores non sunt sancti: atqui 1°. doctrina Protestantium non est sancta, quia renovat antiquos veterum Hæreticorum errores jam pridem ab Ecclesia proscriptos. Docet enim cum Simonianis bona opera ad salutem inutilia esse; cum Pelagianis infantes Fidelium sine Baptismo vitam æternam consequi; cum Novatianis non esse in Ecclesia potestatem clavium, quâ peccata remittantur; cum Do-

natiſtis Eccleſiam ex ſolis ſanctis coaleſcere; cum Aërianis, nec pro mortuis orandum eſſe, nec ſervanda Eccleſiæ jejunia, ne ſub lege eſſe videamur; nec diſcrepare à Presbyteris Epiſcopos; cum Vigilantii affeclis, nullum ſanctorum Reliquiis honorem pendi debere; ergo.

2°. Moralis Reformatæ principia ad ſanctitatem non ducunt; imò viam omnibus vitiis aperiunt. Sunt enim, aut certè aliquando fuerunt hæc Lutheri principia, 1°. hominem ſolâ damnari incredulitate, adeo ut quibuſcumque tandem ſerviat cupiditatibus; & adulterii, homicidii, aut cujuſvis alterius criminis ſit reus, modo credat ſe electum eſſe à Deo, gratiam nunquam amittat; quia etſi timorem Dei amittat, fidem tamen juſtificantem non amittet; 2°. nullâ lege humanâ, ſeu Principum ſpiritualium ſeu temporalium, conſcientiam fidelium alligari, ſecundum id Calvini Lib: 3. Inſtitut: capite 19. n. 14. *Omnium hominum poteſtate exemptas eſſe conſcientias conſtituimus.* Atqui horum prius vel ipſam pietatis ſpeciem lædit. Poſterius tranquillitatis publicæ fundamenta radicitus convellit. Pag: 305.

3°. Autores prætenſæ reformationis, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam, &c. ſanctos non fuiſſe, facilè hîc probari poſſet deductis in apertam lucem eorum vitiis; ſed caritate potiùs quàm exprobratione invitandi ſunt fratres noſtri, ut ad Eccleſiæ ſinum unde receſſerunt, ſeſe recipiant.

ARTICULUS QUARTUS.

De Catholicitate Eccleſiæ.

Quid ſit eſſe Catholicum exponit Cyrillus Hieroſol: Catec: 18. *Catholica vocatur Eccleſia,* inquit, *quia per univerſum ſit Orbem terrarum diffuſa, à finibus terræ uſque ad extrema; & quia docet Catholicè, hoc eſt univerſaliter, & ſine ullo defectu vel differentia omnia dogmata.* Quod ut ſecundum ſe totum pateat, probandum hîc 1°. Eccleſiam Chriſti vere Catholicam eſſe; 2°. Catholicitatem eſſe propriam Eccleſiæ notam; 3°. R. Eccleſiam verè eſſe Catholicam, non verò ſocietatem Proteſtantium. Pag: 220. D.

CONCLUSIO I. Eccleſia Chriſti vere Catholica eſt.

Prob: 1°. ex Pſalmis: Pſalm: 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam*

fines terræ Pfalm: 21. *Convertentur ad Dominum universi fines terræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium.* Pfalm: 72. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ.* Quos quidem textus de Christi Ecclesiâ intelligendos esse probat Aug: L. de unit: Eccl: c. 6. & seq:

Prob: 2°. ex verbis ipsius Domini, Lucæ 24. v. 46. *Oportebat Christum pati, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Unde sic concludit Aug: c. 10. *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cœptura, & quousque perventura esset; cœptura scilicet ab Jerusalem, & perventura in omnes gentes.*

Conclusio II. Catholicitas vera est Ecclesiæ nota.

Prob: Ea nota propria est Ecclesiæ, quâ tanquam indubitato signo secernebantur olim Fideles ab Hæreticis; & quam propriam esse Ecclesiæ notam passim asserunt SS. Doctores: atqui talis est Catholicitas. Et quidem 1°. Per eam Fideles olim ab Hæreticis secernebantur. Ità docent Aug: L. de vera Relig: c. 7. n. 12. *Tenenda est nobis,* inquit, *Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio quâ Catholica est, & Catholica nominatur; non solùm à suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint, nolint enim ipsi quoque Hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.*

Tom: 1. p. 752. D. E.

S. Cyrillus Hierosol: Catec: 18. *Quòd si fortè,* inquit, *veneris in civitates, non tantùm quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia; sed ubi Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus & matris omnium nostrûm, quæ est sponsa D. N. J. C.* Quasi dicat, Si hoc petas, nullus Hæreticus suam Ecclesiam ostendet. Consonat luculentum id S. Paciani Ep: 1. *Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit autores.* Et postea: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor.*

Pag: 122. B.

2°. Catholicitatem certissimam esse Ecclesiæ notam asserunt S. Athanasius, ceterique Episcopi Ægypti, Thebaïdis & Libyæ in unum congregati, qui in Epist: ad Imperatorem Jovinianum, ex hac universalitatis nota, veræ fidei possessionem se habere probant. Idem solidè adstruit Aug: Lib: contra Epist: fundamenti c. 4. ubi

sic: *Multa sunt alia, quæ in ejus* (Catholicæ Ecclesiæ) *gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet autoritas miraculorum inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsâ Sede Petri Apostoli... usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere.*

Tom: 3. p. 153. B.

At, inquiebant Donatistæ: *Ideò magis justi sumus, quia pauci sumus. In paucis frequenter est veritas, errare multorum est.* Verùm his sicut & Pelagianis festivè regerebat Aug: L. Op: imperf: contra Jul: c. 3. *Noli de paucitate gloriari. Parricidæ, & pauci, & pessimi sunt. Non intelligentes* (Donatistæ) *quomodò à Domino dictum sit, paucos intrare per angustam portam: cùm & multos dixerit ab Oriente & Occidente recubituros cum Abraham, Isaac & Jacob... qui profectò multi sunt per se ipsos, & iidem ipsi pauci sunt in comparatione longe plurium qui cum diabolo puniendi sunt.*

CONCLUSIO III. Ecclesia Romana est Catholica; non autem societas Protestantium.

Prob: 1. pars: Ut R. Ecclesia sit verè Catholica, satis est quod illa fidelium societas quæ R. Episcopo ut Capiti suo adhæret, sit vere universalis; hoc est semper fuerit, & in omnem locum diffusa: atqui societas quæ communionem habet cum Episcopo Romano, 1°. Semper extitit; tùm quia Christus ipse hanc fundavit, cùm voluit primum inter Apostolos Petrum sedere, ejusque successores primos esse inter Episcopos, ut infra probabimus: tùm quia semper & omnibus seculis spectata est illa communio cum R. Sede tanquam signum veræ ac Catholicæ fidei certissimum, sicut posteà patebit; 2°. In omnem locum diffusa est illa societas: tùm quia iidem SS. Patres qui declarant Ecclesiam Christi in totum terrarum orbem esse diffusam, eandem cum Episcopo R. communione conjunctam esse asseverant. Ità S. Irenæus, Tertull: S. Cyprianus, S. Optatus & S. Augustinus. Tum quia societas quæ R. Episcopum agnoscit ut Caput suum, in omnes hujus orbis partes latè diffunditur. Est in Oriente apud Indos, apud Persas, apud Sinenses, Siamenses, &c. In Occidente apud utriusque Americæ incolas & in tota Europa in cujus majori parte florentissima est, quan-

quam in quibusdam aliis partibus persecutionem patiatur. In meridie habuit olim illustrissimas Sedes, & notissimas frequenti Episcoporum numero Synodos; & licet nunc à Barbaris occupentur hæ regiones, habet tamen suos in iis fideles.

Prob: 2 pars: quia Protestantium societas nec fuit semper, nec est ubique: Et 1°. non fuit semper; tùm quia ante exortam Calvini sectam nobiscum communicabant in eadem Sacramentorum & precum paticipatione, atque iisdem Pastoribus subjectione: tum quia omnes eorum articulos à nostris diversos, primitiva Ecclesia iam damnavit in veteribus Hæreticis, quorum errores renovârunt; 2°. Nec ubique est. Neque enim præter Occidentem alias Orbis partes nisi leviter infecerunt Novatores, quidquid in contrarium jactent. Vix in Oriente cognoscuntur Lutherani & Calvinistæ, & ubi cognoscuntur, tristem Hæreticorum notam sustinent.

Obj: Universalitas in Scripturis prænuntiata, non potest convenire Ecclesiæ Romanæ, quæ ferè jam non est in Anglia, Scotia, Provinciis Fœderatis, Dania, Suecia, majorique parte Germaniæ, &c. vixque occurrit apud Græcos, Armenos, Ægyptios, Abyssinos; ergo.

R. 1°. Diffusionem Ecclesiæ à Prophetis prædictam, non in rigore metaphysico, sed moraliter sumendam esse; hoc est, pro majori parte Orbis & præcipuis mundi partibus. Sic Danielis 2. v. 39. dicitur Alexander imperaturus universæ terræ; licet mediam ad summum partem Asiæ subjecerit, in Europâ autem & Africâ longe minores Provincias occupaverit. Hoc porro sensu diffusionem Ecclesiæ à Prophetis prænuntiatam intellexerunt SS. Patres, atque inter alios Aug: qui docet Ecclesiam suo tempore nondum ubique constitutam, neque ad extremum terræ perventuram ante finem hujus mundi: & has tamen Prophetias in Ecclesia sui temporis esse adimpletas, fusè & invictè probat adversus Donatistas.

R. 2°. Ut salva sit Ecclesiæ Catholicitas duo sufficere, 1°. Ut in præcipuis mundi partibus quamtumlibet dissitis cultores habeat; 2°. Ut quâvis sectâ seorsim sumptâ diffusior sit: atqui duo hæc R. Ecclesiæ dubio procul competunt. Nulla enim est Regio, ex iis etiam quæ schismati & hæresi devotæ sunt, quæ ipsi filios non parturiat: imo ejus sunt in ipso schismatis sinu, qui schismatis malum invincibiliter ignorant; 2°. & quâcumque sectâ seorsim sumptâ diffusior est. Et

vero quæ proportio Lutheranismum inter, Calvinismumve aut Anabaptismum & Ecclesiam Romanam; quæ quantùm hinc perdit per hæresim, tantùm inde per infidelium conversionem lucratur.

De Ecclesiæ statu sub tempus Ariminensis Concilii infra differemus.

ARTICULUS QUINTUS.

De Apostolicitate Ecclesiæ.

APostolica dicitur Ecclesia quæ ab Apostolis originem ducit, eandem cum ipsis doctrinam profitetur, & cujus Pastores legitimam missionem & successionem habent ab Apostolis non interruptam. Quæritur cui Ecclesiæ hæc conveniant. Sit.

CONCLUSIO I. Ecclesia Christi verè est prædictis sensibus Apostolica.

Prob: 1°. Ecclesia Christi sola facit cives Sanctorum & Domesticos Dei: atqui cives Sanctorum essentialiter fundati sunt super Apostolis; ergo & quæ eos parit Ecclesia super iisdem Apostolis fundari debet. Tota hæc ratiocinatio est S. Pauli Ephes: 2. ubi sic: *Non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum & Domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, &c.*

Prob: 2°. ex SS. PP. qui eam tantùm societatem pro verâ Christi Ecclesiâ habuêre, quæ & originem duceret ab Apostolis, & cum ipsis consentiret in doctrina, & ab iis successionem continuam haberet. S. Irenæus L. 3. adv: hær: cap: 3. *Traditionem*, inquit, *Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis & successores eorum usque ad nos.* Tertul: de præscript: cap: 20. *Apostoli Ecclesias apud unam quamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ; ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant; ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.* Et Lib: 4. adv: Marcion: cap: 4. *Si constat*, inquit, *id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit id esse ab*

Apostolis traditum, quod apud Ecclesiam Apostolorum fuerit sacro-sanctum. Ergo stat veram eam esse Christi Ecclesiam, quæ ab iis doctrinam suam mutuata fuit.

At non minus certum est ad veram Ecclesiam requiri legitimam Pastorum missionem; 1°. quia nec in veteri nec in novo Testamento ullus unquam fuit legitimus Pastor, qui non fuerit à Deo missus. In veteri quidem nulli, nisi qui foret ex stirpe Aaron, Sacris se immiscere licebat, ut exemplis Dathan & Core, & Regis Oziæ compertum est. In novo etiam Tastamento, S. Paulus Rom: 10. *Quomodo,* inquit, *audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Et Ephes: 4. Christus *debet quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii.* Inde est quod Tertul: de præscript. cap: 37. Hæreticos sic compellat. *Qui estis? quando & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis? Quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? Quâ potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis autoribus quorum fuit res.* Et c. 32. *Ceterùm,* inquit, *si quæ* (hæreses) *audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit autorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: Sicut Smyrneorum Ecclesia Polycarpum à Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum, &c.* Idem ab Hæreticis sui temporis postulabat Optatus. *Vos,* inquiebat Lib: 2. contra Parmen. *vestræ Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.*

Pag: 213. C.

Pag: 213. B.

Pag: 28.

Conclusio II. Societas Catholicorum est verè Apostolica, tùm propter doctrinæ ab Apostolis derivatæ antiquitatem; tùm propter Pastorum suorum legitimam missionem; tùm propter eorumdem Apostolicam successionem.

Prob: 1. pars. 1°. Quia si quæ in doctrina nostra contigisset mutatio, certè aliqua ex iis quæ in omni insigni mutatione observantur, demonstrari possent; sci-

licet, autor hujus mutationis, vel novum aliquod dogma, vel tempus quo coepit, vel locus ubi cœpit, vel quis eam initio oppugnaverit, &c. Atqui defectionis hujus à pristina Ecclesia, atqui insignis mutationis in nostra societate, nullum ex prædictis signis proferri potest ab adversariis nostris; ergo.

2°. Quia ex dictis hactenus & ex dicendis constabit, ea fidei nostræ capita, quæ minus placent Reformatis, totidem apud primævos Patres fuisse fidei puncta.

Prob: 2. pars, Pastores scilicet Romanæ Communionis legitimam habere missionem. Hæc enim nihil aliud est quam vocatio seu ordinatio ad ministerium Ecclesiasticum facta prout ab Ecclesiæ initio facta est: atqui hæc & apud nos viget, & semper viguit, ut dicam in Tract: de Ordine.

Prob: 3. pars, nempe esse in societate Romanâ successionem non interruptam Pastorum, præsertim vero R. Pontificum; prob: inquam, ex ipsa facti notorietate. Hinc hodiedum dicere licet cum Aug: contra Epist fundam: c. 4. *Tenet me in Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Et in Psalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui successit videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

CONCLUSIO III. Societas Protestantium non habet prædictos Ecclesiæ Apostolicæ characteres.

Probatur: quia nec habet antiquitatem doctrinæ, nec legitimam missionem, nec Apostolicam successionem in suis Pastoribus.

Non 1. tum quia eam propugnant doctrinam, quam vetus & Apostolica Ecclesia in antiquis hæreticis Simonianis, Pelagianis, Novatianis, Donatistis, Aërianis jam dudum proscripsit. Tùm quia fatentur ipsi Reformatores, se in multis ab antiquâ quinque priorum seculorum Ecclesiâ dissentire.

Non 2. cùm & autor, & tempus quo nata est & locus, & dogmata consignari facile possint; quod in omnibus Novatoribus observari declarant SS. PP.

Non 3. Si enim societas Protestantium legitimam in suis Pastoribus missionem haberet, vel ordinariam, vel extraordinariam. Non ordinariam; tùm quia vel hanc acceperunt ab Ecclesia Romana in cujus communione vivebant, vel ab aliqua alia Ecclesia in cujus societatem admissi sint: atqui neutrum dici potest. Non 1.

neque enim eos misit Ecclesia Romana, quos, quia sine missione currerent, anathematisavit. Non 2. tùm quia nullam proferre possunt, Novatores societatem à qua sacrum ministerium acceperint, imo cui adjuncti fuerint. Tum quia mitti non potuêre, qui vel nullum vel dubium habebant Baptisma: atqui in principiis Reformatorum Calvinus vel nullum, vel summopere dubium Baptisma receperat. Siquidem docent Reformati Baptismum administratum ab eo qui non habet vocationem vel missionem, esse nullum. Ità fert Confessio Gallica art: 31. &c. atqui juxta eosdem Ecclesia Romana nullam habet vocationem. Unde eorum Disciplina Gallica c. 1. vult iterùm ordinari Sacerdotes, qui à nobis ad ipsos transeunt, quia, inquit, Prædicatores Ecclesiæ R. nullam habent jurisdictionem Ecclesiasticam, eorumque vocatio illegitima est.

Non habent etiam missionem extraordinariam: siquidem & extraordinaria missio quatuor involvit, 1°. eos à Deo immediatè cum omni Episcoporum autoritate institutos fuisse; 2°. Accepisse autoritatem ubique terrarum reformatam doctrinam annuntiandi; Pastores qui eam populis proponerent, instituendi, aliosque in quacumque tandem secta fuerint, deponendi; 3°. Missos fuisse ut omnes veterum Conciliorum definitiones expenderent; & si quæ viderentur injustæ, prorsus abolerent; 4°. Statim atque visi fuerunt, & suam Reformationem prædicaverunt, omnes Christianos, seu Romanos, seu Græcos, seu Armenos, seu Jacobitas aut Nestorianos, eam amplecti debuisse. Atqui tam extraordinaria vocatio gravibus miraculis comprobanda erit, non secus ac vocatio Moysis, Christi ipsius & Apostolorum; ut nimirum legitimè missi ab intrusis discernerentur. Id porrò unum est in vita Lutheri miraculum: quod à diabolo, quem in ore semper habebat, didicerit privatas Missas abominationis plenas esse.

4°. Non habet societas Protestantium successionem Apostolicam in suis Pastoribus. Ubi, quæso, erat Calviniana secta ante Calvinum? Ubi Lutherana, ante Lutherum? Ipsis igitur meritò dici potest, quod sui temporis Hæreticis dicebat S. Cyprianus Epist: 76. *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ & Apostolicâ Traditione contemptâ, nemini succedens, à se ipso ortus est.* Et infra; *Nemini succedens, & à se ipso incipiens, alienus fit & profanus.*

Pag: 151.

Ibid.

Obj: 1°. Successio in Pastoribus non potest esse no-

ta quæ veram Christi Ecclesiam distinguat. Successio enim spectatur vel ratione loci, vel ratione personarum, vel ratione doctrinæ: atqui nulla ex his potest probare veram Christi Ecclesiam. Non 1. Cùm Ecclesia Christi, certis Regionibus alligata non sit, ut erat Synagoga Judæorum. Non 2. Hæc enim successio communis est pluribus societatibus, quæ veræ Christi Ecclesiæ non sunt; putà Græcorum, Armenorum, Æthiopum, &c. Non 3. de hoc quippe controvertitur. Quærimus enim ubi sit vera doctrina; non potest igitur indicari Ecclesia per illam doctrinæ successionem.

R. ad 1. neg. ant: ad 1. probationem dico stare successionem loci ubicumque stat Cathedra illius qui in loco illo sedet. Hinc SS. Pontifices, ut Romæ, sic & Avenioni, & apud Græcos vel Francos sunt Petri successores.

Ad 2. aliud est Ecclesiam subsistere ubi est Pastorum successio, aliud est non subsistere Ecclesiam ubi non viget successio Pastorum. Postremum hoc dicimus, & inde Protestantes quasi intrusos aggredimur. Primum haud satis esse credimus, nisi Pastores dum sibi succedunt, cum primo Pastorum Capite Rom: Episcopo communicent.

Ad 3. dico doctrinam sanam à successione legitimâ separari non posse, imo & ipsâ includi: ubi enim quis legitimâ ordinatione succedit, nec à communione, in qua ordinatus fuit recedit, tunc necessario sanam profitetur doctrinam, utpotè qui unitatem servet. Neque tamen sanam hanc doctrinam, quæ perpetua est legitimæ successionis comes assignamus ut notam veræ Ecclesiæ, sed ipsam Pastorum succedentium sibi legitimam ordinationem: doctrina enim ipsa non loquitur, sed à Pastoribus legitimis docetur, sive ex Scripturis, sive ex sola Traditione.

Obj: contra tertiam Concl: Ecclesia Reformatorum non est nova, sed est illa ipsa quam Christus fundavit, licet per multa secula non apparuerit. R. cum S. Aug: L. 3. de Bap: cap: 2. Aut illa Ecclesia quæ nunc apparuit, ante perierat, vel non, sed tantùm latebat: atqui neutrum dici potest. Non 1. Tùm quia si periit mater, quomodo renasci potuissent filii? tùm quia falsæ essent promissiones Christi, Matth: 16. v. 18. Non 2. vel enim illa Ecclesia tunc latens profitebatur fidem suam, vel non: si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta; si vero manifesta, quomodo nullus advertebat? Si non profitebatur, ergo nulla tunc

erat Ecclesia; cùm ex Reformatoribus confessio fidei nota sit veræ Ecclesiæ essentialis.

ARTICULUS VI.

An vera Christi Ecclesia sit Romana.

Sensus quæstionis est an Ecclesia quælibet, ut ad veram Christi Ecclesiam pertineat, cum Ecclesiâ Romanâ communionem habere debeat, eique consentire, non quidem quoad particularem disciplinam, quæ pro locorum varietate varia esse potest; sed præcipuè quartum ad fidem, & generalem morum disciplinam. Sit

Conclusio. Ecclesia Christi Catholica vere Romana est, ac esse debet.

Prob: Ut vera Ecclesia necessariò Romana sit, duo sufficiunt; 1°. Ut ab Apostolis Petro & Paulo fundata fuerit; 2°. Ut fundata fuerit tanquam centrum ac vinculum Catholicæ communionis. Atqui 1°. Ecclesia R. ab utroque Apostolo fundata est. Ita videlicet docent Tertul: L. de Præscr: c. 36. *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque autoritas præsto est. Ista quàm felix Ecclesia? cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur.*

Pag: 74. S. Irenæus L. adv: hæreses c. 3. *Maxima,* inquit, *& antiquissima, & omnibus cognita, â gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constituta Ecclesia.*

S. Cyprian: Ep: 52. *Factus est Cornelius Episcopus, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.*

Eusebius L. 3. Hist: c. 4. *Linus primus post Petrum Ecclesiæ Romanæ Episcopatum adeptus est.*

S. Hieron: de Viris illustribus: *Petrus secundo Claudii anno, Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis.* Idem docent ceteri PP. prout agnovit Minister Blondellus.

2°. Eadem Ecclesia fundata fuit tanquam centrum Catholicæ communionis, prout non disertè minus tradunt SS. Doctores. S. Cyprianus Epist: 45. ad Cor- P. 59. nelium aït, *R. Ecclesiam radicem esse ac matricem Ecclesiæ Catholicæ.* Et Epist: 55. ad eundem ait, *eam esse* P. 84. *principalem Cathedram, unde unitas Sacerdotalis exor-*

ta est... ad quam perfidia non potest habere accessum. Tertullianus ubi statim: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis autoritas præsto est.* S. Irenæus L. 3. adv: hær: c. 3. *Ad hanc Ecclesiam* (Romanam) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis Traditio.* Sanctus Augustinus, Epistolâ 43. *Ecclesia Romana, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.* Atqui Ecclesia quæ Ecclesiæ Catholicæ radix est & mater, à qua exoritur unitas Sacerdotalis, ad quam necesse est Ecclesiam omnem convenire, &c necessarium est unitatis & communionis centrum. Idque, ne in re tam gravi subsit errori locus, disertim tradunt PP. Cyprian: Epist: 52. *Scripsisti etiam,* ait, *ut exemplum earumdem Litterarum ad Cornelium transmitterem, ut sciret te secum, hoc est cum Catholica Ecclesia communicare:* ubi in mente S Martyris communicare cum R. Episcopo, idem est ac communicare cum Catholica Ecclesia.

Pag: 77.

Tom: 2. p. 91. E.

S. Ambrosius Lib: de excessu fratris sui Satyri, c. 37. *Advocavit ad se Episcopum... percontatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum R. Ecclesia conveniret?* Adeo scilicet Catholicorum omnium animis alte insederat hæc sententia, communionem cum R. Ecclesia necessariam esse, ut quis Catholicus audire posset.

S. Hieron. Epist: 14. ad Damasum S. Pontificem de hypostasis nomine, an scilicet una, vel tres in Deo hypostases dicendæ sunt. *Ego,* inquit, *beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram, ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prefanus est... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit.*

Patribus dispersis concinunt generales Synodi. Sic c. iv. Act: *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem & observantes ejus omnia constituta, speramus ut in una communione quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra & vera Christianæ Religionis soliditas.*

Tom: 8. Conc: p. 989. C.

Obj: 1°. Meletius Antiochenus communione Damasi S. Pontificis non fruebatur; unde S. Hieronymus mox dicebat: *Non novi Vitalem, Meletium respuo:* atqui tamen Meletius magnâ fidei & sanctitatis laude & vivens & mortuus floruit; ergo potest quis extra com-

munionem R. Pontificis, & veram fidem profiteri, & sanctitatem adipisci. R. dist: ant: Meletius communione Damasi non fruebatur, ante initam cum Paulino pacem, esto: post initam concordiam, N. Meletius & Paulinus de primatu in Sede Antiochena simul contendebant: uterque numerosam illam regebat in communi plebem: en discordiæ seminarium. Tandem pax eâ conditione inter eos inita, ut alterutro demortuo, qui superesset solus remaneret Antiochenus Episcopus. Esto igitur ante redditam illam pacem Meletius Damaso suspectus fuerit & ejus communione privatus; at saltem initâ pace in communionem Damasi admissus fuit. Dixi, *Esto*; Res enim apud eruditos incerta est. Unde cùm S. Hieronymus dicebat se Meletium respuere; vel dubius erat de illius fide ac communione cum Damaso; vel saltem loquitur de tempore quod antecessit initam inter Meletium & Paulinum concordiam. De facto S. Cypriani dicemus tom 6,

Obj: 2°. Qui injuste errore facti ab externa Ecclesiæ communione pelluntur, ii nullum inde spiritale damnum patiuntur. R. Eo in casu pertinent illi ad Ecclesiæ animam, tametsi à corpore seu societate fidelium visibili exclusi sint: de hujusmodi fidelibus adi Augustinum, Libro de vera Religione c. 6. n. 11.

Obj: 3°. Cùm vacat Sedes R. vel per mortem Summi Pontificis, vel per schisma multorum de Pontificatu contendentium, servari non potest communio cum Ecclesia Romana. R. Ubicumque degat legitimus R. Pontifex, ibi stat R. Sedes. Eo autem mortuo, Cathedra principalis remanet, in qua S. Petrus sedem fixit, & à cujus communione recedere non licet. Cùm vero tempore schismatis dubius est legitimus Pontifex, Cathedræ Petri eo animo ità inhærendum semper, ut paratus sis futuro legitimo pontifici obtemperare.

ARTICULUS VII.

De visibilitate Ecclesiæ.

Quæstio est in præsenti an Ecclesia, non quidem secundum animam, seu caritatem, quæ soli Deo nota est, benè verò secundum suum statum exteriorem, seu secundùm corpus, & quatenus societas est eorum, qui publicâ ejusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum, & Pastorum communione conjuncti sunt, visibilis sit, id est, ut hîc intelligimus, tam conspicua, ut

non à filiis solum & domesticis, sed ab extraneis etiam, & iis qui sunt extra ejus sinum & societatem, dignosci possit. Asseruerunt aliquando, aliquando negârunt Reformati. Nunc autem passim volunt, Ecclesiam visibilem esse, sed ita tamen ut fermè extincta fuerit certis temporibus. Sit

Conclusio I. Ecclesia ita est visibilis, ut semper oculis omnium conspicua fuerit.

Prob: 1°. Quia constantem hanc Ecclesiæ visibilitatem prædixerunt Prophetæ, docuit Christus, confirmaverunt Apostoli: 1°. Eam prædixerunt Prophetæ, Isaiæ 2. v. 2. Ecclesia montis nomine proponitur, qui ab omnibus possit conspici. *Erit*, inquit, *in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Quem montem S. Hieron: in hunc locum explicat de Ecclesia. Danielis 2. v. 34. & 35. Lapis qui percussit statuam, dicitur *factus mons magnus, & implevisse universam terram.* Quem locum de Christo & de Ecclesia intelligit pariter S. Hieron. Psal: 18. Ecclesia comparatur Soli. *In Sole posuit tabernaculum suum.* Quod de Ecclesia interpretatur S. Aug: Tract: 2. in Epist: S. Joan: *Ibid: p. 1081.* *Tom: 3. part: 2. p. 838.*

2°. Christus docuit visibilem esse suam Ecclesiam: C. 1°. Parabolis quibus eam expressit, *areæ, agri, sagenæ;* 2°. Cùm in ea Pastores instituit: Matth: 5. *Vos estis sal terræ... Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita... sic luceat lux vestra, &c.* 3°. Cùm ipsam *supra petram ædificandam* promisit. Hinc enim sequitur, Ecclesiam visibilem esse, non minus quàm ædificium super petram; 4°. Cùm jubet adiri Ecclesiam, hoc est, superiores Ecclesiæ, ubi fraterna correctio privata nihil proficit. At quomodo adiri potest, si sit invisibilis? Denique cum in ea instituit Sacramenta visibilia, quorum communi participatione, tanquam certissimi vinculo, inter se & cum Capite Christo colligantur fideles. *Matt: 18.*

3°. Apostoli idem docuerunt; sic S. Paulus Ephes: 4. ait, Christum dedisse Ecclesiæ suæ *Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi... ut non circumferamur omni vento doctrinæ.* Quæ certe omnia perfici non possunt absque mutuis inter Pastores & oves officiis & notitiâ, quâ se mutuò noverint.

Prob: 2°. ex Patribus. Origen: Hom: 30. in Matt. *Ecclesia*, inquit, *plena est fulgore ab Oriente usque ad*

Occidentem. S. Cyprian: de unitate Ecclesiæ: *Ecclesia Domini luce perfusa est, per orbem totum radios suos porrigit:* S. Chrisost: Homil: 4. in c. 6. Isaïæ: *Facilius est Solem extingui, quam Ecclesiam deleri.* Denique S. Aug: ut alios omittam, passim contra Donatistas, qui Ecclesiam in solis Africæ plagis aspectabilem esse volebant, eam toto Orbe conspicuam esse omnibus ostendit. Sic ille Tract: 1. in Ep: Joan: n. 13. *Numquid non sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei, sicut quis digito ostendit lunam? Nonne aperta est? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahæ, in semine ejus benedicī omnes gentes? Ecce Mons implens universam faciem terræ: ecce Civitas de qua dictum est; non potest civitas abscondi supra montem posita.* Non egent hæc S. Doctoris verba commentario, adeò sunt per se manifesta.

Probatur 3°. Momentis Theologicis Ecclesia eo præsertim fine à Christo est instituta, ut sit columna & firmamentum veritatis: hæreses nempe quantum fieri potest, destruendo. Deinde tenentur omnes sub periculo æternæ damnationis adjungere se veræ Christi Ecclesiæ, & in ea usque ad finem perseverare: atqui hæc fieri non possunt in Ecclesia invisibili.

Obj: 1°. Scriptura videtur significare Ecclesiam totam esse spiritualem, ac proinde invisibilem. Sic I. Petri 2. 5. *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo;* ergo. R. ad 1. neg: ant: ad 2. R. cum Estio in hunc locum, Ecclesiam dici spiritualem domum, *non quod secundum se sit occulta & invisibilis... sed ad differentiam domus materialis quæ ex materia merè corporali constat;* vult enim S. Petrus Ecclesiam non esse domum ex lapidibus & lignis ædificatam, sed ex hominibus Deo consecratis.

Obj: 2°. Quod est fidei objectum conspici non potest: atqui Ecclesia est fidei objectum; ergo.

Præterea, ità fuit aliquando turbata Ecclesia, seu persecutionibus, seu hæresibus, ut certe tunc non videatur fuisse visibilis.

R. ad 1. dist: Quod est fidei objectum conspici non potest sub ea ratione, sub qua creditur, C. sub alia ratione N. Sic. v. g. Baptismus quatenùs est absolutio exterior, cernitur; quatenus vero Sacramentum, creditur; *Credo unum Baptisma.* Similiter videmus eum hominum cœtum, qui est Ecclesia, eumque cognitione sensibili dignoscimus ex professione fidei, cultu exter-

no, & Sacramentorum participatione, & Pastoribus subjectione; ac quod cœtus ille hominum vera sit Christi Ecclesia, non vidimus sed credimus; hinc illud Symboli: *Credo sanctam Ecclesiam, &c.*

Ad 2. Semper visibilis est & conspicua Ecclesia, seu cum floret, seu cum affligitur: imo nunquam illustrior visa est, quam ubi vel persecutionibus Ethnicorum, vel Hæreticorum disputationibus impugnata fuit.

CONCLUSIO II. Prædicta visibilitas quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est, convenit societati Catholicorum, non vero Protestantium.

Prob: 1. pars: Visibilitas quæ propria est Ecclesiæ Christi, consistit in eminenti quâdam, & permanenti claritate inter alias societates, per totum orbem omnibus conspicuâ: atqui Catholica societas habuit 1°. Splendidam hanc claritatem: tùm in suis Pastoribus, præsertim R. Pontificibus, ex quorum successione non intermissâ post Petrum, nec unquam deinceps intermittendâ, SS. Patres veritatem & perennitatem Ecclesiæ demonstrant: Tùm in suis Conciliis, seu generalibus seu particularibus, in quibus & fidei controversias composuit & Ecclesiasticam disciplinam stabilivit: Tùm in debellandis Hæreticis, atque è sinu suo ejiciendis iis qui monita sua & definitiones contemnebant. Quotquot enim hactenùs fuerunt priores hæreseon architecti, è societate Catholicorum prodierunt. 2°. Habuit claritatem permanentem; quia nullum assignari potest ab adversariis tempus, in quo non fuerit visibilis illa cum nostro Capite Pontifice R. communio; 3°. Habuit claritatem Orbi toti conspicuam, nimirum & Ethnicis ipsis, cùm Aurelianus Imperator Episcopalem Pauli Samosateni domum ei dari voluerit quicum R. Episcopo communicaret; & hæreticis ipsis, qui eo usque Catholicam Ecclesiam norunt, ut nomen ejus usurpare non ausint.

Prob: 2. pars: illa societas non est eminenter, continuò & ubique visibilis, quæ suæ visibilitatis argumenta nulla proferre potest iis temporibus quæ præcesserunt Reformationem: atqui talis est societas Protestantium. Dicant enim nobis ubi erat hæc societas ante Lutherum & Calvinum. An proferent Berengarium ejusque sectatores? At non ignorant eos statim ab universa Ecclesia damnatos fuisse. An Petrobrussianos, qui seculo 12. in quibusdam partibus Occitaniæ & Vasconiæ degebant? At ii docebant, inutilem esse parvu-

Variat: l. 1. p. 480.

lis Baptismum, non esse ædificanda templa; quæ omnia non probant reformatores. An Valdenses? At ii hinc quidem docebant, nullum esse Sacramentum ab improbo Ministro collatum; nihil prodesse Baptisma infantium; communem esse Ministris Ecclesiæ & Laïcis etiam fœminis verbi prædicationem; omne juramentum esse mortale peccatum, &c. inde verò nusquam ante Lutherum negarunt præsentiam realem & transubstantiationem. An Albienses? At hi vetus & novum Testamentum reijciebant; Christum non esse natum ex Virgine, nec pro hominibus passum, nec à mortuis surrexisse; nullam esse in Baptismo remissionem peccatorum, asserebant. Hæcne portenta ferent nostri Reformatores? An Wiclefitas? At Wiclef in Trialogo negat certitudinem prædestinationis; ac docet adorandam esse Eucharistiam, Matrimonium esse Sacramentum, Sanctos esse invocandos & honorandas eorum imagines, esse Purgatorium. An Hussitas? At Joannes Hus disertè admittit necessitatem Confessionis, Sacrificium Missæ, realem Christi præsentiam in Eucharistia, Sanctorum invocationem; quæ omnia uti totidem errores exhorrent Reformati. An demum Fideles occultos, qui in medio communionis Romanæ degebant? At fictitii sunt id genus fideles. Debebant enim hi aut nunquam publicis Officiis interesse, aut stare, dum Catholici adorabant genibus flexis Hostiam; nunquam vel Litaniis, vel Supplicationibus adesse; alioqui idololatriæ participes fuissent; nunquam ad sacram Synaxim accedere, extremam Unctionem aut Viaticum accipere. At quis fingat id à Catholicis tunc toleratum fuisse? Denique, si occulti erant tunc temporis illi fideles Reformatorum nostrorum prodromi; ergo vera est nostra Conclusio, eorum nempe societatem perpetuò visibilem non fuisse. Merito igitur ab ipsis postulare, idem jam possumus, quod ipsimet an. 1571. ab Anabaptistis postulabant, ubinam erat eorum societas usque ad an 1522. quo primum visi sunt eorum doctrinæ autores?

ARTICULUS VIII.

De perpetuitate seu indefectibilitate Ecclesiæ.

Fatentur Reformatores Ecclesiam non posse omnino extingui: at volunt eorum non pauci hanc aliquando latere posse, & de facto olim latuisse. Idem Berengario visum est. Etsi autem error iste ex mox dictis abundè confutetur: sit tamen.

CONCLUSIO. Ecclesia Christi visibilis nunquam defecit, nec unquam est defectura.

Prob: 1°. Quia perpetuam fore Ecclesiæ durationem prædixêre Prophetæ, promisit Christus, Apostoli declararunt. Et 1°. Id prædixerunt Prophetæ. Isaïæ 61. (quod caput intelligi de Ecclesia novi Testamenti docuit Christus Lucæ 4.) dicitur: *Fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum; & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Danielis 2. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Micheæ 4. *In novissimo dierum erit mons domûs Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles; & fluent ad eum populi.* Et Psalm: 88. *In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli.* Undè sic: prædicti textus de Ecclesia constanter intellecti fuêre: atqui iidem textus perennitatem Ecclesiæ demonstrant. Ubi enim est fœdus, quod omnes intuentur, ubi est Regnum splendidius ceteris quæ hactenus floruerant Imperiis; ubi domus Domini stat in vertice montium, & splendet sicut dies cœli, idque in æternum; ibi profectò est aliquid visibiliter perenne: atqui, &c.

2°. Eandem permanentiam Ecclesiæ suæ promisit Christus, Matth: ult: v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Quibus verbis duo spondet Christus: primum, Apostolos ad consummationem usque seculi esse permansuros, in eorum scilicet successoribus nunquam defuturis: alterum, se ipsis, seu Ecclesiæ suæ semper adfuturum jugi Spiritûs sancti influxu; atque ut statim promissi fidem impleat, verbo de præsenti utitur: *Ecce ego vobiscum sum.* Eò tendit similitudo petræ super quam aït se suam *ædificaturum Ecclesiam;* ut ejus inconcussam firmitatem significet: undè subjungit statim, *Adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.*

3°. Apostoli eandem Ecclesiæ perennitatem declararunt, Ephes: 4. *Ipse* (Christus) *dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c. Ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* Hìc loquitur Apostolus de ministerio per Pastores exercendo usque ad consummationem

mationem seculi: atqui Ministerium illud haud dubiè visibile est; cùm in prædicatione seu doctrinâ, & in administratione Sacramentorum maximè positum sit.

Prob: 2°. ex SS. Patribus: Chrisost: Homil: *cùm de ex pulsione ejus ageretur, Christi Ecclesiâ,* inquit, *nihil fortius; si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est: tale est enim velut si cœlo bellum meditetur inferre... fortior enim Ecclesia multò quàm terra, imò & fortior cœlo. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Idem Hom: de eo quod scripsit Isaïas, factum est anno quo mortuus est Osias. *Jactatur,* inquit, *navis, at non mergitur. A quàm multis oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa? Quot tyranni, quot Duces, quot Imperatores? Augustus, Tiberius, Caius, Clàudius, Nero, homines litteris ornati, tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non dejecerunt.*

Edit: Paris: 1621. Tom: 3. p. 866. D.

S. Hilarius L. 7. de Trinit: n. 4. *Hoc Ecclesiæ proprium est, ut tunc vincat, cùm læditur; tunc intelligatur, cùm arguitur; tunc obtineat cum deseritur.* S. Ambrosius L. de Salomone cap: 4. *Navem Ecclesiam debemus accipere... quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpè vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, id est, in Cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est duodecim Apostoli.*

P. 917. B. C.

S. August: in Psalm: 101. concione 2. disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse dicebant, & in solis quibusdam justis in Africa remansisse, hæc habet: *Sed,* inquiunt, *illa Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es. Vide, ne tu ideò non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam prævidit Spiritus Dei.*

N. 4. p. 1105. D.

Prob: 3°. Hâc ratione: Si Ecclesia aliquando defecisset aut defectura esset, via salutis, quæ nemini patere potest nisi per Ecclesiam visibilem, esset tunc omnino impossibilis: nemo enim ingredi potest in societatem quæ ignoratur quo loco sit constituta: atqui fieri non potest ut via salutis impossibilis evadat.

Obj: 1°. Ecclesiæ defectibilitas prædicta est, 1°. Daniel: 9. *Deficiet & hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio;* 2°. Lucæ 18. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* 3°. II. Thessal: 3. *Nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati*, id est, Antichristus; ergo peribit Ecclesia tempore Antichristi.

R. neg: ant: ad 1. Prophetia Danielis intelligenda est de eversione Jerusalem & cessatione sacrificiorum veteris Synagogæ. Ità explicat Christus, Matth: 24. v. 15. & SS. Patres, Hieron: Chrysost: &c. porrò non eadem est Ecclesiæ quæ Synagogæ conditio: hæc instituta donec veniret *expectatio gentium:* illa super Petram fundata est usque ad consummationem seculi.

Ad 2. Loquitur ibi Christus vel de quadam eximia fide, quæ montes transferre valeat, quæ quidem in paucissimis occurret ultimis diebus; vel de fide formata per caritatem, quæ *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet* in multis, ut aït Christus Matth 24. ità Hieron: Aug: &c.

Ad 3. per discessionem, de qua loquitur Apostolus, vel intelligitur ipse Antichristus, qui eò loci vocatur *discessio*, per figuram metonymiæ, quia nimirum erit causa cur multi discedant à Christo: quo sensu exponunt S. Chris: Theodoret. Theophyl: & alii Græci, quibus accedit S. Aug: Lib: 20. de Civ: Dei c. 19. vel intelligitur defectio à fide. Si 1. nihil inde contra nos: Aliud est enim quod veniat Antichristus, magnæ seductionis Autor; aliud quod tota pereat Ecclesia. Si 2. defectio de qua loquitur Apost: non potest esse generalis, præsertim in adversariorum sententiâ: illi etenim docent jam venisse Antichristum, quem putidissimè aïunt esse R. Pontificem, & tamen non fatentur omnes fideles à fide defecisse, cùm & ipsi suo judicio fideles sint. Adde tunc futurum, juxta plures: ut convertantur Judæi, imò & gentes quæ hactenus Evangelio non crediderant.

Inst: saltèm defecit non tantum Synagoga, sed & Ecclesia. 1°. Tempore nativitatis Christi quando tantùm Maria & Joseph, Zacharias & Elisabeth, Pastores, Simeon, Anna & pauci alii credebant; 2°. Quando tota Judæorum natio à Christo defecit; 3°. Cùm Apostoli moriente Christo, ab ejus fide defecerunt; & *omnes scandalum* passi sunt. *Matth: 26.*

R. ad 1. Ecclesiam visibilem fuisse in justis de quibus

loquitur objectio. Ii enim publicum veritati testimonium perhibebant. Ceterùm vigebat tunc Synagoga, & intra ipsam salvari poterant Judæi.

Ad 2. Tempore mortis Christi periit Judaïca Religio, quia eò usque durare tantùm debebat. Vid: Tract: nostrum de Legibus.

Ad 3. Fuit in Apostolis defectus constantiæ; non fidei. Quanquam enim paulò tardior in ipsis fuerit fides circa resurrectionem Christi (putabant enim Christum figuratè loqui, *nec intelligebant quæ dicebantur*) non tamen planè fuit in ipsis extincta. Deinde tunc temporis nondum Apostoli Episcopi fuerant constituti, nondum uberiori Spiritûs sancti gratiâ confirmati; non ergo mirum si quid humani passi sunt.

Luc: 18.

QUÆSTIO TERTIA.

De autoritate Ecclesiæ in rebus fidei.

Multa hìc discutienda veniunt; 1°. An & quis sit supremus judex controversiarum fidei? 2°. Quibus modis Ecclesia suam in rebus fidei dijudicandis autoritatem exercuerit: 3°. An Ecclesia possit aliquando errare in causis fidei & morum definiendis? 4°. An major Episcoporum summo Pontifici adhærentium numerus, paucis ex adverso reclamantibus, in fide errare possit; 5°. An & quæ unanimitas suffragiorum in Episcopis necessaria sit, ad inconcussam definitionis autoritatem? 6°. Quale sit à Christo institutum regimen Ecclesiæ?

ARTICULUS PRIMUS.

Quis Judex controversiarum fidei?

Not 1°. Tanti momenti est præsens de Judice controversiarum quæstio, ut omnibus, quas cum Hæreticis habemus dissolvendis controversiis una sufficere debeat. Quippe si Ecclesia infallibilis est controversiarum fidei Judex, supremo ejus judicio standum est, & ipso pronuntiante Christo, *sicut Ethnicus & Publicanus habendus, qui Ecclesiam non audierit*. Hinc Hieronym: adv: Lucifer: *Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ Sole siccare*, Hinc & Aug: Lib: de quantitate animæ c. 7. n. 12. *Autoritati credere magnum compendium est & nullus labor.*

Matth: 18.

Tom: 1. p. 406. F.

Not: 2°. Quæstio inter nos & Novatores non est, utrùm admittendus sit aliquis Judex controversiarum, neque utrùm Scriptura sit fidei nostræ regula; utrumque omnes agnoscimus: Sed quæstio est an sola Scriptura, quam illi per se claram esse affirmant, sit controversiarum Judex; & ubinam Spiritus ille divinus, verus Scripturarum interpres, officium illud interpretis exerceat?

Catholici omnes sentiunt Spiritum illum certo in Ecclesia esse: *Vobiscum sum omnibus diebus.* (*Matth:* 28. *v.* 20.) Novatores è contra negant illum Episcopis, seu Ecclesiæ, vel ulli hominum generi alligatum esse, ideoque contendunt unumquemque judicem esse debere, sive spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat; sive alicui alteri, maximè vero electis & prædestinatis, quos unctio interius docet, adhærendo quos eodem dono præditos viderit.

CONCLUSIO. Neque sola Scriptura, neque privatus spiritus, sed sola Ecclesia supremus est controversiarum fidei Judex.

Prob: 1. pars: 1°. Lex obscura & ad intelligendum difficilis, quæ in varios & contrarios sensus trahitur, non potest sola absque Judice infallibili subnascentes de fide controversias definire: atqui Scriptura sacra obscura est, &c. Major constat, quod enim varios in sensus trahitur, litigantibus quidem arma præbet: at lites per se non terminat. Unde Aug: Lib: 7. de Gen: ad lit: c. 9. n. 13. (*Tom:* 3. *part:* 1. *p.* 215. C.) *Omnes Hæretici Scripturas Catholicas legunt; nec ob aliud sunt Hæretici, nisi, quod eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.* Et Vincent: Lirin: common: c. 2. *Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter alius, atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, &c. exponit.... Atque idcirco multùm necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur.*

Prob: itaque min: 1°. Ex Script: S. Petrus II. Ep: c. 3. loquens de Epistolis S. Pauli, ait, *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Ubi notandum est,* ait Bellarm: Lib: 3. de Verbo Dei, (*T.* 1. *p.* 52. H.) *Apostolum Petrum non dixisse, esse quædam*

difficilia indoctis & instabilibus, ut Hæretici exponunt, sed difficilia absolutè: atqui si tam clara foret Scriptura, quî fieret ut indocti eam tam facilè in suam perditionem depravarent? Et verò discipuli euntes in Emaüs non intellexerunt Scripturas, nisi eas ipsis exponente Christo. Eunuchus Reginæ Æthiopum rogatus à Philippo an intelligeret Isaïam Prophetam, respondit: *Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?*

Luc: 24.

Act: 8.

Prob: 2°. Si tam perspicua est Scriptura, ad quid tot interpretationes? Unde inter novatores tanta circa nonnullos Scripturæ textus dissensio? Numerantur apud ipsos 80. Interpretationes variæ istorum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*. Clara ista videntur Luthero, ad stabiliendam realem præsentiam; ex adverso clara videntur Calvino ad eam rejiciendam. Quis litem hanc inter eos componet? Scriptura? At de illius sensu controvertitur, & quisque eam ad se inflectere nititur.

Prob: 3°. ex PP. Origenes Lib: 7. contra Celsum: *Alii quoque cordati viri*, ait, *scrutando scripturam intellectum ejus invenire potuerunt, licet reverà sit multis in locis obscura*. S. Ambrosius Ep: 2. *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum enigmatum*. S. August: Lib: 2. de Doct: Christiana c. 6 *Multis & multiplicis obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur qui temerè legunt aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur non inveniunt, obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt.*

T. 1. p. 755. CD. Tom: 3. part: 1. v. 21. C.

Prob: 4°. Ut Scriptura sit omnium fidei controversiarum Judex, necessum est ut ante omnia solvat controversias, tùm circa ipsam textûs intelligentiam; tùm circa sensum ejusdem textûs: atqui neutrum præstare potest Scriptura sola. Non 1. hæ enim moveri possunt, & reipsâ olim motæ sunt de ipso Scripturæ textu quæstiones, an textus, quem vocamus Scripturam, genuinum sit Dei verbum? An Autographis Prophetarum & Apostolorum conformis? An purus ad nos defluxerit; vel Judæorum aut Hæreticorum fraudibus corruptus? An hujus textûs versiones quâ par est fide legitimum primigenii exemplaris sensum referant? An denique hi vel illi Libri Canonici sint, vel non? Ut enim uni puncto hæream, Lutherus è Canone rejicit Epistolam ad Hebræos; Epistolam S. Jacobi, Apocalypsim; quos Libros admittit Calvinus. Quis, quæso, Judex erit inter illos? An confugient ad illos

divinitatis radios, quos in genuinis Scripturis splendescere affirmant? At radios illos non deprehendit Lutherus; non ergo ità fulgidi sunt ac Calvino videntur. At ad interiorem unctionem spiritûs, qui modestos & humiles docet, non alios: ergo vel Luthero, vel Calvino ea defuit animi demissio quæ necessaria est ut advocetur interior spiritûs unctio. An ad Traditionem & Canonem Judæorum? Ergo alium in hac causa Judicem, quàm Scripturam agnoscunt, Canonem scilicet Judæorum.

Non 2. de quo lis potior. Unde hactenùs Novatores Scripturam in contrarios sensus distrahunt: v. g. verba ista, *Hoc est corpus meum*, Lutherani ad præsentiam realem, Calvinistæ è contra ad solam præsentiam metaphoricam inflectunt. Hæc pariter, *Ego & Pater unum sumus*, Calvinus interpretatur de unione duntaxat morali affectûs & voluntatis. Attamen interpretationem hanc vulgò reijciunt Calvini discipuli, tanquam falsam & periculosam; imprimis Joannes Mestrezat Parisiensis Pseudo-Minister. Denique, ut alia penè infinita hujusce generis omittamus, id Christi Joan: 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, quibus Catholici omnes adversùs Arianos invictè usi sunt, Calviniani quidam explicant de præexistentia, non reali, sed quantùm ad destinationem, seu decretum Dei, eo ipso sensu quo Christus dicitur *Agnus occisus ab origine mundi:* atqui diffidia hæc non compescet Scriptura, quæ lex est mortua, quæque silet cùm in varios sensus torquetur; ergo necesse est confugere ad vivam ac spirantem regulam, quæ legitimum Scripturæ sensum aperiat & figat; *Ergo*, aït Tertul: de Præscript: c. 14. *non ad Scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ.*

Joan: 10. v. 30.

Ibid: C. D.

Prob: 5°. Fide credimus, 1°. Validum esse Baptisma collatum ab Hæreticis; 2°. Patrem esse ingenitum; 3°. B. Virginem perpetuò virginem permansisse; 4°. Infantes Baptismi capaces esse, ac baptisandos; atqui hæc & alia id genus non pauca nullibi expressè tradita sunt in Scripturis; ergo Scriptura sola omnium fidei controversiarum Judex esse non potest.

Prob: 2. pars: nempe spiritum privatum assignari non posse tanquam Judicem controversiarum fidei. Prob: inquam, 1°. Quia lex fidei debet esse publica & nota, pro natura Ecclesiæ quæ societas est visibilis & conspicua; debet esse una, non multiplex; constans,

non varia: atqui longe ab his conditionibus distat spiritus ille privatus Novatorum. Occultus ille est ac latens: non videtur, non auditur, sicut videri debet & audiri à partibus litigantibus Judex qui sententiam pronuntiat. Varius est, multiplex, contrarius, cùm Luthero suggesserit aliquos è Canone Ecclesiastico libros expungendos esse, quos tamen admitti debere idem spiritus Calvino inspiravit. Pariter verba ista, *Hoc est Corpus meum,* ad sensum præsentiæ realis Luthero, è contra Calvino ad sensum præsentiæ spiritualis duntaxat interpretanda esse prætensus ille spiritus suggessit, &c.

Prob: 2°. Judex debet habere autoritatem coactivam: alioqui nihil prodesset ejus judicium, maximè adversùs, eos, qui non amore justitiæ, sed metu pœnæ à malo retrahuntur: atqui privatus spiritus autoritatem illam non habet. Ecquî enim Lutherus Calvinum coget ut Apocalypsim rejiciat; & Lutherum Calvinus ut institutionis verba de præsentia merè spirituali interpretetur?

Prob: 3°. Multi sunt rudes & imperiti cujuscumque discussionis, in rebus fidei, planè incapaces, ut ipsimet candidè fatentur: atqui tamen hi etiam salvari possunt; ergo necesse non est ut omnes & singuli judicent de quæstionibus fidei,

Prob: 4°. Si spiritus ille revelans privatus esset judex, præcluderetur via conversioni Hæreticorum, nec ullæ controversiæ unquam terminari possent. Nam nemo est hæreticorum qui spiritum suum non præponat spiritibus aliorum. Et sicut II. Paralip: 18. cùm diceret Michæas Prophæta Domini, se loqui in nomine Domini, Pseudoprophetas autem agitari spiritu mendacii respondit ei Sedecias Pseudopropheta, *Per quam viam pertransivit spiritus Domini à me, ut loqueretur tibi?* Ità si Lutheranus diceret, Ità mihi spiritus revelat, responderet Socinianus, *& per quam viam, &c.*

Prob: 3. pars, Ecclesiam esse videlicet supremum Judicem controversiarum fidei. Prob: inquam, 1°. Quia necessario admittenda est in Ecclesia Christi regula viva, quæ supremo Judicio enatas de rebus divinis controversias dirimat: atqui regula ista seu Judex non potest esse Scriptura, neque spiritus revelans privatus; ergo est ipsamet Ecclesia, id est, Summus Pontifex, Episcopi, sive in Concilio, sive extra Concilium, quos *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Prob: 2°. Quia nisi autoritatis vinculo retineatur humana mens, nihil erit in Religione fixum, unusquisque in sensu suo abundans ad arbitrium dogmata fidei definiet, quæ tot futura sunt, quot erunt hominum capita; neque enim privatus quilibet id juris habet, ut alios in sententiam suam pertrahat: hinc æternas esse oportebit excitatas circa Religionem controversias.

Prob: 3°. ex PP. S. Irenæus, L. 3. adv: hær: c. 4. *Non oportet*, inquit, *adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere.* S. Aug: Lib: 1. contr: Crescon: c. 33. *Scripturarum etiam à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas.* Idem L. contra Epist: fundam: cap: 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret autoritas.* *Ibid: F.* *Tom: 8. p.* 154. A.

Obj: 2°. Qui à solo Deo per unctionem internam edocentur, non indigent edoceri ab Ecclesia: atqui Christiani... Prob: min. ex Isaïæ 54. *Ponam... universos filios tuos doctos à Domino.* Et I. Joan: 2. v. 27. *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus docet vos de omnibus;* ergo. R. neg: maj: ad sensum objectionis. Scilicet enim allati textus id unum sibi volunt: Deum nempe non ampliùs in lege nova, sicut in veteri contigit, homines docere per Prophetas, sed per Christum filium suum. *Multis modis*, ait S. Paulus, *Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*. Porrò Christus, qui per seipsum homines docuit, Apostolos, Pastores & Doctores à ministerio Verbi non exclusit, imò eos suæ dedit Ecclesiæ, Ephes: 4. v. 11. & seq: Verùm consuetudo est Scripturæ, ut quæ Deus principaliter facit, ea illi sic tribuat, ac si solus sinè instrumento faceret, eò quia ipse vim instrumentis ad operandum subministret. Unde simpliciter Apostolus aït: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et Christus ipse: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* *Hebr: 1. v. 1.* *I. Cor: 3.* *Matth: 10.*

Obj: 2°. Invitantur Christi ad scrutandas Scripturas, ut ab illis fidei & morum regulam ediscant. Joan: 5. *Scrutamini Scripturas*, aït Christus... *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* I. ad Thessal: 5. *Omnia probate quod bonum est tenete.* & I. Joan: 4. v. 1. *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo*

sunt: Atqui supponit invitatio hæc Scripturam solum esse fidei judicem. R. neg: min: & dico ad textum Joan: meritò ad scrutandas Scripturas eos remitti, qui factum negant in Scripturis expressum. Porrò Christus Joan: 5. disputat cum Judæis qui negabant illum esse Filium Dei; eosque revincit 1°. Testimonio Joannis Baptistæ; 2°. Testimonio miraculorum; 3°. Testimonio Dei Patris; 4°. Testimonio Scripturarum veteris Testamenti, *Scrutamini Scripturas. &c.* Jam verò Qui Scripturæ testimonium tot aliis testimoniis confirmat, ne minimum quidem indicat semper & ubique sufficere Scripturam; ergo plus nocet adversariis locus ille Joan: 5. quam faveat.

Ad id quod objicitur ex SS. Paulo & Joanne, dico utrumque loqui in hypothesi dubiæ ac incertæ revelationis. Scilicet multi fratrum tanquam prophetantium sermones circumferebantur, quos nec generatim contemni, nec etiam promiscue recipi jubent Apostoli: *Prophetias nolite spernere,* verum *omnia probate; quod verum est tenete.* Id est, omnia quæ dicuntur à fratribus tanquam cœlitus inspiratis, diligenter expendite: quidquid inveneritis sanæ doctrinæ consentaneum, id retinete. Ad quos autem Apostolus remittit, ut dijudicent fratrum sermones? An ad privatum quemlibet? neutiquam. *Prophetæ duo aut tres,* aït, *dicant & ceteri dijudicent,* nempe vel Prophetæ vel doctiores & alii præfecti. *Perfectorum enim est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discriptionem boni ac mali,* aït Apost: 5.

Obj: 3°. ex Apost: 2. Timoth: 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus;* ergo sufficiens est Scriptura. R. neg: conseq: quasi verò idem foret utile, ac sufficiens; & id omne sufficeret, quod est utile. Utilis est eleemosina ad salutem: an sola sufficit? Utilis est vetus Scriptura: an sola nobis sufficit? Apage nugas.

Inst: Apocal: 22. legitur: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in Libro isto. Et si quis diminuerit de verbis Libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vitæ:* Atqui in systemate nostro Ecclesia posset addere Scripturis: R. neg: min: Ecclesia enim sedula depositi custos textum Scripturæ ex officio exponit, non auget, non minuit.

Obj: 4°. Si Ecclesia de Scripturis judicat, Ecclesia est supra Scripturam. Pariter si Scripturæ sensus sine interpretatione Ecclesiæ non est authenticus; ergo verbum Dei firmitatem accipit ab Ecclesia: atqui falsum conseq: R. neg: maj Ecclesia enim tanquam certissimum habet ea vera esse, quæ in Scripturis exprimuntur: judicat ergo duntaxat de sensu Scripturæ legitimo; idque non pro nutu, sed juxta Traditionem: unde non sequitur, Ecclesiam esse supra Scripturas, sed tantum eam esse supra judicia privatorum hominum. Jam vero cùm Ecclesia de veritate eorum quæ in Scripturis continentur, non judicet, sed de vario, qui ipsis affingitur, sensu; constat Scripturam nihil ab Ecclesia roboris trahere: quippe Scriptura verior non est, quia sic ab Ecclesia exponitur; sed talis interpretatio Scripturæ est verior, quando ab Ecclesia confirmatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus modis judicet Ecclesia.

CONCLUSIO I. Ecclesia interdum judicat per Rom: Pontifices, quorum sententiæ subscribunt Episcopi.

Prob: multiplici exemplo. Sic enim in causa Paschatis, ante aliòs emicat Victor; in causa Baptismi Hæreticorum, Stephanus; in causa Mæcorum, Zephirinus; in causa Dionysii Alexand: Dionysius Romanus; in causa Donatistarum, Miltiades; in causa Athanasii, Julius; in causa Arianæ Hæreseos, Romani potissimùm Præsules Occidentem in fide statim retinent, Orientem ad fidem revocant. Jovinianum unus Siricius confodit, cujus judicium sequitur cum suis Ambrosius: *Recognovimus*, aït S. Doctor cum aliis Provinciæ Mediolanensis Episcopis in Epist: ad Siricium, *recognovimus, Literis Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam serves, & piâ sollicitudine Christi ovile custodias, dignus, quem oves Domini audiant & sequantur*. Hinc Summus Pontifex Agatho, non ad Sedis suæ ostentationem, sed ad salutem publicam sic ad Imperatores scripsit: *Petri adnitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à veritatis viâ in quâlibet erroris parte deflexa est, cujus autoritatem, utpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectantes, in cunctis secutæ*

Tom: 1. p. 965. E.

Tom: 6. Conc: p. 636.

sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi.

Atque hinc Præsules Gallicani 88. scribentes ad Innocentium X. contra famosas quinque Jansenii Propositiones, Epistolam suam ab istis verbis auspicantur: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est; quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus.* Cùm autem per hanc Episcoporum nostrorum agendi rationem violatas fuisse Ecclesiæ Gallicæ libertates conquesti essent Jansenistæ, quatuor eorundem propositiones in generalibus an. 1700. Comitiis proscripserunt Episcopi his verbis: *Hæ propositiones, quibus inquieti homines Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia æquissima & ab omnibus approbata apertè contemnunt; Episcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes incessunt maledictis, & causam hanc de integro retractari postulant, tanquam tot Constitutionibus Apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum consensu, causa nondum finita fuerit, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices & in universam Ecclesiam, schismaticæ & erroribus condemnatis faventes.*

Memoires du Clergé Tom: 1. p. 222.

Ibid: p. 717.

Conclusio II. Ecclesia ejus, quod habet causas Religionis dijudicandi, exercet per privatos Episcopos suis in Sedibus dispersos, sive extra, sive in Conciliis particularibus; sive per Literas, sive per consensum expressum aut tacitum.

Prob: Quia certum est multas hæreses extitisse, quæ privatorum Episcoporum Judicio statim proscriptæ sunt sine Conciliis. Ità docet S. Aug: Lib: 4. ad Bonifac: cap: ult: *Quasi*, inquit, *nulla hæresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit: cùm potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere potuerunt.* Et vero Menander, Ebio, Cerinthus, Nicolaïtæ, Carpocrates, Cerdo, Marcion, aliæque id genus pestes innumeræ, sine Conciliis damnatæ sunt. Unde illust: Bossuetius in defensione Declarat: Cleri Gallic: *Multas hæreses*, inquit, *ut sine Conciliis, ita sine speciali R. Pontificis definitione damnatas fuisse... Neque enim Ecclesiæ talem sententiam ex-*

T. 10. p. 152. F.

pectarunt, ut Manichæos, Ophitas, Tertullianistas, aliasve manifestè impias, sive obscuras levesque sectas per loca excitatas aut horrerent, aut contemnerent... Ergone, pergit, *singulares Ecclesiæ à quibus statim rejectæ sunt* (illæ sectæ) *ineluctabili autoritate gaudebunt? Minimè: sed profectò sic habet, semel constituto hoc certo dogmate, vim illam ultimam & ineluctabilem unitate & consensione constare; in quoque valere quocumque modo se illa consensio declaraverit; sive Concilia congregentur, sive non congregentur.* Hinc etiam sacra Parisiensis Facultas die 9. Febr: an: 1663. occasione Theseos M. Gabrielis Drouet de Villeneuve declarat, *Necessarium non esse absolutè Concilium generale, ad extirpanda quælibet schismata; & quaslibet hæreses, v. g. Pelagianam & Jansenianam, quas constat sufficienter extinctas absque Concilio generali; quod tantùm in aliquibus casibus dici potest necessarium.*

Neque vero ad obruendas hæreses requiritur positiva Episcoporum omnium reclamatio, sed sufficit tacitus plurium consensus, prout disertè docet Petrus Aurelius part: 1. p. 127. ubi sic: *Ad tam publicam veritatis proculcationem Ecclesia Catholica, atque imprimis Apostolica Sedes silere non posset. Non enim falsum esse unquam potest illud de Ecclesia Dei Augustini præconium, Ecclesia Dei quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit. Nec verum esse non potest illud verbum Apostoli; Non solùm qui ista faciunt, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus. Consentiunt autem dum publicè laboranti atque oppressæ veritati non succurrunt, qui debet, & qui ad hoc potissimùm in Ecclesiæ tribunalibus collocati sunt. Ergo cùm quiescunt, probant; cùm patiuntur, decernunt; cùm tacent, clamant... Satis consensu tacito clamat Ecclesia, cùm reclamare deberet, si dissentiret. Officio enim deesse, & veritatem prodere universa non potest.*

Ut tamen silentium Episcopale vim habeat positivæ consensionis, quædam requiruntur conditiones: Ima, Quod à lata definitione satis temporis effluxerit, ut præsumi meritò possit, eam ad Episcoporum notitiam pervenisse: silentium quippe de re incognitâ, nihil omnino probat. II. ut Decretum fidem aut mores, vel Disciplinam generalem spectet, & ad omnes Fideles tanquam regula ad observandum dirigatur. III. Ut lata definitio expresso consensu ab iis probata & re-

cepta sit apud quos nata est controversia. Vid: Tournel: hic p. 342. & 343.

Obj: 1°. Si ex silentio seu non reclamatione approbatio saltem tacita legitimè infertur, fatendum erit ab Episcopis Gallicanis approbatam fuisse Bullam Gregorii XIII. quæ dicitur, *In Cœna Domini*; Bullam pariter, *Unam Sanctam*, quæ est Bonifacii VIII. Bullam Gregorii VII. & aliorum Pontificum qui supremam Regum in temporalibus autoritatem oppugnavêre: non leguntur enim Gallicani Præsules adversùs Bullas hujusmodi reclamasse: Atqui absurdum consequens. R. neg: maj: Nemo quippe ignorat Philippum Pulchrum à Bulla Bonifacii VIII. ad Concilium generale provocasse, ejusque provocationi Ecclesiam ceterosque Regni Ordines solemniter adhæsisse. Imo Bulla Bonifacii revocata fuit per Clementem V. S. Pontificem.

T. 10. Concilior. p. 228. A. Adversùs Gregorii VII. molitiones Episcopos omnes Latinos insurrexisse, vel ipsemet testatur Gregorius in sua ad Germanos Epistolâ: *Quotquot Latini*, inquit, *omnes causam Henrici, præter admodum paucos, laudant ac defendunt, & pernimiæ duritiæ ac impietatis contra eum me redarguunt.* Et verò quæ viâ facti, non juris, fiunt, fluxa sunt & caduca, nec eam habent autoritatem, quâ possint fideles omnes ad obsequendum obstringere: nisi enim dogmatica statuta more Ecclesiastico fiant, hoc est, fusis ad Deum precibus, præmisso diligenti examine, accuratè discussâ Scripturæ ac Traditionis doctrinâ, consultis Episcopis, nisi promulgata & recepta fuerint, vim non obtinent Apostolicarum Constitutionum: nihil porrò tale deprehenditur in Bullis Bonifacii VIII. Gregorii VII. & aliorum qui autoritatem Regiam impetere sunt aggressi.

Quantùm ad Bullam, *In Cœna Domini*, duo certa videntur: 1°. Eam apud nos nusquam receptam fuisse. Imò Senatûsconsulto an. 1580. Cautum est sub pœna privationis bonorum temporalium, nè quis Archiepiscopus vel Episcopus eam promulgare præsumat, quod Juribus Regni & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversetur; 2°. Bullam hanc dogmaticam non esse, seu nullum, quod ad fidem pertineat, certum definire doctrinæ caput, sed meram duntaxat politiam decernere, latâ pro variis criminibus excommunicationis sententiâ. Unde inscribitur, *Litteræ processûs Gregorii XIII.* Accedit, quòd nequidem Romæ in omnibus Bulla hæc executioni demandari videatur, Articulo scilicet 20. ejusdem excommunicantur *qui occu-*

T. 2. Libert: Ec. Gall: p. 322.

pant vel detinent Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ & Corsicæ, &c. Atqui tamen ubi Romam adventant qui hisce Provinciis gubernandis præfecti sunt, ad participationem Sacramentorum, pariter cum aliis Catholicis admittuntur.

Pontas T. 1. v. Cas. 3.

Ex dictis à fortiori colliges Ecclesiam per Episcopos judicare, non in generalibus tantum, sed & in particularibus Conciliis, quæ postrema, si accedat Ecclesiæ consensus, vim habent irrefragabilem, ut patet Concilio Arausicano II.

ARTICULUS TERTIUS.

De infallibilitate Ecclesiæ in causis fidei.

Esse in Ecclesiâ ubique diffusâ passivam infallibilitatem, quâ fit ut tota fidelium societas nusquam errorem admittere possit, non diffitentur Novatores: at negant esse in Pastoribus etiam collectivè sumptis activam infallibilitatem judicii, quâ certè possint de fidei causis pronuntiare. Sit

CONCLUSIO. Ecclesia, sive per orbem universum diffusa, sive in Conciliis generalibus congregata, errare non potest in causis fidei & morum definiendis.

Prob: 1. pars, 1°. ex Scripturis: Math: 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ibid: c. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* I. Timoth: 3. *Est Ecclesia Dei vivi: columna & firmamentum veritatis.* Atqui si falsum docere possent omnes simul per orbem sparsi Ecclesiæ Principes, jam adversùs Ecclesiam prævalerent inferi portæ, &c. Tunc enim prævalerent portæ inferi, cùm & Pastores malè docerent: & populi malè crederent: atqui & Pastores male docerent ex hypothesi, & populi qui Ecclesiam audire tenentur, neque se eâ oculatiores reputare possunt, male crederent; ergo.

Prob: 2°. ex dictis anteà necesse est agnoscere in Ecclesia certum & ab omni erroris formidine liberum Judicem, à quo enatæ de Religione controversiæ decretorio judicio finiantur: atqui Summus ille controversiarum Judex non est, nec semper esse potest Concilium generale, 1°. Quia hujusmodi Concilia haud semper convocari possunt, vel convocata terminari, ut

patet ex Trid: quod ægrè admodum annis 19. absolutum est; 2°. Quia prioribus Ecclesiæ seculis hæreses supra 60 sine œcumenicis Synodis protritæ sunt; 3°. Quia alioqui serperet error in immensum, antequam obrui posset; 4°. Quia Christus *omnibus diebus* est cum Ecclesiâ suâ; ergo & cum eâdem est extra Concilia, quæ *omnibus diebus* haberi non possunt. Unde cùm D. de la Milletiere in Lib: cui titulus: *le Pacifique véritable*, docuisset solis Conciliis œcumenicis declarari unanimem Ecclesiæ consensum, sacra Facultas Paris: doctrinam hanc Censurâ istâ notavit: *Hæ Propositiones, in quantùm infallibilitatem Ecclesiæ universali, in nullo alio statu quàm in Concilio OEcumenico congregatæ tribuunt, & ipsam aliquo tempore legitimi usûs pœnitentiæ cognitione caruisse supponunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ & hæreticæ.* Et certè ideò Ecclesia Conciliis generalibus coacta, errare non potest in suis de fide ac moribus Decretis, quia Concilium OEcumenicum Ecclesiam universam repræsentat: An verò repræsentatio, & veluti quoddam totius Ecclesiæ compendium privilegio inerrantiæ gaudebit, & eo privabitur ipsamet realis & universalis Ecclesia, qualis ea est, quæ per orbem universum sparsa diffunditur? Atque id docent PP. supra passim citati.

Tom: 2. Oper: Gers: p. 1004.

Prob: 2. pars: Si enim ab omni erroris periculo tutum sit Judicium Episcoporum per orbem dispersorum; pariter ergo certum esse debet, cùm in conciliis congregantur. Tùm quia Ecclesiam ipsi universam tunc repræsentant; dum unusquisque eorum quæ sit Ecclesiæ suæ traditio declarat ac testatur. Unde Martinus V. in Conc: Constantiensi, de hæresi suspectos jubet interrogari: Num credant Concilium generale universam Ecclesiam repræsentare? Tùm quia Episcopis datum est regere Ecclesiam Dei, statuendo quæ ad fidem & mores pertinent: atqui vix plenius de istis tractant ac judicant Episcopi, quàm in Synodis congregati, ubi sese mutuis juvant, doctrinæ, & consiliorum præsidiis. Meritò igitur Episcopi in Conciliis congregati, his primi omnium Concilii verbis utuntur: *Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.* Act: 15. atque hinc S. Gregorius Mag: Epist: ad Joannem Episcopum CP. *Sicut,* inquit, *sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor ... quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.*

Tom: 2. p. 515. F.

Obj: 1°. Pugnant inter ſe Concilia, non tantum in diſciplina, quod omnes fatentur, ſed etiam in fide. 1°. Enim vox ὁμοούσιος, *conſubſtantialis*, quâ unâ fides Orthodoxa exprimitur, rejecta fuit à Concilio Antiocheno, an 272. tum à Nicæno I. generali, an. 325. conſecrata: & iterum ab altero Antiocheno, an. 341. à Sirmienſi, an. 351 ab Ariminenſi œcumenico ſi quod unquam fuit, an, 359. rejecta; 2°. Concilium Epheſinum an. 449. Eutychetis doctrinam approbavit, quam Chalcedonenſe poſteà, an: 451. damnavit; 3°. an: 553. Concilium generale V. à Vigilio S. P. confirmatum, multa ſtatuit, quæ à plurimis Occidentis Eccleſiis, præſertim à Gallicana, recepta non fuêre; nec propterea communione privatæ fuerunt iſtæ Eccleſiæ. At quâ ratione tolerari potuiſſet hæc reſiſtentia, ſi perſuaſum tunc temporis fuiſſet, œcumenica Concilia errare non poſſe? 4°. In Concilio Lugdunenſi I. an. 1245. haud dubie erravit Eccleſia, cùm ſibi arrogavit jus deponendi Imperatorem Fridericum II. 5°. An: 1414. Concilium Conſtantienſe, & an: 1431. Baſileenſe, utrumque œcumenicum, definierunt Concilium eſſe ſupra Papam: at iſtud dogma rejectum fuit à Conciliis Florentino & Lateranenſi V. & ab omnibus Italis impugnatur; ergo.

R. neg: ant: ad 1. dico Antiochenam cum Nicænâ Synodo non pugnare circa ſenſum orthodoxum vocis ὁμοούσιος. Meritò enim vocem hanc PP. Antiocheni rejecêre in ſenſu Pauli Samoſateni, qui Patri Filium conſubſtantialem dicebat, quomodò pars cujuſdam corporis, corpori à qua avulſa eſt, conſubſtantialis dicitur: unica enim & eadem eſt numero in tribus divinis Perſonis eſſentia. At contra Arium, qui negabat Filium ejuſdem eſſe cum Patre naturæ, meritò Nicæna Synodus definivit Filium eſſe Patri ὁμοούσιον, eamque vocem, quâ omnes Arianorum aſtutiæ elidebantur, conſecravit. Ità S. Athanaſius Lib: de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi. Hæc doctiſſim. Tournely.

Addimus nos vocem *conſubſtantialis* nunquam in Antiochena Synodo rejectam fuiſſe. Id quidem prædicarunt Semiariani 90 poſt eam Synodum annis & bonâ fide crediderunt Athanaſius & Hilarius, quos ejuſdem Synodi acta nuſquam legiſſe conſtat: verùm fieri nequit ut ea vox quæ novem aut decem annis ante Synodum Antiochenam à Dionyſio tùm Romano,

Tom: 1. part: 2. p. 759. A.

tùm Alexandrino publicè propugnata fuerat, tam impudenter proscriberetur. Vid: Gallicam Dissertationem de Semiarianis Luthætiæ an: 1722. apud Jacobum Vincent editam à D. Prud: Maran, Monacho Bened:

De Ariminensi Concilio dicemus infrà: cetera de quibus in objectione sermo est nihil inijciunt moræ, cùm & privata forent, & iis præessent Ariani hæretici.

Ad 2. Mirum est ab adversariis opponi Ephesinum Conciliabulum, quod norunt ab omnibus velut *Latrocinium Ephesinum* infamari, in quo vi & armis Dioscorus omnia jura subvertit; Flavianum CP. interfecit, Legatos S. Pontificis fugavit, inauditos Episcopos damnavit, Orthodoxos non admisit, ipsam Eutychetis hæresim approbavit. Tales Conventus Novatoribus nostris ultro dimittimus.

Ad 3. Antequam à majori Ecclesiarum parte recepta sit Concilii alicujus oecumenici autoritas, mirum videri non debet si nonnulli ejus definitionibus obluctentur, non ex dubio juris, sed facti: id est, non quod dubitent de infallibili autoritate Concilii verè oecumenici, sed quòd dubitent an tale Concilium verè sit oecumenicum. Atque hoc modo, illæsâ fide, multi quinto Concilio restitêre, quod illud pro oecumenico non haberent: atque prudenti oeconomiâ erga ipsos agendum esse censuit aliquando S. Gregorius Magnus, donec tandem ubique cognitâ hujus Synodi autoritate, licitum amplius non fuit ipsi obluctari.

Ad 4. dico, sententiam depositionis in Fridericum latam, uni Innocentio esse imputandam, non toti Concilio: quapropter deliberatio illa totius Concilii de qua loquitur Innocentius, referenda est ad discussionem criminum quorum accusabatur Imperator, non ad ipsius depositionem. Sed de his infrà q. 5. art: 4.

Ad 5. Stat quidem apud nos Gallos firma Conciliorum Constantiensis & Basileensis autoritas; immota pariter manent eorum Decreta pro superioritate Concilii supra Pontificem: at cùm ab omnibus pariter pro verè oecumenicis ea non habeantur, mirum esse non debet si multi ab hâc doctrina recedant, quos, absit ut tanquam Hæreticos traducamus. Falsò supponitur à Concilio Florentino rejectum dogma Concilii Constantiensis de superioritate Concilii supra S. Pontificem; id equidem fecit Lateranense Concilium, at illud minimè inter oecumenica recensemus.

Obj: 2°. S. Gregor: Naz: Ep: 55. sic loquitur:

Ego, si vera scribere oportet... nullius Concilii finem lætum & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quàm accessionem & incrementum habuerit, &c T. 1. p. 814. B.
R. S. Doctorem non negare & cum fructu celebrari posse Concilia generalia, & ea, ubi legitima sunt certam fidem facere: ipse etenim & Concilium Nicænum I. summis laudibus commendavit, & CP. II. adversùs Macedonium, pars maxima fuit. Sed quia eo vivebat tempore, quo in dies celebrabantur Concilia particularia, quæ Arianis favebant, ut Seleuciense, Tyriense, Ariminense, Mediolanense, Syrmiense, &c. merito infelicem Conciliorum quæ hactenus viderat, finem deplorat. Viderat autem Concilia duntaxat particularia, in quibus factio Ariana prævaluerat.

Obj: 3°. Id S. Aug: Lib: 2. de Bapt: c. 5. *Concilia priora posterioribus emendari possunt*: sed quod emendari potest, obnoxium est errori. R. dist: maj: Concilia priora posterioribus emendari possunt in rebus facti, C. in rebus fidei: (saltèm si de Conciliis oecumenicis sermo sit; particularia enim errare posse non tantùm in factis, sed etiam in fide, omnes fatentur) N. At loqui Aug: de quæstionibus facti, suadent, tùm hæc ipsius verba, eodem in loco: *Concilia,* inquit, *priora posterioribus emendari possunt, cum nempe aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*: quod certè referri nequit ad fidei veritatem, quæ non rerum experimentis innotescit, sed verbo Dei scripto vel tradito: tum subjecta ipsius disputatio cum Donatistis. Agebatur quippe de Cæciliano, an Libros sacros tradidisset hostibus fidei, annon: quæstio tota erat facti, non juris. T. 9. p 98. C.

Inst: S. Aug: eo loci probare vult Donatistas autoritate Cypriani immeritò se tueri, & idcirco ostendit eum hâc in parte cum suis Conciliis errasse: neque id mirum videri debere, cùm & ipse erraverit Petrus, & Concilia Provincialia per plenaria, imo & ipsa plenaria priora posterioribus etiam emendentur: atqui infulsum est istud S. Doctoris argumentum nisi intelligatur de errore circa fidem. Quæ enim fuisset ista ratiocinatio? Concilia Cypriani errârunt in fide & emendari debent, quia Concilia etiam plenaria errare possunt in factis. R. neg: min: namque ad institutum S. Aug sufficiebat demonstrasse, non tantùm privatos Episcopos, sed & Concilia quæ per singulas regiones & Provincias fiunt, imo & plenaria posse errare, quamvis in diverso planè genere: Concilia nempe particu-

laria, non tantùm in factis, sed in fide; plenaria verò, in factis duntaxat. Gradatim enim veluti progreditur S. Doctor; ac primo Episcopos privatos, tùm Concilia particularia in fide errare posse asserit; plenaria vero in factis quæ clare designat per hæc verba: *Cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.* Porro S. Aug: inerrantiam Concilii plenarii in quæstionibus fidei agnovisse, indicant vel hæc ejus verba Lib: 7. de Bapt: c. 53. *Nobis tutum est fiduciâ securæ vocis asserere id quod universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.*

T. 9. p. 202.

Obj: 4°. Si definitio Patrum in Conciliis œcumenicis ab omni erroris periculo tuta sit, erit hæc paris cum Scripturâ momenti; neutrâ enim ex parte subesse poterit error: atqui absurdum consequens. R. neg: maj: Ratio discriminis duplex afferri potest; prima hæc est: Scriptores sacri velut instrumenta Spiritûs sancti absque ullo labore, & industria, ea scribunt quæ Spiritus sanctus ipsis suggerit. Sunt enim, ut dicitur Psalm: 44. velut *calamus scribæ velociter scribentis.* At non ita Episcopi in Conciliis congregati, quibus auxiliatricem suam assistentiam non aliâ conditione promisit Christus, quàm si precibus, studio, labore, frequenti collatione, & aliâ omni humanâ industriâ veritatem scrutarentur: prout fecerunt Apostoli in Concilio omnium primo Jerosolymitano, in quo magnam conquisitionem factam fuisse constat ex Act: Apost: cap: 15. Secunda est: Scriptotores sacri ne in minimis quidem rebus falli possunt, manus & linguas eorum dirigente Spiritu sancto, at Episcopi in Conciliis congregati in iis duntaxat definitionibus quæ fidem vel mores spectant, sanciendis, certam habent autoritatem: in aliis autem rebus, sive SS. Patrum testimoniis interpretandis, sive philosophicis exponendis, sive iis quæ cursim & obiter extra propositum attingunt, errare possunt, nec certam fidem faciunt.

Obj: 5°. Nullum ex definitionibus Conciliorum fructum percipere possumus, nisi certis regulis constare nobis possit definitiones illas esse Concilii legitimi & œcumenici: atqui nullæ nobis ad id suppetunt regulæ; quin nec certo nobis innotescere potest, an illi qui congregantur & dicuntur Episcopi, vere sint baptisati, verè ordinati, veram ac sinceram in corde fidem habeant; ergo. R. neg: min: & dico post Bellarmin: ex fide humanâ certissimâ dignosci posse legitimum esse aliquod Concilium, sicut ex eâdem fide huma-

nâ cetera facta hiſtorica recipimus, quæ nemo cordatus in dubium revocare audeat. *Iis enim*, aït Bellarminus, *qui Concilio præſentes adſunt, evidens eſſe poteſt ſinè alia probatione, Concilium iſtud eſſe legitimum. Vident enim conveniſſe in unum Epiſcopos, qui habentur ab omnibus veri Epiſcopi, & conveniſſe ex variis Provinciis, & vocatos ab eo qui habet autoritatem; & ſi quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre poſſunt... Paſtoribus autem vel abſentibus, idipſum eſt notum ex humanâ fide, ſed certiſſimâ, & quà evidentiæ naturali aliquo modo comparari poſſit.*

L. 2. de Conc: c. 9.

Addit eodem in capite Bellarminus, *neceſſe non eſſe ut ſciamus Epiſcopos, qui ad Concilium conveniunt, habere veram fidem & veram ordinationem, ſed ſatis eſſe ſi non conſtet contrarium. Nam etiamſi S. Pontifex, & omnes Epiſcopi qui ad aliquod generale Concilium à S. Pontifice convocantur, eſſent corde hæretici, & ſolâ externâ profeſſione Catholici, nec verè accepiſſent ſacri Ordinis inviſibilem characterem, ſed nudam impoſitionem manuum, tamen certi ſumus, Deum nunquam permiſſurum ut ejuſmodi Concilium in decretis ſuis formandis erraret: aſſiſtit enim Concilio Spiritus ſanctus, non tam propter ipſum Concilium quam propter Eccleſiam univerſam, quæ divino præcepto tenetur Epiſcoporum ſententiam non diſcutere, ſed venerari. Itaque ne erraret Eccleſia univerſa, divina providentia fecit, ut etiam Concilium illud Epiſcoporum fictorum, vellet, nollet, veriſſimam fidem Eccleſiæ ſequendam proponeret.* Hæc Bellarminus, qui ibidem fatetur impoſſibilem ſibi videre hanc hypotheſim, *Quia Deus, cui Eccleſiæ ſuæ ſalus certa eſt, quique omnia ſuaviter diſponit, nuſquam permittit, ut in Concilio, quod ab Eccleſia legitimum creditur, conveniant Epiſcopi, aut omnes, aut pro majori parte non legitimi, aut non Catholici.*

Ib. p. 32. col: 2. G.

ARTICULUS QUARTUS.

An major Epiſcoporum R. Pontifici adhærentium numerus in fide aberrare poſſit.

Aſſeruerunt Pelagiani, Donatiſtæ, Luciferani, & quotquot hactenùs ab Epiſcoporum Rom: Pontifici adhærentium multitudine protriti ſunt: iique ad unum omnes Ariminenſ: facto innixi ſunt. Idem diebus noſtris renovârunt Quenelliani, ſed acriter præ ceteris Autor Operis inſcripti: *Le témoignage de la vérité.* Sit

Conclusio Fieri non potest, ut in causa fidei multitudo Episcoporum simul cum R. Pontifice, paucis ex adverso reclamantibus Episcopis, errorem definiat.

Prob: 1°. ex S. Cyrill: Hierosol: Catech: 18. ubi sic: *Catholica vocatur Ecclesia, quia per universum fit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ usque ad extrema.* Sed qui numero pauci à communi R. Pontificis & multitudinis Episcoporum doctrinâ ubique diffusâ recedunt, nullâ ratione hanc Ecclesiæ diffusionem tueri possunt; cùm ipsi intra augustos limites conclusi sint, nec ubique terrarum doctrinæ suæ socios, quibuscum communicent ostendere valeant. Unde Aug: Tract: 3. in Ep: Joan: *Tenemus*, inquit, *hæreditatem Christi; illi*, Donatistæ, *eam non tenent; non communicant orbi terrarum, non communicant universitati redemptæ sanguine Domini.* Ità pariter Irenæus & Tertullianus paucitatem Hæreticorum explodebant, Ecclesiæ verò ostentabant fœcunditatem.

P. 220. D.

Tom: 3. part: 2. p. 846. F. G.

Prob: 2°. Visibilis semper esse debet Ecclesia, utpote civitas posita supra montem: at qui numero pauci communem R. Pontificis & Episcoporum doctrinam deserunt, ii ubique & quolibet tempore visibilem Ecclesiam ostendere non possunt. Quam enim ostenderent? Eam, quam S. Pontifex & Episcoporum multitudo sequuntur? Verum ab eorum doctrinâ discrepant. An suam privatam? At obscura est, intra paucissimos coarctata, non diffusa ubique; ergo nec ubique visibilis.

Prob: 3°. ex PP. Tertul: Lib: de Præscript: c. 28. *Quod apud multos unum invenitur: non est erratum sed traditum.* Ergo à contrario, quod apud paucos à multitudine dissidentes invenitur, erratum est, non traditum. Eusebius L. 5. Histor: c. 16. hæc habet de Montanistis: *Ad martyres confugere conantur, asserentes multos se martyres habere... Sed & aliarum hæreseon sectatores, plurimos se habere martyres prædicant, neque idcircò tamen eis assentiemur, nec veritatem penès illos esse fatebimur.*

P. 212. A.

S. Pacianus eandem Novatianis, quam Eusebius Montanistis, paucitatem, Ecclesiæ vero diffusam ubique multitudinem objiciebat, Epist: 2. *Ecclesia*, inquiebat, *plenum est corpus & solidum toto orbe diffusum. Non ut vos estis, Novationi, quædam insolens portiuncula, tuberque collectum, & à reliquo corpore separatum... Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus... Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, quâ totus orbis impletur.*

Ibid: B.

S. Athanasius in Epist: ad Jovinian: Imperat: *Scito, religiosissime Auguste, hanc* (fidem) *omnibus seculis fuisse prædicatam. Hanc professi sunt Patres qui Nicææ convenerunt. Cum hac consentiunt omnes ubique gentium Ecclesiæ, quæ sunt in Hispania & Britania & Galliis, quæ in Italia tota & Campania, Dalmatia & Mysia, Macedonia & Græcia tota, quæque in Africa universa & Sardinia, & Cypro, & Creta, Pamphiliaque, Isauria & Licia, & quæ in tota Egypto, Thebaïde, ac Libya, Ponto & Cappadocia, vicinisque partibus, & Orientales Ecclesiæ, præter paucos qui cum Ario sentiunt . . . scimusque, religiosissime Auguste, quamvis pauci quidam huic fidei contradicant, orbi terrarum universo præjudicium afferre non posse.*

Liberius S. Pontifex in Epist: 2. ad Constantium Imperatorem: *Contra divinam legem visum est etiam cùm Episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliquâ commodare consensum.* Tom: 6. Conc: p. 746. A.

Patres Ephesini, Act: 5. *Parabsurdum est,* aïunt, *ducentorum & decem sanctorum Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantùm numero sese opponere.* Tom: 3. Conc: p. 658. Merito igitur Clerus Gallicanus anno 1715. censurâ suâ confixit Librum, cui titulus, *Témoignage de la vérité,* & istam ex illo extractam sententiam: *Episcopatum quandoque constare paucorum Episcoporum numero, etiam à suo legitimo Capite, seu à Cathedra principali, unde unitas Sacerdotalis exorta est, diffidentium, &c.*

Obj: 1°. Multitudo sæpius à vero & recto aberrat. Hinc Exodi 23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio, plurimorum acquiescere sententiæ, ut à vero devies.* Et vero, si multitudini foret semper adhærendum, qui morti Stephani, imò & ipsius Christi consenserunt, non peccassent, quia multitudinem sequebantur; quod certè impium est. R. objectionem hanc nonnisi ab hominibus fanatico spiritu abreptis in præsenti causâ proponi posse. De qua enim, quæso, multitudine hic sermo est? De multitudine Episcoporum qui adjunctum habent R. Pontificem; *quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* Act: 20. v. 28. quæ *terribilis est ut Castrorum acies ordinata;* quam Cant: 6. v. 9. *qui non audierit, tanquam Ethnicus & Publicanus haberi debet.* Sermo est de Episcopis, de quibus dixit Christus: *Qui vos audit, me audit.* Matth: 10. v. 17. Contrà vero multitudo, de qua objectio, est hominum sceleratorum, qui

apertissimæ veritati splendidis coram se miraculis confirmatæ pertinacius obstitêre, ac immani tandem furore perciti Christum Regem suum ac benefactorem turpissimâ morte affecerunt: Quis sanæ mentis tam cæcam, tam impotentem hominum multitudinem sequendam esse unquam dixerit?

Obj: 2°. ex Aug: Lib: de Bapt: contra Petilian: c. 14. *Multi cum illo, Stephano, quidam cum isto Cypriano, sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes:* atqui si major Episcoporum numerus cum Rom: Pontifice legem faciant, nec Cyprianus, nec pauci cum ipso sentientes in unitate remanserunt, ergo. R. 1°. neg: min: Ubi enim res de qua controvertitur obscura est, implicita, nondum solemni Ecclesiæ decreto prædamnata, & ex utraque parte militant adversæ nobiliorum Ecclesiarum sententiæ, quales hinc erant Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ, Ponti & Orientales Ecclesiæ, quæ penes magnam sui partem Cypryanum, inde verò Ecclesiæ Occidentales quæ Stephanum sequebantur, concedimus posse quoslibet Episcopos salvâ unitate suam tueri sententiam: donec eliquatis quæstionibus effulgeat Ecclesiæ judicium. At ubi res jam discussæ sunt, & pauci reclamant contra sexcentos quibus præest R. Pontifex visibile Ecclesiæ Caput, jam nefas est à sententiâ multitudinis recedere. Porro de quæstionibus hujusmodi duntaxat loquimur in præsenti Conclusione. Non dixit autem, quod observandum, S. Aug: paucos pro Cypriano stetisse, sed quosdam: illi vero *quidam* in se reipsâ multi erant, ut certum est, quanquam certè plures ex parte Stephani.

R. 2°. Quæstionem de rebaptisatione Cypriano visam fuisse merum disciplinæ caput, circa quod unicuique pro nutu arbitrari licitum esset: uti suo loco dicemus.

Obj: 3°. Si majori Episcoporum numero in causis fidei semper obtemperandum sit, prævaluit hæresis Ariana tempore Concilii Ariminensis: Tunc enim omnes, dempto pene Athanasio, à Nicoena fide defecerunt: atqui, &c.

R. 1°. Famosæ huic objectioni hinc præjudicium creari non leve, quod eâ se se constanter tuiti sint omnium temporum Novatores, putà Luciferiani, Donatistæ, Pelagiani, Lutherani & Calvinistæ, quos inter Minister Claudius in celebri cum Bossueto collatione. Quæ autem tot hæreticis nihil profuit; quâ tandem arte invicta erit in Quenellianis?

R. 2°. neg: maj: duplici de cauſa, 1°. Quia Epiſcopi Ariminenſes nuſquam Arianæ ſubſcripſerunt hæreſi; 2°. Quia etſi ſubſcripſiſſent, non ideo ſubſcripſiſſet errori major Epiſcoporum numerus cum Rom: Pontifice.

Dico itaque 1°. Patres Ariminenſes ſubſcribendo formulæ ſibi ab Arianis oblatæ, in Arianam hæreſim intus & animo lapſos non eſſe.

Prob: Qui bono ac ſimplici animo, nihilque fraudis ſuſpicati ſubſcribunt formulæ, quæ, ut verba præ ſe ferunt, errorem non continet; quique deteĉtis Hæreticorum dolis ſtatim ſubſcriptionem ſuam revocant: ii in errorem Arianum lapſi reipſâ non fuêre: atqui Patres Ariminenſes, &c.

1°. Quamvis illa fidei profeſſio ab Urſacio & Valente oblata, hæretica foret, ſi conſideretur autorum ſenſus & conſilium, attamen ſpeĉtatis præciſè verbis quibus concepta erat, nihil continebat, niſi Orthodoxum, ſicut probat S. Hieron: Dial: adv: Lutherianos, & ut cuique illam attentiùs expendenti patebit. Enimverò autores hujus formulæ apertè profitebantur ſe credere *in Unigenitum filium Dei. qui ante omnia ſecula, ante omnè principium natus eſt ex Deo. Natum autem Unigenitum ſolum ex ſolo Patre, Deum ex Deo, ſimilem genitori ſuo Patri ſecundum Scripturas, &c.* Quæ ſanè verba Catholicam de æternitate & divinitate Verbi fidem exprimunt. *Quid eſt natum?* inquiebat Hieron: *Certè non faĉtum. Nativitas ſuſpicionem auferebat creaturæ . . . ſonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat.*

S. Hieron: T. 4. part: 2. pag: 299.

2°. Cùm Patres Ariminenſes eidem formulæ ſubſcripſerunt, nihil in ea fraudis ſuſpicabantur, ac putabant ejus autores, ſicuti illi apertè conteſtabantur, ab Ariana impietate prorſus alienos eſſe. Rem totam narrat, ex Aĉtis ipſiuſmet Concilii Ariminenſis, S. Hieronymus, eodem loco. *Ipſo in tempore,* inquit, *cùm fraudem fuiſſe in expoſitione rumor populi ventilaret, Valens in eam conſcripſerat, præſente Tauro Prætorii Præfeĉto; qui ex juſſu Regis Synodo aderat, profeſſus eſt ſe Arianum non eſſe, & penitus ab eorum blaſphemiis abhorrere. Res ſecretè geſta, opinionem vulgi non extinxerat. Itaque aliâ die in Eccleſia, quæ eſt apud Ariminum, & Epiſcoporum ſimul & laïcorum turbis concurrentibus, Muzonius Epiſcopus Provinciæ Bizantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus eſt: Ea quæ ſunt jaĉtata per publicum; & ad*

Ib: pag: 299. & 300.

nos uſque perlata, aliquem è nobis Sanctitati veſtræ legere præcepimus... Itaque cùm Claudius Epiſcopus Provinciæ Piceni, ex præcepto omnium blaſphemias quæ Valentis ferebantur, legere cœpiſſet, Valens ſuas eſſe negans exclamavit, & dixit: Si quis negat Chriſtum Deum, Dei Filium, ante ſecula ex Patre genitum, anathema ſit. Ab univerſis conſonatum eſt: Anathema ſit. Si quis negat Filium ſimilem Patri ſecundùm Scripturas, anathema ſit. Omnes reſponderunt: Anathema ſit. Si quis Filium Dei non dixerit æternum cum Patre, anathema ſit. Ab univerſis conclamatum eſt: Anathema ſit. Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut ſunt cæteræ creaturæ, anathema ſit. Similiter dictum eſt: Anathema ſit. Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, & non de Deo Patre, anathema ſit. Omnes conclamaverunt: Anathema ſit. Si quis dixerit, Erat tempus, quando non erat Filius, anathema ſit. In hoc verò cuncti Epiſcopi, & tota ſimul Eccleſia plauſu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt... Cùm ergo cuncti Valentem ad Cœlum laudibus tollerent, & ſuam in eum ſuſpicionem cum pœnitentia damnarent, idem Claudius qui ſupra legere cœperat, aït: Adhuc ſunt aliqua quæ ſubterfugerunt dominum & fratrem meum Valentem, quæ, ſi vobis videtur, nè quis ſcrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit Filium Dei eſſe quidem ante omnia ſecula, ſed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat, anathema ſit. Dixerunt cuncti: Anathema ſit. Multaque alia, quæ ſuſpicioſa videbantur, ad pronuntiationem Claudii, Valens condemnavit... His itaque geſtis Concilium ſolvitur. Læti omnes ad Provincias revertuntur. Idem enim Regi & bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis ſibi vinculo necterentur. Conſtat porrò ex illa narratione, Patres Ariminenſes non prius formulæ ſubſcripſiſſe, quam omni, ut putabant, remotâ æquivocatione, fidem Nicænam in tuto collocâſſent.

Nec obſtat quod conſenſerint ſuppreſſioni vocum *ſubſtantiæ* & *conſubſtantialis*. Neque, ut ibid: aït Hieron: *De Uſiæ nomine abjiciendo veriſimilis ratio præbebatur. Quia in Scripturis, aiebant, non invenitur, & multos ſimpliciores novitate ſuâ ſcandaliſat, placuit auferri. Non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cùm ſenſus eſſet in tuto.* De hac ipſa voce S. Athanaſius, Lib: de Synodis, n. 41 ait: *Viros autem qui alia quidem omnia Nicœnæ ſcripta recipiunt; de ſolo autem conſubſtantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos ſpectari*

Ibid: 299.

T. 1. p. 755. D.

par est. Neque enim velut A iomanitas, aut Patrum adversarios, homines aggredimur; sed disputamus velut fratres cum fratribus, qui eâdem quâ nos sunt sententiâ, solo nomine in controversiam adducto.

3°. Statim ac Valens, Ursacius aliique nefariæ impietatis socii, rumorem circumquaque sparserunt, se Filium Dei non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis, & Episcopos Occidentis secum de fide consentire, tum ad fraudem reclamârunt Patres, pristinam subscriptionem revocârunt, & Arianorum blasphemias detestati sunt. *Concurrebant Episcopi*, aït S. Hieronym. ibid: *qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, aïebant, sensum congruere cum verbis... Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.* Hinc idem S. Hieronymus, Luciferianis conquerentibus, quod Catholici Episcopos Arimin: in pristinas Sedes recepissent: *Cur*, respondet, *damnasset eos qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obstinatione suâ facerent Arianos?* Idem docent S. Gregor: Naz: S. Damasus S. P. &c. Unde quod scribit Liberius eosdem Præsules, *à fide descivisse*, de apparenti, & interpretativa, non autem de interiori fidei desertione intelligendum est.

> Ibid: 310.
>
> Ibid:

Dico 2°. Patres Ariminenses numero longè inferiores fuisse aliis Episcopis tunc temporis per orbem dispersis, qui Catholice sentiebant.

Prob: 1°. Concilio Ariminensi interfuêre Episcopi circiter 500. Seleucensi vero circiter 250. atqui constat multò plures in orbe toto dispersos extitisse Episcopos. Siquidem eruditus P. Labbæus Societ. Jesu, mille cognitas in Occidente Sedes Episcopales recensset, & in Oriente octingentas. Illust: Episcopus Abrincensis Carolus à S. Paulo in notitia antiqua Episcopatuum numerat 1316. in Occidente & 723 in Oriente. Et vero vel in una Africa, quæ pars solùm erat Ecclesiæ Occidentalis, numeratæ sunt Sedes Episcopales Catholicorum 486. ex parte vero Donatistarum, 279. Porro, si in una Africa tot extitêre Episcopales Sedes, quot extitisse necesse est in Illyriâ, Italiâ, Galliâ,

> *August:* T. 9. p. 590. F.

Hispaniâ, Germaniâ, Angliâ, Pannoniâ, Belgio, ceterisque orbis universi Regionibus quibus lux Evangelica affulserat. Certè Aug: testatur extitisse plura Episcoporum millia, à quibus Cypriani & Donatistarum error damnatus fuerat. *Proinde*, inquit, Lib: contra Crescon: cap: 3. n. 3. *si omnino jam credendum sit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum; quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit.*

Porro Ecclesiæ illæ numero ac dignitate illustres, fidei Nicænæ constanter semper adhæserunt, paucis exceptis Arianis. Ità testatur S. Athanasius in Epistola quam scripsit, anno circiter 363. hoc est duobus annis post Concilium Ariminense, ad Jovinianum Imperatorem. *Scito*, inquiebat, *religiosissime Auguste*... *hanc ipsam fidem*... *suffragio suo comprobare universas totius orbis Ecclesias, nempe Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Mysiæ, Macedoniæ, Græciæque, & Africæ universæ, necnon Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Liciæ, Isauriæ, Ægypti, Libyæ, Ponti, Capadociæ, vicinas quoque nobis, necnon Orientis Ecclesias, paucis exceptis, qui Arii hæresim sequuntur. Quæ enim sit omnium illarum Ecclesiarum sententia, & experientiâ novimus, & earum habemus Litteras. Nec te fugit, piissime Auguste, tametsi pauci quidam huic fidei adversentur, præjudicium tamen facere non posse, quippe cùm orbis universus Apostolicam fidem retineat.*

Tom: 1. Oper: S. Athan: p. 781.

Dico 3°. Etsi Ariminenses Episcopi & ceteris plures numero fuissent & defecissent à fide, nihil inde in factionis suæ gratiam colligere possent Novatores. Prob: Quia unum id in præsenti volumus; nimirum fieri non posse, ut longe major Episcoporum numerus simul cum Capite suo Rom: Pontifice in errorem labatur: atqui nihil contra assertionem hanc probaret lapsus Ariminensis. Ad id idem satis est ut Liberius, qui tunc Romæ Pontificem agebat, nullum Ariminensis Synodi actis consensum præbuerit, imo & hæc Acta resciderit: atqui res ita se habet. Unde Romana Synodus sub Damaso an. 369. in Epist: ad Episcopos Illyrici sic loquitur apud Theodoret: Lib: 2. Histor: c. 22. *Neque præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum qui apud Ariminum convenerunt: cùm constet neque Rom: Episcopum* (Liberium) *cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium* Capuensem,

qui tot annos Sacerdotium illibate servavit; neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse. Idem constat: ex Epist: Liberii ad Orientales, in qua formulam Ariminensem veluti blasphemam reprobat.

At, inquies, ex S. Greg: Nazian: Orat: 21. *Si per-paucos exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti fuerunt: vel ob virtutem restiterunt . . . omnes tempori obsecuti sunt: hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii citiùs, alii serius in eam fraudem inciderunt*; ergo, R. neg: conseq: 1°. Quia S. Doctor in eo Episcoporum numero non comprehendit Occidentales, qui erant apprimè Catholici tempore persecutionis, quam ipse ibi describit. Nam, ut ex sola textûs inspectione liquet, loquitur de iis tantùm, quæ in Oriente acta sunt post Conciliabulum quinquaginta Episcoporum Arianorum Constantinopoli habitum an: 360. Porro tunc temporis Episcopi, qui Arimini decepti fuerant, communione juncti cum Liberio aliisque Episcopis Catholicis Occidentalibus, Arianorum blasphemias detestabantur; 2°. Quia S. Georgius apertè innuit se loqui de quibusdam duntaxat Orientis Provinciis, decem scilicet Asianis, quas Georgius Cappadox, Arianus Episcopus in Sedem Alexandrinam intrusus crudeliter vexabat, Imperatoris autoritate abusus *Ægyptum*, inquit, paulo ante Objectionis verba, *incursionibus vastat, atque impietatis robore Syriam populatur: Orientis etiam, quantum potest, arripit.... Hujus potentiæ opus Concilium illud fuit, quod Seleuciæ primum . . . deinde in hac amplissima Civitate* (Constantinopolitanâ) *coactum est, &c.* Ergo nequidem Orientalium Episcoporum partem maximam lapsam fuisse, ex citatis sancti Doctoris verbis concludi facilè potest; 3°. Quia licet Episcopi, quos tantopere culpat S. Gregorius Naz: graviter deliquerint, subscribendo formulæ Conciliabuli CP. non tamen in hæresim lapsi sunt. Nempe vero formula cuï subscripserunt, etsi supprimebat voces *substantiæ* & *hypostaseos*, quoniam multis erant offensioni, nec in Scripturis leguntur; at Filio divinitatem aperte videbatur asserere, dum aïebat *ipsum ante omnia secula, & ante omne principium ex Deo genitum esse. . . Deum de Deo, similem Patri, qui se genuit secundum Scripturas.* Vide quæ de Semiarianis dixi T. 1. p. 305.

Tom: 1. p. 285. C. D.

Ibid: p. 386. B.

Inst: S. Hilarius L. de Synodis n. 63. hæc loquitur: *Absque Episcopo Eleusio & paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem Provinciæ, intra quas consisto, ve-*

rè Deum nesciunt; ergo toto in Oriente perierat fides. R. neg: conseq: nam judice Aug: cui ipsa hæc Hilarii verba objecerat Vincentius Donatista, prout eadem nobis objiciunt Quenelliani, Hilarius duntaxat loquitur de Episcopis decem Provinciarum Asianarum. Hæ porro Provinciæ erant exigua portio Ecclesiæ Orientalis, nec nisi tertiam partem Patriarchatûs CP. posteà constituerunt. Constat autem ex testimoniis supra citatis S. Athanasii & Luciferi Calaritani, plerosque Episcopos aliarum Orientis Regionum fuisse tunc temporis Orthodoxos, quod & ipse Hilarius innuit, cùm agendi rationem & clementiam Episcoporum Orientalium erga lapsos approbat.

Et vero constat Episcopos Orientales, qui Semiariani appellantur, in Concilio Seleuciensi aliis Episcopis numero superiores fuisse. Aderant enim, teste Hilario, Lib: contra Constantium, n. 12. quinque supra centum, inter quos S. Cyrillus Hieros: Ariani vero non plures 34. juxta Socratem, Lib: 2. c. 39. aut 37. juxta Sozomenum, Lib: 4 c. 22. reliquì circiter quindecim ex Ægypto pro *homousio* retinendo cum S. Hilario constanter pugnabant: illos porro Semiarianos tanquam fratres habebat S. Athanasius, ut tom: 1. observatum fuit. De ceteris adi Tournelyum T. 4. p. 487.

Obj: 4°. Honorius in hæresim Monothelitarum incurrit, & idcirco à Concilio VI. damnatus est ut hæreticus: atqui nemo Episcoporum, Honorii tempore, contra hæresim ejus reclamavit; ergo ruunt quæ hactenus passim firmare voluimus principia.

R. 1°. Honorium nusquam negasse geminam in Christo voluntatem divinitatis & humanitatis. Patet id ex disputatione S. Maximi cum Pyrrho, ubi hæc leguntur: *Quis fide dignus istiusmodi Epistolæ interpres,* nimirum sanctissimus Abbas Joannes, *is, qui eam ex persona Honorii scripsit, cùm & adhuc vitæ superstes sit, ac qui cum aliis suis virtutibus, pietatis dogmatibus omnem Occidentem illustrat; an ii, qui Constantinopoli loquuntur quod in mentem venit?.., Is igitur ipse cùm ad sanctum Constantinum Imperatorem, ex persona rursus sancti Joannis Papæ de hac Epistola scriberet, dixit:* „ Unam voluntatem diximus in Domino, non divini„ tatis ejus & humanitatis, sed humanitatis duntaxat, „ Cùm enim Sergius scripsisset, quod quidam duas „ voluntates in Christo contrarias dicerent, respondit, „ Unam voluntatem diximus Christum, non duas „ contrarias voluntates habuisse, carnis scilicet

„ & ſpiritûs, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed „ unam tantùm, quæ naturaliter ejus humanitatem „ inſigniret. „ Nihil certe ad ſanam Epiſtolæ Honorii interpretationem aptius, commodius nihil ac illuſtrius proferri poteſt. Unde quod Honorii Epiſtolæ, prout IV. Synodo lectæ ſunt. Chriſtum unius eſſe voluntatis; *ab eis confictum eſt, qui Epiſtolam græcè reddiderunt*; prout ait idem S Maximus in Tomo dogmatico ad Marinum Presbyterum.

Addunt alii Honorii Epiſtolas, prout etiamnum leguntur in Actis Concilii VI. ab hæreſi eſſe immunes: unde contendunt vel eas nunquam damnatas fuiſſe, (proindeque Acta Concilii à Græcis poſtmodo corrupta fuiſſe;) vel ſi damnatæ ſint, non uti ſtricte hæreticæ, ſed ut hæreſi faventes, quatenus exitiale circa unam duaſve voluntates ſilentium imperabant. Verum hæc fuſiùs proſequi non ſinunt anguſti Operis limites.

Verùm quidquid ſit de mente ac ſententia Honorii, ſive Monothelitarum errori conſenſerit, ſive ſilentio tantùm faverit, hac in præſentiarum miſſâ controverſiâ, dato & non conceſſo Honorium erraſſe, nobis ad præſens inſtitutum ſatis eſt demonſtraſſe, majorem Epiſcoporum tum Orientis, tum Occidentis partem cum Honorio errorem contra fidem non propugnaſſe.

R. 2°. Honorii ad Sergium Epiſtolam non continere dogmaticam fidei definitionem quæ ad omnes fideles pertineat, ſed privatam duntaxat, & œconomicam hujus Pontificis de ſilentio imponendo ſententiam. Ea enim Epiſtola nec dogmatica eſt, nec publica, ſed privata duntaxat, & ſolius politiæ, quæ nec ſpeciale aliquod dogma determinat, nec ad omnes fideles dirigitur: atqui talis eſt Epiſtola Honorii ad Sergium. Et 1°. Eam ad omnes fideles directam non fuiſſe, probat inſcriptio quæ eſt ad Sergium: probat, quod non aliunde quàm ex Scrinio Eccleſiæ CP. deprompta ſint & autographum ipſum Latinum Epiſtolæ, & Græca interpretatio; probat denique quod eadem Epiſtola nemini Romanorum cognita foret, præter eum à quo, nomine Honorii ſcripta fuerat. Ad unum ergo Sergium miſſa fuerat, & ab eo recondita in Archivio Eccleſiæ ſuæ; unde tardiùs hinc educta, annis ferè poſt mortem Honorii quadraginta, diu incognita latuit, etiam in Oriente. Non ità certè eſt de iis Summorum Pontificum Litteris quæ ad fidem pertinent, videlicet, Anaſtaſii, Innocentii, Zozimi, Cœleſtini, Leonis, &c.

Act: 12. *Conc:* *VI.* *T.* 6. *Conc:* *p.* 928.

quæ licet fortè ad aliquos nominatim dirigantur, per totum Orientem & Occidentem, diffunduntur, ac vim publicæ legis obtinent.

Confirm: publica non fuit Epistola, quæ tredecim per annos in ipso Occidente ignota fuit: atqui Honorii Epistola... Prob: min: ex Joanne IV. successore Severini, qui ipse Honorio successerat. Sic autem loquitur ille Epist: 2. ad Constantinum Jmperatorem Heraclii filium: *Quantùm ex diversis suggestionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quin imo & ex ipso quoque auditu dicimus, omnes Occidentales partes scandalisatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarchâ, per Litteras suas huc atque illuc transmissas, nova quædam & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium sensum, quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod à mente Catholici patris erat penitùs alienum*: atqui si nota fuisset in Occidente Epistola Honorii, non tunc primùm turbatæ essent partes Occidentales, cùm Pyrrhus Honorium sibi ac Monothelitis favere prædicavit. Et verò Epistola Honorii, prout à Sergio vulgata est, non parùm habet affinitatis cum Ecthesi Heraclii, & Typo Constantii: atqui constat apud omnes, & Ecthesim, & Typum summo omnium consensu in Occidente proscriptum fuisse à Joanne IV. Theodoro ejus successore, Martino I. &c. ergo eandem notam sustinuisset Honorii Epistola, si tunc temporis cognita fuisset.

Tom: 5. Conc: p. 1759. A.

ARTICULUS QUINTUS.

Quæ unanimitas suffragiorum necessaria sit ad firmam fidei definitionem.

UNanimitas duplex distinguitur; physica & absoluta, quæ ex suffragiis omnium Episcoporum, ne uno quidem excepto; & moralis, quæ ex suffragiis multò majoris partis, paucis admodùm exceptis, coalescit; eaque vulgo: *Quasi unanimitas* appellatur. Jam quæstio est an prior ad inconcussam definitionis autoritatem necessaria sit.

CONCLUSIO. Ad firmitatem dogmaticæ definitionis sufficit moralis Episcoporum unanimitas.

Prob: 1°. Ea sufficit unanimitas, quæ est totius Corporis Ecclesiæ, cui à Christo promissum est donum inerrantiæ: *Vobiscum sum omnibus diebus. Portæ inferi*

Matth: 18. Ibid: 16.

non prævalebunt. Atqui unanimitas multitudinis Episcoporum qui Capiti suo R. Pontifici adhærent, est moralis unanimitas totius Corporis Ecclesiæ, &c. Ecclesiam enim *omnibus diebus* alicubi esse oportet; ergo vel est cum morali Episcoporum unanimitate, vel cum iis paucissimis qui reluctantur ac contradicunt: at quid absurdius? Ecclesia enim multitudine ac diffusione constat: sed ubi paucissimi contra reliquos, & pars contra totum dimicat, nulla jam est diffusa multitudo; ergo.

Prob: 2°. Decreta Ecclesiæ adversùs Arianos, Macedonianos, Novatianos, Nestorianos, Eutychianos, &c. firma semper & inconcussa permanserunt: atqui tamen nonnulli Episcopi pertinacius illis reluctati fuerunt; ergo.

Prob: 3°. Communis hæc semper fuit, ac recepta omnium Tribunalium lex, ut ex plurali suffragiorum numero sententia pronuntietur. Si enim audiantur qui contradicunt; nec prius lata sententia vim legis assequatur, quam sententia vim legis assequatur, quàm sententiæ acquiescant, nulla unquam finietur controversia: atqui si in omni politico Tribunali lex illa locum habet, quanto magis in Ecclesiastico? Etenim multitudo Episcoporum qui Romanum sequuntur Pontificem, eam ipsam Ecclesiam repræsentant, cui suprema doctrinæ ac ministerii autoritas à Christo concessa est, simul cum singulari inerrantiæ seu infallibilitatis privilegio. *Vobiscum sum omnibus diebus, &c.*

Obj: id Aug: L. 2. de Bapt: c. 4. *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere,* valere scilicet hæreticorum Baptisma, *nisi universæ Ecclesiæ concordissimâ autoritate firmati, cui & ipse* Cyprianus *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium concilium solidaretur*: sed ubi est tantum unanimitas moralis, non est concordissima Ecclesiæ autoritas. R. neg: min: certè enim S. Doctor causam Pelagianorum finitam esse affirmat, licet non ignoraret decem & octo inter illos pertinaces in errore suo permansisse, interposita ad Concilium generale appellatione, quos Imperator tanquam Ecclesiæ & Imperii perturbatores, in exilium deportari mandavit.

ARTICULUS VI.

Quale sit regimen Ecclesiæ.

TRiplex à Philosophis distinguitur regiminis species;

Monarchia, quæ est imperium unius, cujus arbitrio rerum summa definitur: Aristocratia, id est regimen Optimatum; & Democratia, hoc est, populi totius imperium, quod in seditiones non rarò degenerat.

Tom: 2. p 193. col: 1. B.

Constat 1°. regimen Ecclesiæ democraticum non esse: quia nusquam plebi debit Christus claves Regni Cœlorum, & autoritetem ligandi ac solvendi; nusquam jus concessit Ministros consecrandi, ut alibi ostendemus.

Constat 2°. neque Principibus secularibus à Christo concessam Ecclesiæ regendæ autoritatem. Sunt enim utriusque potestatis, spiritualis ac temporalis officia plane distincta, uti docet celebre istud Osii Episcopi Cordubensis ad Constantium Imperatorem effatum: *Ne te rebus misceas Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed à nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodùm qui tibi Imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ità metue, nè si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* Si quas ergo in tractandis Ecclesiæ negotiis aliquando partes habuêre Principes; si leges condiderunt ad fidei, morum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ tutelam, certè non tanquam Religionis Judices, sed ut vindices disciplinæ Ecclesiasticæ.

Apud Athan: Tom: 3. p. 371.

Constat 3°. monarchicum esse Ecclesiæ regimen hoc sensu, quod unus est primus ac Summus in Ecclesia Pontifex, cui concessus à Christo fuit primatus honoris & jurisdictionis in alios Episcopos. Unde etiam sequitur Ecclesiasticum regimen purè aristocraticum non esse, seu penès solos Episcopos: utpotè qui superiorem agnoscant R. Pontificem.

Tota igitur quæstio in eo est, an Ecclesiæ regimen sit purè monarchicum, quod ab unius R. Pontificis arbitrio pendeat, an verò ut Aristocratiâ temperatum, ac Canonibus Ecclesiæ subditum; quemadmodum declaravit Clerus Gallicanus, an: 1682. his verbis: *Hunc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Deo conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut Statuta & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineat.* Sit.

Propositio Cleri Gallicani.

Conclusio. Regimen Ecclesiæ purè monarchicum

non est, sed Aristocratia temperatum; atque usus Apostolicæ potestatis per sacros Canones temperari debet.

Prob: prima pars: 1°. Illud regimen admittendum non est in Ecclesia, quod à Christo reprobatum fuit, & nunquam Apostolorum tempore legitur usurpatum: atqui regimen Ecclesiæ purè monarchicum, 1°. Reprobatum fuit à Christo, Matth: 20. ubi occasione ambitionis filiorum Zebedæi sic loquitur: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ità erit inter vos, &c.* 2°. Nec usquam regimen illud usurpatum fuit ab Apostolis. Sic enim loquitur ipse Apostolorum Princeps: *Pascite qui in vobis est gregem Dei; Providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quæ verba non ad solos particulares Episcopos, sed ad ipsum etiam R. Pontificem pertinere censuit S. Bernardus, Lib: 2. de Consider: c. 6. *Planum est*, inquit, *Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis.* Et paulo anteà: *Nec ille, Petrus, tibi dare potuit quod non habuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem supra Ecclesias, non dominationem.*

I. Petr: 3. v. 2.

T. 1. p. 419. E.

Ibid: D.

Prob: 2°. ex Act: 11. ubi cùm penè culparetur Petrus eò quia introïsset ad viros præputium habentes, rationem ipse reddidit apud Apostolos ceterosque fratres, eorum omnium quæ gesserat, neque priùs sedatus fuit tumultus, quàm rem totam ex ordine narrasset: sed qui supremum & absolutum tenet imperium, nemini tenetur rationem reddere: & apud supremos Principes temporales sola ratio facti, est voluntas facientis.

Act: 15. Causam de Legalibus non solus definivit Petrus, sed *convenerunt*, ait Scriptor sacer, *Apostoli & seniores videre de verbo hoc*; ac definitio, non unius Petri autoritate, sed communi omnium Judicio fertur: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Ipsa denique Synodica Epistola non unius Petri, sed omnium nomine inscribitur, v. 23. *Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem.*

Prob: 3°. Si Episcopi à Christo potestatem acceperint de rebus fidei judicandi, vel simul cum R. Pontifice, vel ante, vel post ejus Judicium, necessario sequi-

tur, regimen Ecclesiæ non esse penes unum R. Pontificem, nec pure monarchicum, sed Aristocratiâ temperatum: atqui Episcopos potestatem illam accepisse constat, 1°. Ex Scriptura. Act: 20. *Attendite vobis & universo gregi*, ait S. Paulus, *in quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*: atqui ad regendam Ecclesiam necessaria omnino est autoritas judicandi causas quæ ad Religionem pertinent. Act: 15. in causa Legalium S. Jacobus, v. 19. tanquam Judex sic pronuntiat. *Ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum*, omnes verò Apostoli, v. 28. sic decretoriè ac synodice pronuntiant: *Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.*

2°. Idem docet constans Traditio. Nam 1°. Episcopos sententiam suam de rebus fidei protulisse in Conciliis œcumenicis, solus ille negaverit, qui celebrata aliquando fuisse Concilia inficiari ausus fuerit. Nihil enim tam frequenter in eorum Actis legimus, quam hanc judicii formulam: *Ego N. consentiens, vel judicans, vel definiens subscripsi; vel, placet mihi.*

2°. Episcopos in Conciliis particularibus de subortis controversiis fidei sententiam prius dixisse, quàm Romanum consulerent Episcopum, innumeris propemodum, Ecclesiæ præsertim Gallicanæ exemplis constat. Sic an: circiter 177. Montani dogmata; an. 360. Sirmiensem formulam; an. 485. Priscillianistarum errores; an. 529. Semipelagianam hæresim; an. 794. Felicis & Elipandi novitates; an. 1050. Berengarii blasphemias protrivêre Episcopi.

3. Nec minus certum est Episcopos post Summi Pontificis judicium, etiam pro suo jure pronuntiasse. Patet id Concilio Chalced. Act: 2. & 4. ubi summo plausu ac solemni Judicio Epistola dogmatica S. Leonis ad Flavianum contra Eutychetem approbata fuit ac recepta. Et ipse S. Leo Epist 52. vel 77. juxta editionem Quenelli. Gallicanorum Præsulum rogavit sententiam de celebri illâ suâ Epistolâ, eosque etiam Judices in causa fidei agnovit. *Optassemus*, inquit, *fraternitatis vestræ Litteras, eo tempore quo promiseratis, accipere, ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam Synodum vice nostrâ, pro Catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur.* Et Epist: ad Theodoretum n. 93. ait: Ea quæ Dominus Vicarii sui *prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmat assensu; ut verè à se prodiisse ostendat, quod prius à*

Tom: 1. p. 381.

Ibid: p. 624.

prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis judicium receperit ut in hoc quoque Capite membra concordent.

Prob: 4°. E regimine absolutè monarchico hæc sequerentur, 1°. Solus S. Pontifex esset divinæ instituti-onis; nec aliam haberent autoritatem Episcopi etiam in Concilio collecti, quam quæ ab illo flueret: sicut non aliam habent potestatem Regni Ordines congregati quam quæ à Monarcha in eos derivatur; 2°. non alia esset in Ecclesia infallibilitas, quam passiva; totaque activa unius esset R. Pontificis, qui hanc quasi caput in corpus immitteret; 3°. Ecclesia universalis etiam congregata esset inferior Pontifice, à quo vim suam omnem mutuaretur; non secus ac Regni Comitia Regi subsunt, à quo totum robur suum obtinent; 3°. Nunquam appellare liceret á Pontifice ad Concilium, sicut nefas est à Monarcha ad Conventum Imperii provocare; 5°. Concilia in Ecclesia nunquam essent absolutè necessaria ad veritatis definitionem, sed eo spectaret tantum eorum convocatio, ut consilium caperet Pontifex, ad cujus tamen observationem non adstringeretur, quæ est conditio Monarchiæ. Atqui omnia hæc antiquitati adversantur, &c.

Prob: 2. pars, usum scilicet Pontificiæ potestatis per Canones moderandum esse, quibus illa subdita esse debet, probatur inquam, ex ipsamet Romanorum Pontificum confessione. Julius I. Epist: ad Orientales. *Id vero,* inquit, *ad Synodi & Episcoporum qui in Synodo* (Nicænâ) *fuére, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & curâ, veluti Deo præsente egissent, à nobis ut vana futiliaque abrogarentur... Nos omnia secundùm Canonem facimus.* Zozimus in Epistola ad Episc: Provinc: Vienn. & Narbon: *Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, ne hujus quidem Sedis potest autoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxére reverentiam.* Cœlestinus I. Epist: ad Episcopos Illyrici: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus.* Denique, ut unico momento omnium Pontificum, qui post octo priora Concilia vixerunt, autoritatem concludam, in solemni jurejurando quod in die suæ inaugurationis emittunt R. Pontifices obstringunt se ad religiosam Conciliorum & Canonum observationem. *Profiteor,* aït consecrandus Pontifex, *sacros Canones & sacrorum Pontificum constituta custodire.*

Anno 336.

Anno 414.

*An:*422.

Epist: R. Pontificum, 1721. *T.* 1. *pag:* 1604. B.

Obj: 1°. Christus est summus Monarcha totius Ecclesiæ; atqui Rom: Pontifex est Vicarius Christi in terris; ergo. R. dist: min: Pontifex Rom: est Vicarius Christi in terris, potestate ministeriali, C. potestate supremæ autoritatis, N. Christus procul dubio est Monarcha supremus Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo, quam regit supremâ suâ voluntate, ac interiori gratiæ & aliorum auxiliorum subministratione: at eâ ratione R. Pontificem esse Christi Vicarium ac Ecclesiæ præfici, nemo Catholicus agnoscit. Est enim duntaxat exterior Minister, inter ceteros, quidem primus ac præcipuus, sed cujus ministerii potestas intra eos limites continetur, quos ipsi assignavit Christus, qui, ex dictis, voluit non supremo unius imperio, sed communi Pastorum concilio suam gubernari Ecclesiam.

Obj: 2°. Ecclesiæ Christi tribui debet regimen omnium præstantissimum: atqui tale est regimen purè monarchicum; ergo. R. non aliud Ecclesiæ regimen esse tribuendum, quam quod Christo ejus autori placuit: neque alia hîc quærenda facti ratio, quam voluntas facientis. Sit ergo regimen absolute monarchicum omnium perfectissimum in politica societate, non ità in spirituali. Quanquam nec desunt congruæ rationes propter quas voluerit Christus regimen Ecclesiæ suæ non esse pure monarchicum: 1°. Quia dominium unius absolutum superbiam concitare potuisset, aut in tyrannidem degenerare; 2°. Quia communio Sanctorum, quæ scopus est Ecclesiæ, pietate quidem & caritate foveri potest, sed non imperiosâ vi quam Reges gentium affectant.

Obj: 3°. Cùm an. 1148. in Concilio Remensi à S. Bernardo & nonnullis Galliæ Episcopis conditum fuisset, symbolum adversus errores Gilberti Porretani, Cardinales id improbarunt, causati ad solum R. Pontificem pertinere rerum fidei Judicium; ergo. R. neg: ant: Non enim ideo Cardinales improbârunt nostrorum Episcoporum agendi rationem, quod de fidei controversia pro jure suo judicassent: sed quia crediderunt eos, se & R. Pontifice inconsultis, symbolum condidisse, atque ita veluti ultimam ac definitivam hujus controversiæ sententiam sibi arrogasse. Quod certe non pertinet ad privatos Episcopos. Verum non ea fuerat Bernardi aut Episcoporum Gallic: mens, sed tantum ut roganti Gilberto Porretano fidem suam consignarent; prout docet Otto Friginsensis.

QUÆSTIO QUARTA.

De Membris Ecclesiæ.

Eos inter qui membrorum instar ad Ecclesiam pertinere possunt, alii sunt baptisati, alii non. Rursus inter baptisatos, sunt prædestinati; sunt justi & perfecti, sunt peccatores; sunt hæretici sive publici sive occulti; sunt Apostatæ; sunt schismatici; sunt excommunicati. Inter non baptisatos, sunt infideles publici vel occulti; sunt Catechumeni: de iis sigillatim agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

An soli prædestinati sint Ecclesiæ Membra.

Affirmant Wiclefitæ, Lutherani, &c. Sit

Conclusio. Nec omnes, nec soli prædestinati sunt in Ecclesia Christi.

Prob: 1. pars: Multi sunt, aut saltem possunt esse prædestinati, qui ad tempus nec ad animam nec ad corpus Ecclesiæ pertinere possunt, si nempe in hæresim manifestam labantur, quam posteà ejurent. Unde S. Aug: Tract: 45. in Joan: *Secundum præscientiam Dei & prædestinationem, quàm multæ oves foris, quam multi lupi intus; & quam multæ oves intus, & quàm multi lupi foris.* Tom: 3. part: 2. p. 600. A.

Prob: 2. pars: Ecclesia comparatur Agro Dominico, Matth: 13. In agro autem inter nitentia culta, tribuli & steriles dominantur avenæ. Comparatur Areæ, Matth: 3. In area vero paleæ frumentum operiunt. Comparatur sagenæ missæ in mare, in qua boni & mali pisces concluduntur, Matth: 13. Comparatur, Matth: 25. decem Virginibus; inter quas quinque sunt prudentes, quinque verò fatuæ. Comparatur ibid: Ovili, in quo sunt oves & hædi; & illæ, Christo interprete, significant electos, isti reprobos; ergo.

Confirm: momentis Theologicis: 1°. enim S Paulus dum Ecclesiam Christi velut atrox lupus persequebatur, haud dubie non erat in illa; erat tamen prædestinatus. E contra Judas erat reprobus, & tamen ad Apostolatum vocatus simul cum aliis Apostolis, ad eandem pertinuit Ecclesiam.

2° Si Ecclesia ex solis prædestinatis constaret, à nemine certo dignosci posset; adeoque excusaretur quis-

quis ab ejus diligenti inquisitione abstineret: atqui absurdum consequens.

Obj: 1°. Arca Noë figura fuit Ecclesiæ, ex Aug: Lib: 5. de Bap: c. ult: in Arca Noë non fuerunt nisi qui salvandi erant ex aquis diluvii; ergo & in Ecclesia, &c. R. dist: maj: Arca Noë figura fuit Ecclesiæ quantùm ad aliqua, C. quantùm ad omnia, N. In duobus maximè Arca typus fuit Ecclesiæ: 1°. In Arca includebantur cujuscumque generis animalia, munda & immunda, &c. ità in Ecclesia continentur boni & mali, prædestinati & reprobi; 2°. Sicut extra Arcam nemo potuit salvus esse ab aquis diluvii, ita extra Ecclesiam nulli patet ad salutem aditus: atque in hoc potissimùm stare comparationem Arcæ cum Ecclesia docent S. Cyprianus, Lib: de unit. Eccl: S. Hieron: Epist: ad Damasum, S. Augustinus loco cit. In aliis vero urgenda non est comparatio Arcæ cum Ecclesia, alioqui sequeretur omnem baptisatum esse prædestinatum: cum enim S. Petrus I. Epist: 3. 21. comparet Baptismum cum Arca Noë; sequeretur omnes malos, immundos, peccatores salvandos esse, quia immunda animalia pariter ac munda in Arca salvata sunt, quas consecutiones non admittunt adversarii.

Obj: 2°. Ecclesia, quæ est vere Christi Sponsa, Cantic: 4. dicitur, *Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquarum;* quæ omnia propter electos dicta de de Ecclesia fuisse docet S. Aug: Lib: de Bapt: 2. 27. R. hæc intelligi de Ecclesia vel triumphante, vel militante. Si 1. nobis non adversatur, cùm in ea soli electi contineantur: hanc autem esse mentem S. Aug: patet ex Lib: de Retract: c. 18. in quo sic loquitur *Ubicumque Ecclesiam commemoravi non habentem maculam neque rugam; non sic accipiendum est quasi jam sit, sed qui præparatur ut sit quando apparebit etiam gloriosa* Si. 2. potuit etiam Ecclesia militans vocari hortus conclusus, non quasi solos contineat, electos; sed hoc sensu quòd solis occludatur alienis & extraneis à fide. Sicut ergo in horto etiam concluso vepres simul admixti reperiuntur cum floribus, & spinæ cum rosis, sic & in Ecclesia simul cum Sanctis sunt reprobi.

Tom: 1. *p.* 48. C.

Obj: 3° Ecclesia est unum Ovile, ex Joan: 10. v. 16. atqui istius Ovilis oves sunt soli & omnes prædestinati. Sunt, inquam, soli: nam ex Aug: Tract: 45. in Joan: per oves *intelliguntur ii quos Dominus per præsentiam suam novit esse suos.* Sunt etiam omnes: nam in aliis

Tom: 3. *part:* 2. *p.* 109. A.

Scripturæ locis prædestinati dicuntur oves & filii Dei, etiam cùm in errore Gentilitatis versantur. Joan: 10. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili.* Joan: 11. *Jesus moriturus erat... ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum.* R. neg: min: quoad utramque partem. Et 1°. Quoad primam, quæ dicit per oves intelligi solos prædestinatos: nam licet in Scripturis interdum nomen ovis significet prædestinatos, ut Matth: 25. v. 33. ubi separantur oves ab hædis; attamen interdum etiam significat tam bonos quam malos, qui externâ saltem fidei professione pertinent ad Ecclesiam: quo sensu Christus alloquens Petrum, Joan: 21. v. 18. dicit, *Pasce oves meas.* Et Psal: 73. v 1. dicitur: *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Et Ezechielis 34. ubi describuntur oves Dei aliæ sanæ, aliæ ægrotæ.

Ad Aug: R. eum expressè observare, citato loco, secundum præscientiam Dei multis oves foris esse, & multos lupos intus; quod multi qui blasphemant Christum, sint in ipsum credituri; & multi qui eum intus laudant, sint posteà blasphematuri.

Ad 2. part: dico eos qui adhuc sunt extra Ovile, oves & filios vocari, non quasi tales sint actu, sed quia prædestinati sunt tales futuri. Hoc sensu dicitur, II. Timoth: 2. *Novit Dominus qui sunt ejus:* ubi sermo est de illis qui sunt ejus secundum prædestinationem; non autem de tota Ecclesia; ibidem enim subjungit, v. 20. *In magna domo sunt vasa aurea & argentea; & lignea & fictilia.*

A contraria ratione, qui exierunt de Ecclesia, dicuntur I. Joan: 2. non fuisse *ex nobis*; quia non fuerunt ex nobis secundum prædestinationem, licet fuerint secundum Sacramentorum communionem: Ita S. Aug: l. 4. de Bapt: c. 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

An soli justi & perfecti sint Ecclesiæ membra.

QUæstio est utrum Ecclesia ex solis justis ac perfectis constet; annon etiam peccatores contineat. Sit

CONCLUSIO. Non ex solis perfectis & justis constat Ecclesia, sed etiam admixtos habet homines imperfectos & peccatores, etiam manifestos.

Prob: 1. pars contra Pelagianos: Perfectorum no-

mine vel intelliguntur qui nullam unquam contraxerunt peccati etiam levioris maculam; vel qui licet peccatis mortalibus non fuerint inquinati, nihilominùs quælibet venialia declinare non potuerunt: atqui Ecclesia non constat ex solis illis perfectis, seu priori, seu posteriori modo consideratis. Non priori, alioqui enim ad solum Christum & B. ejus Matrem contrahenda foret Ecclesia: de ceteris enim generatim pronuntiat S. Joan: Epist: I. c. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Non posteriori; quod ut pateat,

Prob: 1. pars, 1°. Ex citatis suprà comparationibus; 2°. Ex cap: 18. Matth: ubi jubet Christus ad Ecclesiam deferri peccatores, qui privatâ correptione emendari non possunt, & ab ejus sinu removendos si eam non audierint: Supponit igitur Christus ejusmodi peccatores in Ecclesia contineri, à qua ejici non debeant nisi propter contumaciam; 2°. Graviter rei erant & incestuosus de quo sermo est I. Cor: 5. & qui eum fidelium communione non privaverant Corinthii Pastores: atqui tamen erant hi omnes in Ecclesia, ut patet ex ejusdem Epistolæ cap: 1 ubi præmittit Apostolus se scribere *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi;* ergo.

Prob: 2°. Ex constanti PP. doctrinâ; quorum instar sit qui rem plenè tractavit Aug: Sic ille L. 3. contra Petilian: cap: 13. *Homo sum de Ecclesiâ Christi; palea, si malus; granum, si bonus.* (*Tom:* 9. *p.* 305. A.)

Prob: 3°. Rationibus Theologicis. I. Sacramentum Pœnitentiæ aliorum non est quam qui sunt in Ecclesia: atqui Sacramentum Pœnitentiæ justorum non est, sed peccatorum, ad quorum peccata post Baptismum eluenda à Christo est institutum; ergo.

II. Si morum pietas ad Ecclesiæ conditionem requiretur, visibilis non esset Ecclesia; & incertum omninò quinam de ea forent; sanctitatis enim & vitii conditio latet nos perinde ac prædestinationis arcanum, cùm scriptum sit, *Nemo scit utrùm odio vel amore dignus sit.* (*Eccli.* 9. *v.* 1.)

III. Illi sunt vere & simpliciter in Ecclesia, qui sunt membra Ecclesiæ saltem imperfecta: atqui peccatores... Qui enim pertinent ad corpus Ecclesiæ, licet animam ejus perfectè non participent, sunt saltem membra Ecclesiæ imperfecta. Quemadmodum enim membrum in homine, licet sit mortuum, modo tamen cum ejus corpore conjunctum sit, est adhuc membrum hominis licet *im*perfectum; ita qui conjunctus est cum

corpore Ecclesiæ, licet ejus animæ sit expers, est tamen membrum Ecclesiæ, quamvis imperfectum: atqui peccatores pertinent ad corpus Ecclesiæ, scilicet per professionem fidei externam, quamvis ejus animam perfectè non participent; ergo.

Obj: 1°. Cantic: 4. v. 7. de Ecclesia dicitur; *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et Ephes: 5. v. 27. ait S. Paulus, *Christum se ipsum tradidisse pro Ecclesiâ, ut exhiberet eam gloriosam: non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.*

R ad 1. dist: Tota pulchra est Ecclesia triumphans, de qua textum hunc intellexit Aug: L. 1. Retract: c. 19. C. Ecclesia militans, subdist: tota pulchra est, vel propter doctrinæ veritatem, ac sanctitatem morum, quam præcipit; vel comparativè ad veterem Synagogam & societates Hæreticorum aut Ethnicorum; uti explicat Aug: L. 2. de Civ: c. 28. Vel denique tota pulchra dicitur, sumptâ denominatione à parte nobiliori, animâ scilicet ipsius, quæ in fide, caritate, ceterisque virtutibus posita est, C. tota pulchra est quasi in arca ejus non sit cum frumento palea, N.

Ad 2. Tradidit se Christus ut exhiberet sibi Ecclesiam sine macula, quemadmodum tradidit se pro salute hominum: sicut ergo non omnes de facto salvantur; sic nec de facto omnes à macula liberi sunt.

Obj: 2°. Apostolus I. Cor: 10. de universo Fidelium coetu, ait: *Unus panis, unum corpus multi sumus; omnes; qui de uno pane participamus.* Atqui panis ex frumento duntaxat perficitur, non ex paleis admixtis. Hinc Rom: 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* R. dist Fideles sunt unus panis quantum ad aliquid, C. quantum ad omnia, N. Apostoli comparatio, (quæ prout exigit comparationum natura, in omnibus urgeri non decet) in eo stat, quod sicut ex multis granis per aquam fit unus panis, ità ex multis hominibus per gratiam Baptismi fit unus populus Dei. Constat autem ex hoc populo non solum bonos, sed & malos participare de uno pane Eucharistico; alias enim non arguerentur tam acriter quicumque de illo pane] indigne manducarent, quos ait Apost: judicium sibi manducare ac bibere. Hi etiam porrò ad Christum pertinent, non quidem ut viva membra, & palmites fructuosi in vite, sed ut membra mortua, arida, imperfecta, quæ tamen motum aliquem habent, tum propter externam unionem cum

reliquo corpore quod movet spiritus Christi; tum propter internam fidem quæ motum aliquem exercet.

Obj: 3°. S. Aug: passim in suis contra Donatistas Libris probat immeritò ab iis repeti Baptismum qui ab Hæreticis collatus est, eo prætextu quod illi in Ecclesia non sunt, cuï soli data sunt Sacramenta; quandoquidem nec datum à facinorosis Baptismum repetant; licet tam isti quam Hæretici in Ecclesia non deputentur. Sic ille Tract: 6. in cap: 1. Joan: n. 12. *Hoc ergo quæro,* inquit, *si columba est simplex, innocens, sine felle pacata in oculis, non sæva in unguibus; quæro utrùm ad hujus columbæ membra pertineant avari, raptores, subdoli, ebriosi?* Et infra; *Raptores membra accipitris possunt esse, non membra columbæ: milvi rapiunt, accipitres rapiunt, corvi rapiunt, columbæ non rapiunt, non dilaniant: ergo raptores non sunt membra columbæ.* Atqui in his supponit Aug: parem esse improborum & Hæreticorum conditionem. R. dist: supponit parem conditionem quantùm ad potestatem valide baptisandi, & maxime in principiis Donatistarum quos argumento premit, C, quantùm ad exclusionem ab Ecclesia, subd: ab Ecclesia inadæquate sumpta, hoc est, ab anima Ecclesiæ quæ illius pars est nobilior, C. ab Ecclesia adæquatè sumpta, tam pro corpore ipsius quam animâ, N. itaque cùm Aug: adversùs Donatistas supponit non magis improbos quam Hæreticos esse in Ecclesia, argumentatur *ad hominem,* & in ipsa Donatistarum sententiâ, ut ostendat immeritò ab illis reijci Baptismum datum ab Hæreticis, quandoquidem non rejicerent datum ab improbis, quorum tamen eadem, juxta ipsos, debebat esse conditio, quæ Hæreticorum; ideo enim Donatistæ Baptisma ab Hæreticis datum iterabunt, quia Spiritus S. ab iis dari non possit, qui nec ipsum haberent, nec essent Ecclesiæ membra: atqui, urgebat Augustinus, raptores & adulteri Spiritum S. non habent; & aliunde, juxta eos Donatistas, non sunt Ecclesiæ membra; quia ex vobis justi solum & perfecti illius sunt Ecclesiæ membra, quæ tota est sine rugâ & maculâ. Hoc esse S. Doctoris ratiocinium patet ex cap: 4. Libri 4. contra Donatistas, ubi sic arguit: *Sicut urgeri videor cùm mihi dicitur, Ergo Hæreticus dimittit peccata: Sic & ego urgeo cum dico, Ergo qui cœlestia mandata non servat, avarus, raptor, fœnerator dimittit peccata? Si per vim Sacramenti Dei; sicut ille, ita & ille. Si per meritum suum; nec ille, nec ille. Illud enim Sacramentum & in malis ho-*

Tom: 3. *part:* 2. *p.* 335. C.

minibus Christi esse cognoscitur: in corpore autem unicæ columbæ, incorruptæ, sanctæ, pudicæ, non habentis maculam aut rugam, nec ille invenitur. Atqui negat improbos columbæ formaliter, ut sanctæ & sine rugâ membra esse; simul admittit eos ad Ecclesiæ corpus pertinere. *Distinguamus*, aït L. 2. de Bapt: c. 7. *inter eos qui mali foris sunt, & eos qui intus mali sunt*; ergo *intus sunt*, etiam mali.

Obj: 4°. Qui non habent Deum Patrem, non possunt habere Ecclesiam matrem, at improbi non habent Deum patrem. Confirm: si mali essent Ecclesiæ membra, in eos aliquid influeret Christus, Ecclesiæ Caput: at Christus nihil influit in Malos.

R. ad 1. 1°. Quamvis improbi non haberent Ecclesiam matrem, non ideo statim extra Ecclesiam forent. In domo quippe seu familiâ non tantum filii sunt, sed etiam familiares & servi; licet ex Joan: 8. servi *non maneant in domo in æternum*, sed soli filii; 2°. Licet improbi non habeant Deum patrem, hoc sensu quod non sint filii Dei per imitationem, vel per gratiam adoptionis, habent tamen eo sensu, quod charactere ipsius per Baptismum consignati sint.

Ad 2. Christus non influit quidem in improbos per caritatem, at influit tum per spem & caritatem habituales, tum per motum exteriorem, quem toti suæ Ecclesiæ communicat.

ARTICULUS III.

An Hæretici sint in Ecclesia.

Hæreticorum alii manifesti sunt, qui ab Ecclesiæ communione palam recesserunt; alii qui abjectâ interius fide in externâ Ecclesiæ societate permanent. Quæritur an utrique reipsa sint Ecclesiæ membra. Duplex est ea de re opinio. Prima Juriæi, qui censet Ecclesiam universalem sinu suo complecti omnes Hæreticorum sectas, qui non errant in articulis fidei fundamentalibus, quique idcirco, hæresi non obstante, salutem æternam possunt assequi. Quo sensu, gravissima est præsens quæstio. Secunda quæ Catholicorum est docet sectam quamlibet, eo ipso quo ab *Ecclesia* Rom: deficit, salutis incapacem esse. An autem aliquatenus ad Ecclesiam pertineant, qui doctrinæ ejus non adhærent, disputant inter se Doctores nostri. Sit,

Conclusio I. Hæretici publici nullatenus sunt in Ecclesia, in qua una salus haberi potest.

Prob: 1°. Ex Apost: ad Titum 3. *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita, sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus:* Sed qui vitandus est, haud dubie in Ecclesia non est; Pastor quippe non vitare debet, sed curare eos qui ad suum gregem pertinent.

Prob: 2°. Tum quia ex supra dictis, Ecclesia ita est una, ut excludat quascumque Hæreticorum societates qui errant in articulis etiam non fundamentalibus: Tum quia ignota fuit toti Antiquitati Juriæi opinio, ipso fatente: antiquos puriorum seculorum Patres falsam sibi efformasse veræ Ecclesiæ notionem, quæ à Prophæta Juriæo emendari indiguerit, absurditas est ab iis solis devoranda, qui vertiginis spiritum epotaverint usque ad fæces.

Prob: 3°. Illi nullatenus sunt Ecclesiæ membra, qui nec corpus ejus nec animam participant; atqui Hæretici manifesti, 1°. Non participant Ecclesiæ corpus. Tria enim constituunt Ecclesiæ, corpus, scilicet externa fidei professio, Sacramentorum communio, Pastoribus legitimis debita subjectio: atqui nihil horum habent Hæretici manifesti; 2°. Nec participant Ecclesiæ animam. Hæc enim ad minus veram fidem requirit, atqui hanc Hæretici non habent. Non enim Ecclesiam audire volunt quæ est custos depositi: qui autem Ecclesiam non audit, is tanquam Ethnicus haberi debet. Non habet etiam caritatem: *Caritas enim Christiana,* aït Aug: L. 2. contra Lit: Petil: c. 77. *nisi in unitate Ecclesiæ non potest custodiri.*

Tom: 3. p. 165. C.

Conclusio II. Hæretici occulti sunt in Ecclesia, sed solum quoad corpus ejus, seu partem externam.

Prob: 1. pars: 1°. Quia non minus occulti Hæretici sunt in Ecclesia quàm improbi Catholici; neque enim caritas minus essentialis est Ecclesiæ, quàm fides; cùm utraque constituat ejus animam, quæ est nobilissima pars Ecclesiæ: atqui improbi careant licet caritate, vere tamen sunt in Ecclesia, quamvis imperfecte & tantum quoad ejus partem visibilem; ergo.

2°. Si præcise propter defectum fidei internæ non est quis in Ecclesia, nequidem imperfectè, dicendum erit 1°. Pastorem quemlibet, ac ipsum Rom: Pontificem, statim ut in aliquam hæresim occultam incidit, omni destitui in Ecclesia jurisdictione; unde invalidi

erunt omnes actus qui à vera jurisdictione dimanare debent: 2°. Nemini unquam constare posse quæ vera sit Ecclesia; quia nemini constare potest quis veram in corde fidem servet: atqui utrumque plenum est absurditatis & periculi. Ecquis, in hac hypothesi verè se dispensatum, approbatum, aut etiam absolutum certò confidat, hâc præsertim nostrâ ætate, ubi tot Ministri parum fidei præferre videntur.

Prob: 2. pars: Qui interna Ecclesiasticæ communionis vincula ruperunt, nonnisi imperfectè, & penes corpus solum ad Ecclesiam pertinent: atqui Hæretici occulti... Hinc juxta S. August: Tract: 1. in Epist: Joan: n. 4. Hæretici id genus *sic sunt in corpore Christi, quomodo, humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus; sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur. Et dicit, quando eos evomit, atque projicit corpus, Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cùm inessent.* Quibus verbis tradit S. Doctor occultos Hæreticos esse in Ecclesia quantum ad corpus, non quantùm ad animam.

Obj: 1°. contra 1. Concl: parabolam quæ extat Matth: 13. in qua dicitur homo bonum semen in agro seminasse, *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici.* Atqui ager Ecclesiam significat; zizania vero Hæreticos, ut explicant SS. Hieron: August: &c. ergo. R. dato & non concesso quod per agrum Ecclesia, per zizania verò Hæretici intelligendi sint, (plures enim è Patribus agri nomine mundum, in quo indubiè sunt Hæretici, intelligunt; & id expresse docet Christus ibid: v. 37.) parabola hæc apertè demonstrat, Hæreticos, quanquam exteriùs & secundùm quid in Ecclesia forent, non posse salutem assequi, sed igni æterno cruciandos reservari. *Quod enim dixit Christus*, ait hic S. Hieron: *zizaniorum fasciculos ignibus tradi, & triticum congregari in horrea, manifestum est Hæreticos quosque & hypocritas fid. . gehennæ ignibus concremandos.* Itaque ex ista parabola habemus, (quod hac in quæstione præcipuum est) Hæreticos salutem æternam assequi non posse, nisi hæresi depositâ, ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ se se receperint.

Tom: 4. part: 1. p. 59.

Idem est sensus Apost: II. Timoth: 2. *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea*

& fictilia, &c. Hic enim vel mundus totus per magnam domum intelligitur, ut volunt Græci PP. plerique: vel si Ecclesia, tunc vasa lignea vel improbos designant, vel Hæreticos necdum manifestos.

Obj: 2°. S. Hieron: Dial: adv: Lucifer: sic loquitur: *Arca Noë Ecclesiæ typus fuit... Ut in illa omnium animalium genera; ita & in hac universarum & gentium, & morum sunt homines. Ut ibi pardus & hœdi, lupus & agni;* atqui S. Doctor per lupos & hædos quos aït esse in Ecclesia, intelligit Hæreticos; siquidem inde concludit Baptisma Hæreticorum recipiendum esse; ergo.

Tom: 4. part: 8. p. 302.

R. 1°. Stupendam esse Juriæi cæcitatem, qui contra nos utatur iis S. Hieron: verbis, quibus apertè ipsius systema exploditur. Scilicet fatetur Juriæus, Hæreticos qui peccant in articulo fundamentales, non esse in Ecclesia: atqui loquitur, eo loci, S. Hieron: de Hæreticis hujusmodi, nempe Arianis, Simonianis, Menandrianis, Basilidianis, &c. quos nemo ignorat, impugnasse fundamentale dogma divinitatis Christi; eos igitur in Ecclesia sua haud dubie collocabit Juriæus.

R. 1°. neg: min: Nihil enim cogit ut dicamus per hædos & lupos intellexisse S. Hieronymum Hæreticos; imo argumentatio ducta ex improbis qui validè baptisant; magis urgebat eos cum quibus disputabat. Il scilicet rejiciebant Baptismum ab Hereticis datum, eo quod cum Spiritum S. non haberent, illum aliis dare non possent: at similiter & ad hominem urgebat Hieronymus; improbi Catholici Spiritum S. non habent, eorum tamen Baptismus ratus habetur: ergo pari ratione ratum erit Baptisma datum ab Hæretico?

Obj: 3°. Aliquot rationes. I. Ecclesia jus habet tantùm in suos, non in alienos: *Quid enim mihi est de iis qui foris sunt, judicare,* aït Apost: I. Cor: 1. atqui Ecclesia jus habet in Hæreticos quos punit & anathemate percellit; ergo. II. Baptisati & Sacerdotes sunt Ecclesiæ membra: atqui remanet in Hæreticis caracter Baptismi & Sacerdotii. III. Qui vera habent apud se Sacramenta quibus multi gratiam consequuntur, ii certè sunt in Ecclesia Christi, cui soli vera tradidit Sacramenta: atqui Hæretici vera habent Sacramenta, &c.

R. ad 1. neg: maj: Ecclesia enim jus habet in eos omnes qui ad illam aut pertinent aut pertinere debent. At Hæretici titulo Baptismi quem perceperunt, ad Ecclesiam pertinent, licet eos sinu suo ejiciat quem-

admodum ovis pertinet ad ovile unde fugit; & transfuga ad regem cui nomen dederat.

Ad 2. dico 1°. in Hæreticis, etiam qui negant articulos fundamentales, perſeverare caracterem Baptiſmi; an eos vera eſſe Eccleſiæ Chriſti membra concedet Juriæus? Non certè. Dico 2°. Remanere quidem in Hæreticis caracteres Sacramentorum; at iſti non ſufficiunt, ut quis ſit in Eccleſiæ: tum quia in damnatis etiam remanent illi caracteres; tum quia caracter ſacramentalis per ſe non habet vim uniendi hominem cum Chriſto Capite, ſed eſt merum ſignum unionis cujuſdam quæ anteà præceſſit, nec ſemper amplius perſeverat.

Ad 3. neg: major. Siquidem hæretici Ariani, Simoniani, Sociniani, & alii quotquot fundamentalem fidei veritatem negant, vera habent Sacramenta, nec eos tamen audet Juriæus veræ Chriſti Eccleſiæ deputare. Et verò Sacramenta illa ad veram Eccleſiam pertinent, ex qua diſcedentes Hæretici ea ſecum aſportarunt; neque tamen propterea ad Eccleſiam pertinere dicendi ſunt, niſi ſenſu maximè improprio, & cum hâc reſtrictione, ratione Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum. Ceterùm ii ſoli per Sacramenta in hæreſi ſuſcepta gratiam aſſequuntur qui hæreſi non conſentiunt, ſed neceſſitate quâdam ab Hæreticis Sacramenta percipere coguntur, quales ſunt v. g. infantes, aut etiam adulti qui ſimplici corde veritatem quærunt. Iſtos enim ſibi generat Eccleſia per uterum ancillarum ſuarum, ut aït S. Auguſtinus.

Obj: 4°. contra Concl: 2. fides, utique interior, eſt fundamentum & quaſi forma Eccleſiæ; juxta id Epheſ: 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*, Ergo qui fide internâ caret, non poteſt pertinere ad Eccleſiam. R. diſt. ant. Fides eſt fundamentum Eccleſiæ ſumptæ collectivè & quantùm ad totum corpus, C. neque enim ſtare poteſt Eccleſia univerſa ſine fide internâ & caritate. Quantum ad unumquodque diſtributivè Eccleſiæ membrum, quaſi ſine fide interna nullus poſſit eſſe verum, quanquam mortuum, Eccleſiæ membrum, N. Quippe ſi poteſt quis abſque caritate interiori ad Eccleſiam adhuc pertinere, quidni & abſque fide pariter interiori? Utraque enim virtus ex æquo toti Eccleſiæ eſt eſſentialis.

Obj: 5°. aliquot rationes. I. Eccleſia definitur à S. Aug: populus fidelis per univerſum orbem diſperſus:

atqui Hæretici occulti licet fidem profiteantur exterius, non sunt verè fideles, sicut nec hypocritæ sunt verè justi. II. Qui non habent unionem internam cùm Capite Ecclesiæ, non sunt veræ Ecclesiæ membra: atqui Hæretici occulti non habent, &c.

R. ad 1. dist: maj: Ecclesia est cœtus fidelium, quatenus nunquam potest Ecclesia esse sine veris & sinceris Catholicis, C. quasi necesse sit ut quodlibet ipsius membrum veram habeat fidem, N. sicut enim necesse non est ut veram habeat caritatem; sic nec requiritur absolutè ut veram habeat fidem.

Ad 2. neg: min: membra enim licet arida, quia nondum amputata, vera membra sunt.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm Schismatici sint in Ecclesia.

Schisma est voluntaria separatio ab Ecclesia. Unde sicut *hæresis per se opponitur fidei, schisma per se opponitur unitati Ecclesiasticæ caritatis. Et ideo sicut fides & caritas sunt diversæ virtutes... ità schisma & hæresis sunt diversa vitia.* Ceterùm schisma in hæresim desinere solet; quia à scissura unitatis, eò quis facilè venit ut primos Pastores aspernetur, iisque autoritatem, quam juxta Scripturam habent, deneget. Jam quæritur an Schismatici sint in Ecclesia, pront Juriæo visum est. Sit

S. Thomas 2. 2. quæst: 39.

CONCLUSIO. Schismatici non sunt in Ecclesia.

Prob: 1°. Ecclesia unum est Ovile, unum Corpus Christi, una Domus, &c. atqui huic unitati planè opponitur schisma, quod divisionem & separationem importat.

Prob: 2°. ex SS. Patribus. Cyprian: Ep: 69. *Ecclesia, inquit, quæ Catholica est, una est, scissa non est, nec divisa, sed utique connexa;* ergo quod scissum est ac divisum per schisma, ad Ecclesiam non pertinet.

Pag: 118.

S. Hieron: in cap: 3. Epist: ad Titum: *Inter hæresim & schisma,* inquit, *hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet;* ergo sicut hæresis aperta ab Ecclesia verè separat, ita *pariter* & schisma.

S. Ambrosius, Lib: 1. de excessu fratris sui Satyri, n. 47. hæc narrat: *Advocavit ad se Episcopum, percontatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis,*

Tom: 2. p. 1126. E.

hoc est, cum Romanâ Ecclesiâ conveniret? & forte in schismate regionis illius Ecclesia erat: Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diviserat, & quanquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putavit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patiebantur membra lacerari; ergo ubi est schisma, hîc consistere non potest *Ecclesia* vera seu *Romana.*

Prob: 3°. *De ratione Ecclesiæ est ut sit una unione membrorum inter se, & cum suo capite: atqui hanc unionem Schismaticus tollit, dum se à communione Capitis & aliorum membrorum separat.* *Bellar: Lib: 3. c. 5.*

Neque vero ille dici potest pertinere aut ad animam, aut ad corpus Ecclesiæ: non ad animam, siquidem violat pacem & caritatem; non ad corpus, à quo recedit, vel non obediendo Pastoribus legitimis, vel privatos confessus instituendo.

Obj: 1°. In divisione decem Tribuum Israël à Tribu Juda, factâ à Jeroboam, verum & perfectum fuit schisma: atqui tamen Tribus illæ extra Ecclesiam non fuêre; tum quia à Tribubus Juda & Benjamin fratres appellantur; tum quia ad eos mittebat Deus Prophetas Eliam, Elisæum, &c. R. dist: maj: Verum fuit schisma quantum ad eos qui Jeroboami exemplo vitulum aureum ac Baal adoraverunt, C. isti enim non tantum schismatis, sed & idololatriæ rei fuêre. Quantùm ad alios, qui unum verum Deum semper coluerunt, N. Hi nempe etsi Jerosolymam non pergerent singulis annis sacrificia oblaturi, non propterea tamen verè Schismatici erant, quia nec sponte nec animo, sed coacti propter Edictum Principis, eo Religionis officio non defungebantur, atque saltem animo communicabant cum Juda & centro Religionis. Et certè Elias, Elisæus, veri erant Dei cultores, nec tamen ipsi pergebant Jerusalem. *III. Reg. 32.*

Obj: 2°. Nascente Christi Ecclesiâ, Judæi nullam societatem cum Gentibus conversis habebant etiam in cibo, ut patet ex Galat: 2. ergo verè erant schismatici; neque tamen separati ab Ecclesia. R. dist: ant: Judæi aliqui, ii maximè qui Legalium observationem plane Gentibus necessariam esse contendebant, & idcircò ab Apostolis damnati sunt, C. qui Legalia quidem observabant, nec tamen necessaria esse contendebant, subdist: ii erant schismatici, impropriè & abusive, quia hâc Legalium observatione à Gentibus

distinguebantur & quodam modo se segregabant, C. erant schismatici proprie, N. quod igitur nonnulli Judæi se se à mensis Gentilium retraherent, vitium certe fuit in illis conversationis, ut ait S. Aug: & imprudentiæ, quod palam redarguit S. Paulus, ut patet ex Galat: 2.

Obj: 3°. Multi nunc sunt & olim fuerunt Schismatici à communione R. Pontificis separati, quos tamen extra veram Christi Ecclesiam fuisse nemo dixerit. Sic hodie sunt omnes Sectæ Orientales; atque in iis maxime universa Ecclesia Græca. Sic olim fuêre omnes Asianæ Ecclesiæ quas S. P. Victor in causa Paschatis excommunicavit; SS. Cyprianus & Firmilianus, quos similiter excommunicavit Stephanus S. P. propter errorem rebaptisantium. Sic, ut alios plures omittam, Patres ipsi Basileenses schismatici fuêre, utpote qui Eugenio IV. invito Synodum Basileensem protraxerunt, imo & ipsum Eugenium deposuerunt: atqui non ideo velut extorres ab Ecclesia habiti sunt.

R. ad 1. Ecclesias Orientales vere schismaticas esse, non adhærent unitatis centro, non adhærere autem, si R. Episcopum Caput Ecclesiæ à Deo constitutum non agnoscant; 2°. Non omnes plane illarum societatum Fideles esse proprie schismaticos, qui in iis plurimi sunt, qui animo & affectu Capiti Ecclesiæ adhærent quod fuit à Christo institutum; inde hîc viget id Aug: Ep: 43. *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem totâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.*

Tom: 2. P. 88. F.

R. ad 2. 1°. Equidem Victorem & Stephanum comminatos fuisse anathema in Asiaticos & Africanos: at uterque ultra minas non perrexit. Id testantur de Victore, Firmilianus, Epist: ad S. Cypr: Eusebius Lib: 5. c. 24. S. Hieron: de Script: Eccles: c. 46. Idem dicendum de S. Stephano, uti tom. 6. ostendam.

R. 2°. Quoddam olim in usu fuisse excommunicationis genus, quo R. Pontifex per quandam dispensationem omni sua potestate non usus, aliquos Episcopos à suâ communione specialis caritatis ità separabat, ut eos interim vellet Ecclesiæ suæ communione esse contentos, non autem à totius Ecclesiæ communione idcirco alienos. Sic Leo Magnus, Epist: 60.

ad Anatolium, vult Episcopos Latrocinii Ephesini Ecclesiarum suarum communione aliquandiù contentos esse. Eâdem excommunicatione partiali usæ sunt Africanæ Synodi. Hujus generis fuisse excommunicationem, quæ Victori & Stephano tribuitur (si tamen verè eam tulerunt) merito dici potest.

R. ad 3 quidquid sit de Patribus Basileensibus cùm Eugenii IV. depositionem attentarunt, Papa Felix quem ipsi creaverant, cessit tandem Nicolao Eugenii successori & Patres Basileenses qui Lausannam Concilium transtulerant, eidem Nicolao legitimo Pontifici paruerunt. Constant hæc ex Epist: Nicolaï V. Itaque hujusmodi exemplum adversarios non juvat.

Obj: 4°. ex Aug: Lib: 1. de Bapt: c. 1. *Si quis recessit ab unitate, aliquid aliud agere voluerit quam quod in unitate percepit, in eo recedit atque disjungitur; quod autem ita vult agere, sicut in unitate agitur, ubi hoc accepit & didicit, in eo manet atque conjungitur;* ergo, aït Juriæus, Schismatici in unitate manent, modò id agant quod agitur in unitate. R. neg: conseq: Hæc enim verba, *in eo manet atque conjungitur*, non significant apud August: Schismaticos esse in unitate Ecclesiæ; sed iis duntaxat cum Ecclesiâ commune esse, quod Sacramenta validè administrent.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrùm excommunicati sint in Ecclesia.

Supponenda hîc sunt quæ de excommunicatione tra-demus ubi de Censuris. Sit

CONCLUSIO. Excommunicati verè non sunt in Ecclesia.

Prob: 1°. Ex Matth: 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus;* ubi sermo est de iis qui ab Ecclesia præcisi sunt, ut demonstrant hæc sequentia Christi verba: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, &c.* Atqui Ethnici & Publicani non sunt de Ecclesia; ergo nec præcisi.

Prob: 2°. ex SS. Patribus. Cyprian: Epist: 62. *Spirituali gladio,* inquit, *superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cùm domus Dei una sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.*

S. Aug: Lib: de unitate Eccl: cap: ult: aït, *excommu-*

nicari esse visibiliter præcidi à corpore Ecclesiæ. Et Lib: de cor: & grat: c. 15. dicit *per excommunicationem separari ab ovibus sanis ovem morbidam, ne per plures serpant dira contagia.*

Prob. 3°. Tùm quia per excommunicationem privantur Christiani omni commercio spirituali quod habent tanquam unius Ecclesiæ membra inter se; tùm quia excommunicati nec ad corpus Ecclesiæ pertinent, à cujus communione exteriori præcisi sunt; nec ad animam, cùm supponantur contumaces in suis delictis.

Obj: Aug: Lib: contra Donatistas cap: 20. ait: *A populo Dei non separamus, quos vel degradando vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendi locum redigimus*: atqui per populum Dei intelligi debet Ecclesia; ergo R. hic agere S. Doctorem vel de separatione perpetuâ quæ est sinè spe salutis & reditûs; vel quod probabilius est, non separari à populo Dei, idem esse ac à sanctis hominibus non separari, qui maxime sunt populus Dei & viva corporis Christi membra: quia nempe excommunicatio per se & directè nunquam hominem privat interiori communione quæ fit per gratiam & caritatem.

Tom: 9. p. 597.

ARTICULUS VI.

Utrùm Catechumeni sint in Ecclesia.

Catechumenus, aït S. Isidor: Hispalens: *est ille qui adhuc fidei doctrinam audit, necdum tamen Baptismum percepit.* De eo quærimus, an verum sit membrum corporis Ecclesiæ: corporis dico; de eo enim agere nos non semel monuimus: posse verò Catechumenos ratione internæ fidei ac caritatis ad animam Ecclesiæ pertinere, adeoque illos salvos fieri posse, tanquam certum supponimus. Itaque sit.

Concl: Catechumeni non sunt actu vera Ecclesiæ membra.

Prob: Illi non sunt actu Ecclesiæ membra, qui nondum Christo inserti sunt per Baptismum: qui nullum jus habent ad Sacramenta Ecclesiæ, aliaque omnibus Christiani communia; quos denique SS. Patres semper à Fidelibus distinxerunt: atqui Catechumeni, 1°. Nondum Christo per Baptismum inserti sunt, ut per se patet: & idcirco inter candidatos fidei ad Baptismum aspirantes recensentur. Porrò nemo fieri potest membrum Christi & Ecclesiæ sine Baptismo, per

quem aditus aperitur ad Ecclesiam; 2°. Nullum jus habent ad Sacramenta Ecclesiæ, &c. Est enim Baptisma primus ad omnia Sacramenta, gradus: 3°. SS. Patres Catechumenos semper distinxerunt à Fidelibus. *Quandiu*, aït S. Gregor: Nazianz: Orat: 40. in sanctum Baptisma, *quandiu in Catechumenorum numero es, in pietatis vestibulo es. Intrare te oportet, atrium pertransire, Sancta contueri, cum Trinitate conjungi.* Idem docent Chrysost: Hom: 24. in Joan: Cyrillus Lib: 12. in eundem, &c.

Obj: 1°. Extra Ecclesiam nemo salvari potest: sed Catechumeni salvari possunt; ergo non sunt extra Ecclesiam. R. dist: maj: extra Ecclesiam sumptam tam pro anima quam corpore, nemo salvari potest, C, sumptam pro corpore, subdist: si ex sua culpa non sit in illo Ecclesiæ corpore, C. si absque ullâ suâ culpâ, N. Licet autem Catechumeni de facto sint extra corpus Ecclesiæ, ad illud tamen animo & affectu pertinent, & propter fidem ac perfectam caritatem, quam supponuntur habere, salvi esse possunt, si ante perceptum actu Baptismum ex vivis rapiantur.

Obj: 2°. Non minùs Catechumeni sunt de Ecclesia, quàm mali Catholici: imo magis esse debent de Ecclesia, qui ad animam ejus pertinent, quàm qui ad ejus corpus: atqui plures Catechumeni pertinent ad animam Ecclesiæ, improbi vero pertinent tantùm ad corpus Ecclesiæ. R. ex dictis sæpius nos hìc agere de corpore Ecclesiæ: ad illud autem magis pertinent improbi Catholici per Baptismum, quam Catechumeni.

QUÆSTIO QUINTA.

De Capite Ecclesiæ.

Ecclesiæ Caput aliud est supremum ac invisibile, Christus scilicet, *quem Deus dedit Caput supra omnem Ecclesiam.* Aliud ministeriale & externum, nempe S. Pontifex, qui per excellentiam Summus Pontifex appellatur, propter primatum honoris ac jurisdictionis quo in totâ gaudet Ecclesiâ. Quod ut magis declaretur, sit.

Ephes: 1.

ARTICULUS PRIMUS.

De Primatu S. Petri.

Primatûs nomine non tantùm honoris & dignitatis prærogativam, sed etiam potestatis & jurisdictionis

præeminentiam intelligimus. Cùm verò Rom: Pontifex aliam habere non possit autoritatem, quàm quæ S. Petro, cui succedit, concessa est, certè si æqualis fuit in omnibus cum ceteris Apostolis S. Petrus, ut an. 1645. contenderunt Janseniani quidam, nulla consequenter suprà Episcopos, qui Apostolis succedunt, competet R. Pontifici autoritas. Sit

CONCLUSIO. S. Petrus primatum accepit à Christo supra alios Apostolos.

Prob: 1°. Ex Scripturis: Matth: 16. Christus. S. Petrum sic alloquitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam . . . Et tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, &c.* unde sic: Ille super quem Christus Ecclesiam suam specialiter ædificat, cuique principali quâdam & eximiâ ratione tribuit claves Regni Cœlorum, primatum in Ecclesiâ vere recepit: atqui Christus 1°. Ecclesiam suam super S. Petrum specialiter ædificat.

Prob: min: 1°. Ex ipso contextu, in quo Ecclesiæ ædificium non super prævia Petri confessione, vel Christo, sed super ipsâ Petri personâ fundari dicitur. Nimirum verò Christus divinitatis suæ confessionem à Petro factam remunerare intendit: Dixisti, aït Salvator, & vere dixisti, me Filium esse Dei vivi: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* quæ verò Petri prærogativa, quæ splendidæ ejus fidei & confessionis merces, si tantùm spondeat Christus se vel super persona sua, vel super ipsa divinitatis suæ fide, de quibus nihil poterat esse dubii, Ecclesiam suam ædificaturum? Idipsum indicat pronomen demonstrativum *hanc*, quod certe ad eam petram refertur, de quâ Christus primùm locutus erat. Unde in Syriacâ linguâ, quâ Evangelium conscripsit Mathæus, idem utrobique nomen reperitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.*

Eadem minor constat ex Patribus: etsi enim eorum aliqui per petram intelligant vel Petri confessionem, vel ipsum Christum, vel alios seu Apostolos, seu Fideles, nullus tamen Petri ipsius personam excludit: imo bene multi expresse, idque litteraliter magis, designant: ità Tertull: Origenes, Cyprian: Firmilian: Epiphan: &c.

3°. Christus, etsi Apostolis omnibus Regni Cœlorum claves tradidit, Matth: 28. & Joan: 20. eas tamen Petro tradidit speciali ratione quæ præeminentiam demonstrat. Ita Patres, Tertull: Scorpiaci c. 10. *Me-*

mento, inquit, *claves ejus, hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Cypr: Lib: de unit: Eccl: *Loquitur Dominus ad Petrum... Tu es Petrus... & tibi dabo claves... Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat... tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram instituit, & unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem suâ autoritate disposuit.* Hieron: Lib: 1. adv: Jovinian: postquam dixit omnes Apostolos claves Regni Coelorum accepisse, *propterea tamen*, inquit, unus *inter duodecim eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Aug: Tract: 124. in Joan: *Cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui primatum gerebat figuratâ generalitate personam... Quando ei dictum est, tibi dabo claves... universam repræsentabat Ecclesiam.*

Prob: 2°. Quia quod promiserat Christus Matth: 16. id reipsâ contulit Joan: 21. ubi sic Petrum alloquitur: *Simon Joannis diligis me plus his? Pasce agnos meos, Pasce oves meas.* Cui enim non agnorum modò, seu populi simplicis, sed & ovium, seu ipsorum Episcoporum, qui sunt veluti agnorum matres, cura committitur, illi in omnes omnino tribuitur principatus: atqui in citato textu, non agnorum duntaxat....... Prob: min: ex PP. Epiph: in Anchorato: *Hic est*, Petrus, inquit, *qui audivit: Pasce oves meas, cui creditum est ovile. Ovile autem est universalis Ecclesia.* Chrysost: in hunc Joannis locum: *Aliis omissis Petrum duntaxat affatur Christus; fratrum ei curam committit, id est, ipsorum etiam Apostolorum.* Idem docent SS. Maximus Taurinensis, Gregor: Magn: Theophilactus, &c. Merito igitur illust: Bossuet: in Sermone habito coram Gallicanis Patribus an: 1582. solemniter congregatis, hæc quàm facunde, tam vere è suggestu pronuntiabat: *C'est à Pierre qu'il est ordonné de paître & les agneaux & les brebis, & les petits & les meres, & les Pasteurs même; Pasteurs à l'égard des peuples*, nous sommes *brebis à l'égard de Pierre.*

Prob: 3°. ex PP. quorum, ne infiniti simus, aliquos proferre sufficiet. Origines in c. 6. Ep: ad Rom: hæc habet: *Petro cùm summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum velut super petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis ulterius ab eo, nisi caritatis exigitur.* Epiphan: hær: 51. *Petrum elegit Christus ut dux esset Discipulorum.* Chrysost: hom: 87. in Joan: *Petrus est princeps, & vertex Apostolorum.*

Idem tradunt Latini: Cyprian: Epist: ad Quintum: *Petrus super quem Dominus ædificat Ecclesiam suam*: ad quæ verba Aug: Lib: 2. de Bapt: c. 1. *Ecce*, inquit, *commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratiâ præeminet, &c.* Meritò igitur sacra Facultas Paris: die 15. Decembris an. 1617. in censura adversùs quatuor priores Libros de Republica Ecclesiastica Marci Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis & apostatæ, rem promovente doct: Ysamberto tunc Syndico, ac Regio Professore, quintam hanc ejus propositionem: *Disparitas potestatis inter Apostolos, humanum est inventum, in sacris Evangeliis & divinis novi Testamenti Scripturis minimè subsistens*, sic notavit: *Hæc propositio est hæretica & schismatica, de jurisdictione Apostolicâ, ordinariâ, quæ in solo divo Petro subsistebat, intellecta.* Quibus verbis jam tum præformavit sacra Facultas censuram eorum qui anno 1645 in duobus gallico idiomate conscriptis Libris docuerunt, parem fuisse in omnibus S. Pauli cum S. Petro autoritatem: quam doctrinam ut erroneam & hæreticam proscripsit Innocentius X. anno Domini 1647. die 24. Jan.

Obj: 1°. Ut ex citatis Evangelii textibus nihil inferri valeat, sufficit ut claves Regni Cœlorum datæ sint Apostolis omnibus, & ad eos omnes dictum sit: *Pasce oves meas*: atqui, R. dist: min: Omnibus Apostolis claves Regni Cœlorum datæ sunt, &c. salvâ semper prærogativâ primatûs S. Petri, C. eâ exclusâ, N. Elucet verò illa prærogativa in citatis verbis, quia S. Petro tanquam figuram Ecclesiæ gerenti, ac primum inter ceteros Pastores locum occupanti, claves Regni Cœlorum, & gerendas oves Christus commisit; ut ex citatis PP. textibus constat.

Inst: 1°. Omnes Apostoli sunt Ecclesiæ fundamenta. Unde Ephes: 2. dicitur: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; ergo nihil præ ceteris habuit Petrus. R. neg: conseq: Etsi enim Apostoli omnes ubique Ecclesias fundare, verbum Dei annuntiare, Sacramenta dispensare poterant, quo sensu fundamenta Ecclesiæ dicuntur; erat tamen subordinatio inter ipsos, ac Petrum tanquam suum Caput à Christo positum habebant. *Inter duodecim*, aït Hieron: *unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* Unde Christus Luc: 9. v. 48. ubi Zebedæi filios emendat, rejicit duntaxat primatum qui sit cum

ambitione, fastu, & absoluto imperio conjunctus, qui magis sit ad terrorem, quàm ad ædificationem; qui demùm à Gentibus exercebatur. Talem porrò primatum nec habuit nec exercuit unquam S. Petrus, qui communi consilio, non supremâ voluntate, exortas de Religione controversias in Synodo Jerosolymitanâ definivit; qui caritate magis quam dominio, humilitate meliùs quam autoritate ceteros Apostolos superavit: unde Epistolæ suæ I. c. 5. *Pascite,* inquit, *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Obj: 2°. Scriptura innuit S. Paulum S. Petro æqualem in omnibus fuisse. Nam 1°. ipse Paulus Galat. 2. declarat sibi à Christo commissum *Evangelium præputii,* sicut *Petro* Evangelium *Circumcisionis;* 2°. Fatetur idem II. Cor: 11. 18, sibi omnium Ecclesiarum solicitudinem seu curam esse concreditam; 3°. ibid: c. 12. 11. aït se *nihil minùs* fuisse *ab iis qui sunt supra modum Apostoli;* 4°. Denique Galat. 2. scribit se *in faciem* Petro restitisse, *quia erat reprehensibilis.* Atqui id superioritatem quamdam, nedum æqualitatem arguit.

R. nego ant: Unus enim duntaxat primus esse potest; ergo si primus fuit S. Petrus inter Apostolos, ut reverâ fuit, solus fuit, primus. Unde.

Ad 1. dico hîc tantum agi de partitione laboris, quia Paulus Gentibus præcipuè Evangelium annuntiavit, Petrus verò Judæis; non autem de partitione Jurisdictionis. Ceterùm Gentiles primario jure à S. Petro evangelisatos esse constat ex Act: 10. ut & Judæos à Paulo, ex Act: 9. 15.

Ad 2. rectè aït S. Paulus incumbere sibi sollicitudinem omnium Ecclesiarum, quia omnes Apostoli amplissimam acceperant à Christo Ecclesiæ ubique regendæ autoritatem, cum hoc tamen duplici discrimine: 1°. Quòd autoritas Petri Apostolica in ejus successores esset transmittenda, non autem aliorum Apostolorum: unde qui proximè Jacobum secutus est in Episcopatu Jerosol: autoritatem habuit ad privatæ tantùm Dioeceseos fines contractam; contra verò Linus qui Petro successit, universalis ejus autoritatis fuit hæres, quæ in ceteros subindè R. Pontifices dimanavit; 2°. Qui ita plenitudinem potestatis à Christo habuerunt omnes Apostoli, ut Petrus eorum Caput esset

ac rector, ad unitatem scilicet Ecclesiæ conservandam.

Ad 3°. Non fuit equidem Paulus Petro inferior quantum ad labores Apostolicos, zelum, miracula, ipsum munus Apostolicum; at fuit, & esse debuit quoad primatum.

Ad 4. 1°. Non constat an Cephas reprehensus à Paulo idem sit qui Petrus; 2°. Dato quod ipse sit, hinc tantum sequitur Caput & Pastorem Ecclesiæ posse aliquando sanctæ cujusdam libertatis caritate ab inferiori redargui. Ita S. August: Epist: 18. alias 19. ad Hieron:

Tom: 8. *p*. 138. F.

Obj: 3°. Petrus Act: 11. rationem reddere cogitur, cur ad incircumcisos ingressus sit: atqui hæc male cohærent cum primatu. Superior enim mittit, non mittitur; & solus qui subjectus sit, facti sui rationem reddit. R. neg: min: & dico ad 1. Petrum Samariam missum fuisse non ex imperio, sed ex consilio & mutuo consensu, prout inter amicos fieri consirevit. Et verò Josue 22. Phinees mittitur ad filios Ruben & Gad, & tamen Phinees, utpote summus Sacerdos, toti genti præerat. Ceterum cum Petrus à toto Apostolorum Collegio missus sit, hinc ad summum sequeretur eum Apostolis omnibus collective sumptis inferiorem fuisse: quod Galli lubenter admittunt cum Stapletone & aliis.

Ad 2. boni est Pastoris, sicut ipse docet Petrus Epist: I c. 3. *paratum semper esse ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in ipso est spe & fide, cum modestia*. Hinc Petri modestiam in hoc facto egregiè notavit S. Greg: Magnus.

Obj: 4°. S. Cyprian: Lib: de Unitate Ecclesiæ, ubi sic: *Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prœditi & honoris & potestatis, sed exordium ad unitatem proficiscitur*; ergo censuit sanctus Doctor omnes Apostolos inter se æquales fuisse. R. dist: conseq: censuit omnes Apostolos inter se æquales fuisse, in autoritate Apostolicâ, C. in primatu, N. Pares fuêre omnes priori sensu Apostoli, qui omnes amplitudinem potestatis Apostolicæ habuerunt, per quam ubique Christum annuntiare, Ecclesias fundare, Spiritum S. dare, & alia omnia ad publicum Ecclesiæ regimen necessaria exercere poterant. Verùm non omnes in primatu æquales fuêre; imo hoc in terminis implicat: inter multos enim si quis primus est, unus ille est primus. Porrò S. Cyprian: in Petro pri-

matûs dignitatem agnovisse demonstrant ejus verba inter probationes laudata. Imo & in ipso loco unde petitur, objectio, primatum illum agnoscit, cùm aït; *exordium ab unitate proficisci*: unitas enim illa ab uno Capite repetitur.

Inst: Ex S. Cypriano ibid: *Episcopatus unus est, cujus pars à singulis in solidum tenetur*: atqui ubi unus est Episcopatus, nullus potest inter Episcopos prior & major esse. R. dist: min: nullus est major quoad ea quæ Episcopatui sunt essentialia, C. quoad accidentalia, N. Sicut ergo natura humana una est, & tenetur in solidum à singulis hominibus; nec tamen omnes ejusdem sunt in statu politico dignitatis; sic in Episcopatu, quæ ipsi essentialia sunt, ad omnes Episcopos pertinent: quæ vero accidentalia, ut primatûs autoritas, ad unum præ ceteris, ad eum nempe quem Dominus elegit. Eodem sensu intelligendus est S. Ambrosius, qui licet Serm: 12. dubitet an Petro Paulus superior fuerit ratione zeli & laboris, nullibi dubitat an Paulo Petrus superior sit ratione autoritatis. Pag: 180.

Obj: 5°. SS. Patres docent æqualem in omnibus fuisse Petro Paulum. Sic S. Iren: L. 3. adv: hær: c. 3. aït expressis verbis, *Ecclesiam R. à SS. Apostolis Petro & Paulo institutam & fundatam fuisse*. S. Epiphanius hæresi 17. n. 6. *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt*. Sed qui pares sunt in Episcopatu Romano, pares etiam sunt in primatu: alioqui sequeretur aliquem fuisse Episcoporum R. qui primatu caruerit. Idem docent alii plures.

Idem constat. 1°. ex ipsis summis Pontificibus qui se dicunt successores Petri & Pauli: unde Paulus III. in Decreto convocationis Conc: Trident: sic loquitur: *Autoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quâ nos quoque in terris fungimur*. 2°. Ex consuetudine exprimendi in Diplomatibus Pontificiis effigies SS. Petri & Pauli; atque interdum dexterâ Paulo, interdum Petro datur; 3°. Ex Officio Ecclesiæ Latinæ, quæ ambos ex æquo vocat *Judices seculi, & Principes terræ gloriosos, per quos Ecclesia Religionis sumpsit exordium*.

Respondet Bellarminus Lib: 1. de R. Pontifice c. 27. quod etsi constaret Paulum omnibus titulis Petro æquandum vel etiam anteponendum esse, nihil tamen propterea imminueretur Petri primatus, vel R. Pontificum autoritas. Non 1. quia Pauli autoritas duntaxat extraordinaria foret: unde sicut in populo Isra-

elitico major erat Moïses Aarone, & tamen verè ac propriè Pontifex fuit Aaron; adeo ut soli hujus posteri in summa Dignitate successerint, quia potestas Moysis extraordinaria erat, Aaronis vero ordinaria, & ideo in posteros suos traducenda; ita pariter in præsenti. Non 2. quia R. Pontifices tam Petrum quam Paulum prædecessorem agnoscunt: uterque enim Romanam fundavit Ecclesiam & gubernavit.

R. 2°. Ex citatis Patrum testimoniis istud solummodo inferri posse, S. Paulum in autoritate Apostolicâ æqualem fuisse S. Petro, uno duntaxat excepto primatu. Unde.

Ad 1. duo hæc valdè diversa sunt, S. Paulum una cum S. Petro R. Ecclesiam fundasse prædicatione & sanguine, &c. & S. Paulum unum fuisse cum S. Petro Ecclesiæ Caput, in quantùm R. Ecclesia centrum est totius Ecclesiæ: primum asserit S. Irenæus, alterum verò minimè.

Ad 2. R. SS. Petrum & Paulum Apostolos pariter fuisse & Episcopos Romæ, quoad munus docendi, non verò quoad autoritatem regendi totam Ecclesiam: unde sequitur pares illos fuisse in autoritate Apostolicâ, excepto primatu. Porro citato loco non agit S. Epiphanius de autoritate, ex quâ solâ desumitur ratio primatûs & denominatio Capitis; sed agit duntaxat de doctrina, quæ quidem exigit autoritatem missionis, quam à Christo ipso Paulus accepit; non vero autoritatem primatûs, quâ caruit.

Ad id quod additur, hinc sequi aliquem Episcopum Roman: primatu caruisse: R. dist: aliquem Episcopum Romanum extraordinarium, C. ordinarium, N. Porrò R. Paulus Episcopus fuit Romæ cum B. Petro, sed non æquali jure. Extraordinarius quidem Episcopus fuit propter Apostolicum munus, quod jus Episcopale ubique terrarum omnibus Apostolis conferebat; sed Episcopus ordinarius non fuit: unde Epiphanius ibid: aït, B. Clementem consecratum fuisse Romæ à S. Petro, non à S. Paulo: non ob aliam utique rationem, nisi quod Petro, non Paulo singularis conveniret autoritas, cui jus ordinarium annexum esset. Et vero PP. qui, ut S. Cyrillus, Petrum & Paulum Ecclesiæ præsides appellant, Petrum, cum de eo solo loquuntur, vel Protopræsidem dicunt, vel alio quopiam æquivalenti titulo decorant.

Ad id quod dicitur de R. Pontificibus, Resp: eos dici successores SS. Petri & Pauli, quoad successionem

realem, non quoad successionem personalem. Successio realis est ea, quâ quis sibi vindicat jura omnia illius cui succedit: sic filius succedit patri; sic etiam R. Pontifices succedunt non tantùm Petro & Paulo, sed etiam omnibus Apostolis, quorum gaudent juribus. Successio personalis est ea, quâ quis in munere aliquo obeundo alteri succedit, ut Consul Consuli: & hoc sensu R Pontifices non succedunt Paulo: cùm summa potestas quâ gaudent non fuerit penès Paulum, sed solummodò penes Petrum. Unde S. Bernardus Lib: 1. de Consid: ad Eugen: aït: *Tu es potestate Petrus.*

Quod additur de Paulo III. nihil probat. Nam legimus varios Pontifices in suis Diplomatibus non tantùm Petri & Pauli, sed etiam B. Virginis & omnium SS. autoritatem appellare. Ità Joannes VIII. Epist: 262. Alexander II. Epist: 9. Nihil aliud igitur significant eæ loquendi formulæ, præter vim patrocinii, quam ad officium ritè obeundum implorant, non verò autoritatem officii cui Pontifices succedant.

Quod refertur de sigillis Pontificiis, parum urget. Certè sigillo suo effigies SS. Gervasii & Protasii insculpi curaverat S. Carolus Borr: nec tamen decessores in Mediolanensi Archiepiscopatu idcirco agnoscebat, sed singulares tantùm apud Deum patronos. Deinde sub annulo Piscatoris, id èst, Petri solius obsignantur Pontificia Diplomata; & alio modo obsignata in Gallia pro legitimis non haberentur.

Quod dicitur dexteram interdùm dari immagini S. Pauli, leve est: namque partem dexteram non esse semper locum in Ecclesia honoratiorem, patet, tùm ex VII. Synodo Act: 4. ubi refertur, Sophonium Patriarcham Hierosl: vidisse admirabilem imaginem quæ Christum in medio adumbratum exhiberet, B. Virginem à sinistris, & S. Joannem à dextris. Tùm ex Synodo Chalced: in qua Dioscorus, licet mox damnandus, dexteram tenebat, Legati verò S. Leonis sinistram. Tùm quià Summus Pontifex in Officiis Ecclesiasticis, sedet in parte sinistra Chori &c.

Ad Officium Ecclesiæ, R. hæc verba, *per quos Ecclesia sumpsit exordium*, innuere quidem paritatem utriusque Apostoli in Ecclesiæ institutione; non vero in præeminentia primatûs. Per omnes etiam Apostolos Ecclesia sumpsit exordium: Petrum nihilominùs ab Evangelio & Patribus dictum fuisse Apostolorum primum, negare nemo potest.

Nec obstat quod *Judices seculi* dicantur Petrus & Paulus: namque id omnibus Apostolis commune est; cùm de illis omnibus & singulis in Officio suo canat Ecclesia: *Constitues eos principes super omnem terram; Vos secli justi Judices.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De primatu Romani Pontificis supra Episcopos.

Romani Pontificis primatum rabido dente impetierunt post Joan: Hus, Lutherani & Calvinistæ, quorum plures eo etiam progressi sunt furoris, ut Papam Antichristum appellarent.

Longe aliter sentiunt Catholici, & Summi Pontificis primatum, non honoris tantùm, sed etiam jurisdictionis & autoritatis esse confitentur. Verum in assignandis hujusce jurisdictionis limitibus ac prærogativis, discordes sunt inter se. Ultramontani enim eò usque primatum hunc ampliant, ut velint 1°. plenitudinem Ecclesiasticæ jurisdictionis in uno R. Pontifice tanquam in fonte residere, ex quo in singulos Episcopos certa quædam ac definita portio defluit; 2°. Pontificem ex Cathedra definientem errare non posse; 3°. illum nequidem à Concilio generali, cui superior sit, judicari posse: 4°. ei inditam esse potestatem saltem indirectam Reges deponendi, eorumque subditos à sacramento fidelitatis solvendi. Mirum quantos ex ea doctrina triumphos egerint Novatores, quasi communis illa foret omnium Catholicorum.

In extremum oppositum lapsi sunt nonnulli; imprimis Edmundus Richer, sacræ facultatis Paris: Doctor ac Syndicus, in Libello de Eccl: ac politica potestate, qui prodiit an: 1611. ubi extra metas abreptus, ut Ecclesiæ autoritatem extollat, pontificiam omnino deprimit. Claves seu jurisdictionis potestatem uni & soli Ecclesiæ à Christo immediatè, Petro autem ceterisque Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, mediate per Ecclesiam datas esse contendit R. Pontificem Ecclesiæ quidem Caput esse fatetur ille, at *symbolicum duntaxat seu figurativum, ministeriale, accidentarium, non necessarium.* Librum hunc Richerii proscripsit Concilium Senonense an: 1612. Præside Card: Perronio, tanquam continentem *propositiones, expositiones & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, & ut sonant, hæreticas, schismaticas.* Hunc eâdem censurâ eodem anno confixit Concilium Aquense.

T. 15. Conc. p 1628. & 1629.

Qui saniù sentiunt, Rom: primatûs prærogativas in his reponunt.

1°. Rom: Pontifici tanquam Capiti omnium Ecclesiarum sollicitudinem incumbere: Ipsius esse invigilare Canonum executioni per totum orbem Christianum, ac rebelles pœnis Canonicis coërcere: non autem particularium Episcoporum, quorum jurisdictio tota intra fines privatarum Diœceseon est coarctata; quique caritate duntaxat, non jurisdictione extra fines illos excurrere possunt.

2°. Decreta R. Pontificis in causis fidei & morum ad omnes Ecclesias pertinere, ac Christianos omnes ex conscientia teneri ipsis obtemperare. Quanquam enim infallibilis non supponatur R. Pontifex, provisorie tamen ipsius Decretis, quæ apud omnes bonos maximi ponderis esse debent, obsequendum est saltem, ut aït Gerso *ad non dogmatisandum contrarium*, quandiu Ecclesia non reclamat. Non ita est de privatis Episcoporum Decretis, quibus ii tantummodo sunt obstricti, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur.

3°. In controversiis fidei præcipuas esse S. Pontificis partes, nec quidquam in Ecclesia magni momenti definire debere, quod ad ipsum non referatur. Quanquam enim non sit solus Judex controversiarum, est tamen inter Judices præcipuus dignitate & autoritate, ad quem *majores*, ut vocant, Ecclesiæ *Causæ* referendæ sunt. Majores autem appellantur Causæ, vel ex rei, de qua agitur, gravitate, quales illæ sunt quæ fidem, Religionem ac generalem spectant morum disciplinam; vel ex magnitudine subortæ difficultatis, aut dignitate personæ, v. g. cùm agitur de Episcopis.

4°. S. Pontificem dispensare posse à legibus etiam à Concilio generali latis, in iis casibus, in quibus dispensaret ipsum Concilium, & juxta regulas dispensationum præscriptas in Conciliis.

5°. Ratione primatûs jus habere R. Pontificem Concilia convocandi; & ipsis per se vel per Legatos suos prœsidendi. Quippe cùm Hæreticorum pertinacia R. Pontificis judicio comprimi non potest, necesse est omnes Episcopos in Concilium congregari quod universam Ecclesiam repræsentat, ejusque supremâ autoritate malum (si fieri potest) penitus extinguere. Sit jam

CONCLUSIO. R. Pontifex primatum honoris & jurisdictionis obtinet in tota Ecclesia, idque jure divino.

Prob: 1. pars: Illud Rom: Pontifici indubie tribuendum est, quod eidem tribuêre Concilia & PP. quod ipsi, & quidem approbante Ecclesiâ, exercuêre sanctissimi Summì Pontifices; quod demum Sanctionibus suis confirmaverunt Imperatores: Atqui Rom: Pontifici honoris & jurisdictionis primatum tribuêre, 1°. Concilia. Nicænum I. generale an: 325. Can: 6. qualis refertur Act: 16. Conc: Chalced: sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.*

Tom: 4. *Conc:* p. 812. A.

CP. I. generale secundum ân. 381. Can: 2. *Constantinopol: Episcopus habeat primatûs honorem post R. Episcopum.* Ubi supponunt Græci R. Ecclesiam esse omnium primam.

Tom: 2. *Conc:* p. 954. D.

Aquileense eodem fermè tempore celebratum, in Ep: ad Imperatorem de Ursico: *Obsecranda fuit,* inquit, *Clementia vestra, ne totius orbis Romani Caput Rom: Ecclesiam turbari sineret.* Agnoscebant igitur hujus Concilii Patres, R. Ecclesiam Caput esse Ecclesiarum. Idem tradunt Concilia Ephesinum Act: 2. Chalcedon: Act: 3 &c. Concinunt eæ etiam Synodi, quæ haud nimio Romanæ Sedis assentatrices erant, Concilium Constantiense an: 1414. Petri ac Episcopi R. ei succedentis primatum asserit; tùm in Wiclefum, cujus istam sententiam damnat, *Non est de necessitate salutis credere R. Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* Tùm in Joan: Hus, cujus hunc proscribit art: 10. *R. Pontifex non est Caput R. Ecclesiæ.* Hinc Concilium Florent. post agitatam multis in Collationibus Latinos inter & Græcos de Romano primatu quæstionem, sic tandem sanxit: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & R. Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum R. Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum, & in sacris Canonibus continetur:* quæ certè de solo primatûs honore intelligi non possunt.

Ibid: p. 999.

2°. Hanc jurisdictionis autoritatem pro data occasione exercuêre R. pontifices in ipsam Sedem CP. tametsi secundum à Romana honoris gradum à Conciliis CP. & Chalcedonensi accepisset Pelagius II. Concilii CP. in quo œcumenici nomen ejus urbis Episcopo attributum fuerat, Acta dissolvit. Unde S. Greg: Magnus Lib: 7. Ep: 12. ad Joannem Episc: Syracus: sic scribit:

De CP. Ecclesiâ, quod dicunt, Quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam; quod & piissimus Dominus Imperator & frater noster ejusdem Civitatis Episcopus assidue profitentur.

S. Leo Canonem Chalcedonensem rejecit & nullum declaravit: *In irritum mittimus,* inquit Ep: 55. *& per autoritatem B. Petri Apostoli prorsus definitione cassamus.* Nicolaus I. Photium CP. Sedis invasorem excommunicavit, & Ignatium à Photio expulsum restituit, Adrianus II. ejusdem Photii Acta damnavit. Michaël Cerularius Pseudopatriarcha CP. in templo sanctæ Sophiæ excommunicatus est à Legatis Leonis IX. an. 1054.

3°. In idem conspirarunt PP. De Græcis constat ex S. Irenæo Lib: 3. c. 3. ubi dicit R. Ecclesiam omnium esse *maximam & antiquissimam, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos qui sunt undique, fideles. In qua,* pergit, *semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ ab Apostolis est Traditio.* Agnoscit etiam S. Martyr in R. Episcopo autoritatem alios Episcopos excommunicandi: unde Victorem rogavit, ne propter varios usus tot Ecclesias ab ipso diffidentes à corpore Ecclesiæ separaret.

Ob: an: 201. *P.* 175. *n.* 1.

Eufeb: L. 5. *c.* 24.

S. Athanasius Epist: ad Felicem Papam. *Ob id vos,* inquit, *prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in Summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcipit, ut nobis succurratis.*

Tom: 2. *p.* 676 *col:* I B.

S. Chrysostomus postquam accepit latam in se à Theophilo Alex: & à Synodo ad Quercum exauctorationis sententiam, confugit ad Innocentium I. tunc R. Pontificem: *Obsecro,* inquiebat, *ut scribas quod hæc tam iniquè facta, non habent robur: illi autem qui adeò iniquè egisse deprehensi sunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant, &c.* Agnoscebat igitur S. Chrys: cum aliis Græcis, superiorem in Episcopo R. Jurisdictionis autoritatem, quâ ceteros per orbem Episcopos judicare poterat.

Neque alia fuit Latinorum PP. Existimatio. Cyprianus Epist: 55. loquens de quibusdam Hæreticis, *Navigare,* inquit, *audent, & ad Petri Cathedram: atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, (quorum fides Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.*

S. Hieron: Epiſt: 14. ad Damaſum. *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.*

S. Aug: Epiſt: 43. *In R. Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.*

Prob: 2. pars: Ille in quem S. Petri autoritas velut in ſucceſſorem tranſfuſa eſt, primatum obtinent jure divino ſupra alios Epiſcopos & univerſos fideles: atqui S. Petri autoritas in Rom: Pontificem velut in ſucceſſorem & hæredem tranſfuſa eſt. Nullus quippè eſt qui ſe Petri ſucceſſorem ullo modo aſſeruerit, vel pro tali habitus ſit, præter Romanum & Antiochenum Epiſcopum: atqui Antiochenus non ſucceſſit Petro in Pontificatu Eccleſiæ totius. Non enim ſucceditur niſi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id eſt depoſitionem, vel renuntiationem: Petrus autem adhuc vivens & Pontificatum gerens, Antiochenam Eccleſiam reliquit, & Romæ ſedem ſuam fixit. Unde Innocentius I. Epiſt: 18. ait, *quod Eccleſia Antiochena Urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit iſta ſuſceptum* (S. Petrum) *apud ſe conſummatumque gauderet;* ergo ſolus R. Pontifex, qui petro in Urbe Româ morienti ſucceſſit, eidem in tota ipſius dignitate & poteſtate ſucceſſit: ſed poteſtas illa & dignitas Petri juris eſt divini; ergo & poteſtas R. Pontificis.

Prob: 2° Patres conſtanter aſſerunt 1°. Sedem Romanam eſſe Sedem & Cathedram Petri. Ità Cyprianus Epiſt: 52. & 55. Optatus Milev: Lib: contra Parmen. n. 3. *Cathedra unica eſt, quæ eſt prima de dotibus ... Sedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens,* &c. Hieron: Ep: 14. ad Damaſum, *Beatitudini tuæ,* inquit, *id eſt Cathedræ Petri conſocior.*

2°. B. Petrum Sedi Romanæ adhuc præſidere, in ea vivere judicare. (in perſona ſcilicet ſuorum ſucceſſorum) Ità S. Petrus Chryſol: Ep: ad Eutychetem ubi hortatur hunc hæreticum ut R. Pontifici pateat, *Quia,* inquit, *B. Petrus in ejus Sede & vivit, & præſidet, & præſtat quærentibus fidei veritatem.* Ita & Philippus Sedis Apoſtolicæ in Conc: Epheſino Legatus act: 3. ubi ſic interloquitur: *Nulli dubium eſt, quòd S. Petrus ... à Domino claves regni acceperit ... qui ad hoc uſque tempus & ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivit & judicium exercet.*

3°. Petrum per R. Pontificem loqui. Ità Patres Chalcedonenſes qui S. Leonis Epiſtolam ſolemni judicio comprobârunt: *Petrus*, inquiunt, *per Leonem locutus eſt.* Atqui in his omnibus, nihil eſſet ſerii, niſi, Chriſto ſic ordinante, Petri dignitas & primatus ad ejus ſucceſſores devolverentur.

Obj: 1°. Contra 1. Concl: Partem, S. Cyprian: Lib: de Unitate Eccleſiæ, 1°. Diſertè aït, *Omnes Apoſtolos pari conſortio honoris & dignitatis præditos fuiſſe... unum eſſe Epiſcopatum cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*; 2°. negat inter Epiſcopos aliquem eſſe ad quem pertineat ceteros judicare in cauſis fidei, qualis erat crebris quæſtio de rebaptiſandis Hæreticis, de qua cum Stephano R. Pontifice tunc temporis contentioſe diſputabat: atqui ſtare non poteſt hæc agendi ratio cum ideâ primatûs in R. Pontifice. Primatus enim ille involvit autoritatem, cuï ſaltem proviſoriè parendum eſt ab omnibus Chriſtianis, donec Eccleſia aliud ſtatuerit: at tantum abeſt ut Stephano paruerit Cyprianus, quin acriori ſtylo in eum invehitur; 3°. Cenſuit S. Cyprianus non eſſe in poteſtate R. Pontificis Epiſcopum à ſuis Coëpiſcopis exauctoratum, Sedi ſuæ reſtituere: unde graviter tulit Baſiliden & Martialem propter crimen idololatriæ depoſitos, à Stephano reſtitutos fuiſſe. *Reſcindere*, inquit. Epiſt: 68 *ordinationem rectè factam non potuit.*

R: ad 1. Solutio conſtat ex dictis, ſup: p. 314.

Ad 2. Cùm ait Cyprian: Epiſcopos ab aliis judicari non poſſe, ſed à ſolo Deo, mens ipſius non eſt aſſerere nullam eſſe in Eccleſiâ autoritatem quâ Epiſcoporum Cauſæ judicari poſſint. Ipſemet enim cum ſuis Coëpiſcopis multas dijudicavit, rogavitque Stephanum ut Marcianum abſtineret datis ad Arelatenſes Literis: vult igitur tantùm in ea quam tunc cum Stephano agitabat, de rebaptiſandis Hæreticis controverſiâ, obſcurâ, implicatâ, dubiâ, circa quam tam varia erat Epiſcoporum praxis, & quam uti merum diſciplinæ punctum habebat, non poſſe quemquam ab alio judicari, eâ præſertim ratione, quâ fecerat Stephanus, excommunicationem ſcilicet comminando iis qui diverſa ſentirent. Non ergo primatum, ſed primatûs, ut putabat, abuſum impugnavit Cyprianus, nec exiſtimavit erranti Stephano ſe obtemperare debere. Ex quo ad ſummum colligitur, non eam Cypriano inſediſſe infallibilitatis Pontificiæ ſententiam, quam Recentiores excogitarunt.

Ad 3. Meritò dixit S. Cyprianus, non potuisse Stephanum Ordinationem rectè factam, contra Canones Ecclesiæ irritam facere, quomodo dicebat S. Paulus, *se nihil posse contra veritatem:* unde bene infertur S. Doctori visum esse potestatem R. Pontificis pure monarchicam non esse, sed Canonibus subditam.

Obj: 2°. Qui primatum habet in omnes Orbis Episcopos, is meritò dici potest Episcopus universalis: atqui R. Pontifex non potest dici, &c. ut constat ex S. Greg: Magn: qui Epist: 43. aït nullum è suis decessoribus Episcopis R. tam profano vocabulo usum fuisse. Imò qui Epist: 34. aït Petrum Ecclesiæ membrum esse, non Caput: R. dist: min: Rom: Pontifex non potest dici Episcopus universalis, perverso sensu, C. sensu orthodoxo quem nusquam rejecit S. Gregorius Magnus, N. Ut intelligatur solutio, Not: posse quempiam Episcopum universalem dici, vel quia unus sit proprie in Orbe Christiano Episcopus, cujus ceteri omnes sint tantùm Delegati ac Vicarii; vel quia in omnes Orbis Ecclesias, in iis rebus quæ politiam Ecclesiæ totius spectant, jurisdictionem habeat; vel quia in maximam Orbis Christiani partem suam exerceat auctoritatem; pars enim pro toto interdum sumitur.

Tom: 2. p. 771.

Ibid: p. 743.

Primo sensu nomen Episcopi universalis videri poterat sibi arrogasse Joannes Episcopus CP. quem in objecta Epist: insectatur Greg: Magnus Et hunc sensum merito damnat S. Pontifex. Secundo sensu nomen Episcopi universalis datum est S. Leoni in Concilio Chalced: Tertio denique sensu nomen Episcopi universalis sibi arrogasse plures Patriarchas CP. verisimile est; neque enim eos jurisdictione universali frui voluisse in totius Orbis Ecclesias, vel minimum est in antiquitate vestigium. His positis, R. S. Gregorium Episcopi universalis nomen tanquam profanum, superbum, sacrilegum rejecisse, non tantùm à CP. sed etiam à Rom: Episcopo, juxta primum sensum; quasi unus foret in Orbe Christiano Episcopus, à quo suam ceteri mutuarentur autoritatem: qui profecto sensus absurdus est. Omnes enim Episcopi *pro Christo legatione funguntur;* omnes sunt à Spiritu sancto positi regere Ecclesiam Dei; omnibus dictum à Christo. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Ad hunc vero sensum respexisse S. Gregorium, demonstrant hæc ipsius verba Epist: 18 ad Joan: CP. *Qui indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici debuisses: ad hoc quandoque perductus es, ut despectis fra-*

tribus Episcopus appetas solus vocari. Et infra rationem reddit cur nullus R Pontifex sibi titulum universalis Episcopi assumpserit: *Ne*, inquit, *si sibi in Pontificatûs gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus Fratribus denegasse videretur.*

Quin & potuit, & utcumque debuit S. Gregorius prohibere, ne universalis Episcopi nomen tertio etiam sensu ab Episcopis CP. usurparetur; 1°. *Ad cautelam. Sicut etiam nomen, Christotocos, bonum sensum habet, & tamen Patres vetuerant usum illius nominis, ne videlicet sub illo nomine lateret hæresis Nestorii*; 2°. *Quia quæstio tunc erat, an Joanni CP. hoc nomen concedi posset; non autem an concedi posset R. Pontifici. Quantum igitur Joanni illi nullatenùs conveniebat nomen Episcopi universalis, & tamen illud sibi usurpabat; ideo simpliciter & absolutè Gregorius pronuntiat hoc nomen esse profanum & sacrilegum, nimirum quatenùs tribuitur Episcopo CP. & nihilominùs etiam ipse illud recusavit; quamvis sibi aliquo sensu conveniret, ad meliùs scilicet & faciliùs comprimendam superbiam Joannis Episcopi Constantinopolitani.* Ità Bellarminus.

Ad id quod additur, negat Gregorius Petrum esse Caput, quomodò Christus ipse Caput est Ecclesiæ; independens scilicet ac primarium. Ait autem illum esse membrum Ecclesiæ, quod certe non pugnat cum dignitate Capitis: simul enim Petrus & ejus successor R. Pontifex, & Caput & membrum est Ecclesiæ, ipsique & præest, ac subjicitur: præest omnibus Ecclesiis, ut Caput; subjicitur toti Ecclesiæ, ut membrum & quidem primum.

Obj: 3°. Omnes Episcopi dicuntur Petri & aliorum Apostolorum successores. Ita SS. Cypr: Epist: 29. Hieron: Epist: 54. Omnes etiam sunt Vicarii Christi in terris: omnes enim *pro Christo legatione fungimur.* II. Cor: 5. Ergo.

R. ad 1. dist: Omnes Episcopi sunt Petri & aliorum Apostolorum successores in potestate Ordinis Episcopalis, secluso primatu & amplitudine potestatis Apostolicæ, C. sunt successores Petri & Apostolorum in primatu & plenitudine potestatis Apostolicæ, N. In Apostolis duplex veluti fuit potestas, una Apostolica nullis limitibus coarctata, sed amplissima, quæ ad omnes Ecclesias extendebatur; hâc in autoritate non succedunt Episcopi Apostolis, quæ ipsis duntaxat propria fuit ad alios minime transmittenda, solo excepto Petro, cujus potestatis amplitudo ad ejus successores

R. Pontifices dimanavit. Autoritas verò Episcopalis Ordinis quæ fuit in Apostolis, tota ad Episcopos eorum successores transiit, sed intra limites uniuscujusque Diœcefeos conclusa; atque semper cavit Ecclesia, ut quisque Episcopus intra fines sibi præscriptos se contineret. Unde etsi par est omnium Episcoporum autoritas origine ac institutione divinâ, non tamen par est gradu & jurisdictione.

Ad 2. dist: Omnes Episcopi sunt Vicarii Christi in sua quisque Ecclesiâ, sicut R. Pontifex in universa, C. secus, N. unde Episcopi curam quidem universalis Ecclesiæ gerere debent, per caritatem quâ Ecclesiæ cuilibet laboranti subvenire debent; sed non per Jurisdictionem.

Obj: 4°. Canon sextus Concilii Nicæni R. Pontificis jurisdictionem ad Occidentales Ecclesias restringit: atqui restrictio hæc primatum ejus perimit.

R. 1°. neg: maj: siquidem Paschasinus Sedis Apostolicæ Legatus in Concilio Chalced: sic Canonem hunc ex suo codice recitavit: *Tretentorum decem & octo Patrum Canon sextus: quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consvetudo.* Hîc verò Judices dixerunt. *Perpendimus omnem primatum & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ, Archiepiscopo conservari;* ergo Veteres intellexerunt prædicto Canone primatum R. Pontificis confirmari.

Tom: 4. *Conc: p.* 812. A.

Ibid: p. 817. B

R. 2°. dist: min: perimit... Si coërceatur intra limites Occidentis ejus jurisdictio, quatenùs est Summus Pontifex, Christi Vicarius & S. Petri successor, C. si tantùm quatenus est Patriarcha, N. Porrò prædicto Canone instituitur tantùm comparatio inter Alexandrinum Episcopum & Romanum, quoad dignitatem Patriarchalem, atque illius jura annexa. Nimirum quadruplex dignitas distingui potest in Summo Pontifice. Est Episcopus respectu Urbis Romæ, & districtûs Episcopalis quem regit: Est Metropolita respectu Romanæ Provinciæ & Regionum suburbicariarum: est Patriarcha respectu totius Occidentis: est Pontifex Summus respectu totius Orbis Christiani.

Obj: contra 2. Concl: partem. Primatus Romani Pontificis in eo tantùm fundatur, quod Petrus suam Sedem Romæ potiùs quàm alibi fixerit: atqui factum hoc planè humanum fuit: nullo enim divino speciali

mandato S. Petrus Romæ alligatus fuit, ergo. R. cum Bellarm: Lib: 2. de Rom: Pontifice c. 12. distingui debere successionem & rationem successionis. *Nam*, inquit ille, *successio R. Pontificis in Pontificatum Petri, ex instituto Christi est: ratio autem successionis, quà R. Pontifex potius quàm Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit. Successio ergo ipsa ex Christi instituto & jure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi, & proindè quicumque Petro succedit, à Christo accepit Pontificatum. At verò, quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam Sedem particularem sibi unquam eligere, sicut primis quinque annis, & tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset: potuisset quoque semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset. Quia verò Romæ Sedem fixit, & tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Romanus Pontifex ei succedat.*

ARTICULUS TERTIUS.

De infallibilitate R. Pontificis.

Sensus quæstionis intricatæ, an Romanus Pontifex nunquam possit hæresim docere. Quod ut intelligatur.

Not: R. Pontificem considerari posse, vel ut est Doctor particularis, qui privatam suam opinionem exprimit, nihil definiens, aut ceteris ad credendum proponens autoritate pontificiá; vel ut est pastor universæ Ecclesiæ, qui ex officio & Apostolicâ autoritate Fidelibus omnibus vel dogma credendum, vel legem morum observandam proponit.

Pontificem Romanum, ut privatum Doctorem; errare posse, etiam in quæstionibus juris universalibus tam fidei quàm morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit; omnes Catholici conveniunt, aït Bellarm: Lib: 4. de Romano Pontifice c. 2. Tota igitur controversia est de Romano Pontifice quatenùs Pontifex est, seu personà publica, Pastor ac Rector omnium Christianorum, universam docens Ecclesiam; idque extra Concilium generale: seu, ut jam dici solet, quatenùs loquitur ex Cathedra.

Quoniam verò dubium esse possit an & quando Pontifex ex Cathedra loquatur, recentiores nonnulli certas ad id exigunt conditiones, quarum si vel una deficiet, Pontifex privati Doctoris personam induet. Prima est ex parte personæ; ut liberè, non vi aut necessitate premente sententiam dicat; secunda, ex parte materiæ, ut sit propositio de qua judicari possit ex Scripturis aut Traditione; tertia, ex parte formæ seu modi quo res à Pontifice definiri debet; prævio scilicet maturo examine, & consultis pro more Doctoribus; quarta ex parte modi quo res definita proponitur, nempe ut toti Ecclesiæ tanquam de fide credenda proponatur, ac pro Hæreticis habeantur qui post sufficientem sententiæ promulgationem ei non acquiescunt.

Jam non una est præsenti de re opinio. Prima quam tuentur Ultramontani longè plures, censet fieri non posse ut R. Pontifex ex Cathedra loquens, errorem in fide aut morum legibus doceat. Porrò ex hujus assertionis defensoribus alii eam ad fidem pertinere volunt, ut S. Antoninus, Suarez, Valentia, &c. Alii ut Bellarmin: paulò modestiùs existimant, sententiam hanc *communissimam esse omnium fere Catholicorum, & oppositam erroneam quidem esse & hæresi proximam, non tamen propriè hæreticam, cùm ab Ecclesia toleretur:* quasi verò posset Ecclesia sententiam erroneam & hæresi proximam tolerare. Alii demùm longè saniùs censent, quæstionem istam esse de numero earum, de quibus, salvâ fide, disputatur. Unde.

Secunda opinio eorum est, qui *in fidei* quidem *quæstionibus præcipuas esse summi Pontificis partes, ejusque Decreta ad omnes Ecclesias pertinere* volunt; at *non tamen irreformabile esse ipsius judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit,* propugnant. Ità Clerus Gallic: in celebribus anni 1682. Comitiis.

Haud omnino consentiunt inter se hujus opinionis vindices. Ex iis enim quidam, nec pauci, distinguunt inter R. Pontificem, & R. Ecclesiam; inter Sedem Apostolicam, & sedentem in ea Pontificem quidem errare posse fatentur, non vero Apostolicam Sedem seu R. Ecclesiam. Ità Launoius & alii plures.

Circa opinionem hanc duo docet Clarissimus Tournely, cujus hìc epitomen damus, 1°. esse reipsâ discrimen aliquod inter Apostolicam Sedem, ac in ea sedentem Pontificem: cùm eo vel per mortem extincto, vel per sententiam deposito, non propterea pereat

Sedes Apostolica; & aliunde possit privatim errare, tametsi Sedes ipsa non aberret. Quapropter, aït, non immerito Sedi Apostolicæ seu R. Ecclesiæ tribuitur infallibilitas quædam passiva, quâ fit ut Deo providente, nunquam totaliter & ad longum tempus defectura sit in ea veræ fidei doctrina; quemadmodum ea deficit in insignioribus Orientis Ecclesiis, CP. Alexandrinâ, &c. nec unquam fit extinguenda, si in perpetuum futura R. Pontificum successio. Docet 2°. Opinionem hanc cum declaratione Cleri Gallic: difficilè admodùm componi posse. Et verò, inquit, R. Pontifex, ubi de fide ac moribus pronuntiet, vel sequitur doctrinam Sedis suæ, quam accuratè consuluit; vel non sequitur. Si 1. agit ut Pontifex, nec ipsius Judicium distingui debet à Judicio suæ Sedis, quæ ore ipsius loquitur. Si 2. non agit haud dubiè ut Pontifex, nec Ecclesiæ suæ nomine cujus sensum non sequitur; sed agit ut singularis Doctor, qui omnium fere Theologorum judicio errori obnoxius est.

Verùm hæc Tournelyi doctrina nonnihil habet difficultatis quoad utrumque caput. Quoad primum quidem. Si enim dici possit, Deo providente, nunquam futurum ut R. Ecclesia *totaliter & ad longum tempus* deficiat in fide: quidni dicatur, nunquam futurum, ut etiam ad quadrantem deficiat? An qui ei adesse supponitur ad longum tempus aberret, probari potest quandoque absuturus, adeo ut aberret ad horam? Quoad 2. verò: nempe constat Bossuetum Meld: generalis anno 1682. Conventûs animam fuisse; cujus proinde Decretorum vim & limites assequi debuit: atqui tamen, fatente Tournelyo, distinxit Illust: Bossuetus Sedem Apostolicam inter, & R. Pontificem; & quod de hujus Ecclesia confessus est, eam semper in fide virginem, hoc de isto negavit; ergo, quidquid dicat Charlas, utraque opinio secum invicem conciliari potest.

Nec obest Tournelyi Dilemma: neque enim R. Pontifex, cùm Bullam laturus, tres quatuorve Cardinales, totidemve, aut ad summum duplo plures Consultores interrogat, totam Ecclesiam suam interrogare censeri potest. Constat sane R. Ecclesia ex personis plusquam decem aut quatuordecim.

His obiter prænotatis, cùm immensam de Pontificiâ infallibilitate quæstionem, quæ in Autore nostro medium & eo plus volumen habet, sequi non valeamus, duo statuimus paucis, 1. cum Launojo, R. Ecclesiam indefectibilem esse; 2. infallibilitatem Pontifi-

ciam, quam tantopere jactitant Ultramontani, nullius in fidei controversiis momenti esse. Sit.

Conclusio I. Probabilis est admodum Launoii assertio.

Probatur. Sententia quæ & gravia in antiquitate fundamenta habet, & à viris, nec certe imperitis, nec intemperantiori Ultramontanorum placitorum studio abreptis, propugnata fuit, etiamnum admitti potest: atqui Launoii sententia, 1°. Gravia in antiquitate momenta habet. Huc enim pertinent textus Patrum supra à nobis ad comendandam Rom: Ecclesiæ dignitatem adducti. Puta Irenæi Lib: 3. adv: hær: c. 3. *Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* An vero necesse est convenire cum Ecclesia, quæ saltem ad tempus hæresim profiteri possit? Cypriani, juxta quem Epist: 55. *Ad Romanos perfidia habere non potest accessum*: annon enim ad eos accessum habere potest perfidia, qui hæretici totaliter fieri possunt? Augustini, qui ut ineluctabili judicio se tueatur, non Apostolicæ tantum Sedis, sed & R. Ecclesiæ definitionem objicit Pelagianis Lib: 1. contra Julian: c. 4. ubi hæc S. Doctor: *Quid potuit Innocentius Africanis, à quibus consultus erat, respondere Conciliis, nisi quod antiquitas, Apostolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet Ecclesia.* Mitto ceteros quos passim in Tractatûs decursu citavi.

2°. Eadem sententia à viris scientiâ gravibus, ac nullo ex capite suspectis defenditur.

Elias Dupin in Lib: de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ, dissert: 5. c. 2. hæc scribit: *Licèt Ecclesiam Romanam semper subsistere, & à fide penitùs non deficere* NECESSARIUM SIT, *haud indè sequitur ejus Episcopum in errorem cadere non posse.* Idem docent Launoius, Nat: Alexander, &c. Sed & ipsum tradunt, qui multò pluris sunt, Gallicani Præsules in Conventu Melodunensi ann. 1579. ubi sic Fideles erudiunt: *Apertâ professione eam fidem profiteantur, quàm Sancta R. Ecclesia, Magistra, Columna, & Firmamentum veritatis profitetur & colit: Ad hanc enim propter suam principalitatem necessum est omnem convenire Ecclesiam.* De his plura eruditè congesta videris in secunda ad Appellantes admonitione Illustr: Suessionensium Episcopi, nunc Archiepiscopi Senonensis.

Pag: 374.

At, inquies, quando censebitur R. Ecclesia fidei quæstionem definiisse? R. cum. Clarif: d' Argentré, id futurum cùm Papa R. Clerum, aut Episcopos Patriarcha-

tui ſui ſubditos in Concilium advocaverit, & re cum iis maturè diſcuſſâ, ex eorum votis ſententiam tulerit.

CONCLUSIO II. Infallibilitas ab Ultramontanis R. Pontifici paſſim aſſerta, non eſt regula certa, quâ fidei controverſiæ dirimantur.

Prob: Opinio mera, quæ à magnis Eccleſiis ſalvâ fide in utramque partem agitatur, non eſt certa fidei indubiæ regula: atqui talis eſt opinio Pontificiæ infallibilitatis, quam alii ut âque ulnâ complectuntur; alii, ſi liceret, reiicerent triplici. Pro priori pugnant viri magni & ſancti nominis; poſteriori adhærent viri non uno titulo celebres, quos inter Gerſon Univerſitatis Pariſ: Cancellarius; Toſtat, vir præ eruditione *ſtupor mundi*; Dionyſius Carthuſ: Petrus de Alliaco Cardinalis, Almain: Claudius Santeſius, Tridentini Concilii Theologus, & qui unus plurium inſtar eſſe poſſit, Boſſuetus.

Opponunt equidem adverſarii nobis Eccleſias plures quæ aliter ſentiant, opponunt Patrum textus, &c Verùm hæc non admodum urgent.

Non Eccleſiæ, quæ cùm Gallicanam Eccleſiam uti nobiliſſimam Eccleſiæ Catholicæ partem habeant quod iſta rejecerit, pro fidei articulo habere nequeunt, ſed pro mera opinione: quod autem à multo pluribus tenetur inſtar opinionis, opinionis metas non prætergreditur. Et vero ſi Pontificia infallibilitas ad fidem ſpectet, debuit hæc jam antiquitùs ab omnibus moraliter Eccleſiis credi ut articulus Catholici dogmatis: atqui hoc inerrantiæ Pontificiæ privilegium non credidit, imò nec ut verum admiſit pars major Eccleſiarum. Non Eccleſia Græca, quæ Victori ex Cathedra pronuntianti in negotio Paſchatis reſtitit; quæ Stephano circa Baptiſmum Hæreticorum contradixit; quæ in Concilio Florent: nunquam agnoſcere voluit R. Pontificem aut Concilio ſuperiorem, aut infallibilem: ſed antiqui duntaxat R. Eccleſiæ privilegia, fruſtra obnitentibus Eugenio cum ſuis Latinis. *Scimus quidem*, inquiebat, ſeſſ: 9. Beſſario pro Græcis diſputans, & de additione particulæ *Filioque* ſymbolo factâ verba faciens, *Scimus quæ ſint jura & prærogativæ. R. Eccleſiæ: nihilominus ſcimus etiam prærogativæ ejus quos terminos habeant.* Et infra: *Quantâcumque facultate polleat R. Eccleſia, minùs tamen pollet Synodo œcumenicâ & univerſali Eccleſiâ, &c.* Idem & ſcitè adſtruebat Nechites, Nicomediæ Archiep: *Quid igitur*, aïebat, *nobis Scripturâ-*

T. 13. Contil: p. 151. D.

Spicileg: T. 13. p. 221.

rum scientia? Quid nobis Literarum studia? Quid Magistrorum doctrinalis disciplina? Quid Sapientium Græcorum nobilissima ingenia? Sola R. Pontificis autoritas, quæ sicut tu dicis, super omnes est, universa hæc evacuat? Solus ipse sit Episcopus, solus Magister, solus Præceptor, &c.

Non Africana Ecclesia quæ sententiam à Stephano damnatam in tribus Conciliis Carthaginensibus acriter propugnavit.

Non Germanica, quæ Papam à Concilio emendari posse protestata est; cujus Imperator Fridericus II. an: 1245. ab Innocentio IV. ad Concilium generale appellavit.

Non Gallicana, quæ Decretis Conciliorum Constantiensis & Basileensis circa supremam Conciliorum generalium autoritatem semper adhæsit; ex quibus cùm certum sit Pontificem Concilio generali subjici, & ab eo corrigi posse, certo non minus colligitur, eum errori obnoxium esse, quæ demum anno 1682. suam de hac quæstione mentem expressè declaravit, conspirantibus omnibus Regni Ordinibus, Curiis & Academiis, in quarum publicis Tabulis, jussu Regis, inserta fuit Cleri Gallicani declaratio. Cui Decreto præiverat sacra Facultas Parisiensis, cùm an: 1663 apud Chr: Regem protestata est, *non esse doctrinam sacræ Facultatis quòd Summus Pontifex, ullo accedente Ecclesia consensu, sit infallibilis.*

Non SS. PP. Ut enim ex iis, quos singulatim expendere non licet, erui non possit quod certum dogma constituat, sufficit ut omnes exponi catholicè possint: atqui possunt. Nullus enim eorum est, qui à Gallis Theologis non exponatur: & hos tamen, qui universalis Ecclesiæ communionem habent, strenuè Catholicos esse constat: & Catholicos magis, quàm hujus nominis complures, qui elevatâ ad cœlos usque R. Pontificis inerrantiâ Apostolicæ Sedis Decreta perversis interpretationibus eludunt; Arnaldum & alios ejusdem Sedis profligatores, immeritâ laude cumulant, &c.

Et verò nemo Patrum plus tribuit R. Pontifici, quam Hieronymus & Bernardus: atqui ex horum textibus, qui ceteroqui per se solos ad conficiendum fidei dogma non sufficerent, nihil certi colligi potest.

Tom: 4. part: 2. p. 19.

Non ex textu Hieronymi ad Damasum, ubi sic: *Ego Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit,*

profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio, &c. Sed quid inde? Quis noſtrûm neget Sedem Petri Cathedram eſſe principalem, radicem, matricem, caput aliarum Eccleſiarum unitatis? Agnoſcimus communionem ſemper conſervandam eſſe cùm illa prima Sede; ac merito dixiſſe Hieronymum, alloquendo Damaſum, *Ego Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri conſocior;* in iis præſertim, in quibus ſcribebat, temporum circumſtantiis. *Hinc*, inquit Ep: 58. nunc 16. *præſidiis fulta mundi Ariana rabies fremit: hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat.* Alii ſcilicet tres hypoſtaſes, alii unam duntaxat in Deo eſſe ac dici debere contendebant. In hoc conflictu ac ſchiſmate Orientalium, ſapienter dicebat Hieronymus: *Cathedræ Petri conſocior. Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Quem enim alium tunc conſulere tutius potuiſſet, quam Rom: Pontificem; cujus præcipuæ ſunt in fidei quæſtionibus partes, quamvis irreformabile non ſit ejus Judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit?

Ibid: p. 22.

Et verò cùm teſtabatur Hieronymus, velle ſe Judicio Damaſi R. Pontificis adhærere, non eum ſolùm, ſed una cum ipſo Eccleſiam ipſius, Ægyptum ac totum Occidentem in eandem ſententiam conſpirare noverat. *Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo Petroque condemnent*, inquit, Epiſt: 15. alias 77. Non igitur ſolus erat Damaſus, ſed ad eum Ægyptiorum ac totius Occidentis conſenſus accedebat: quod certè ſufficit, ut verè dixerit Hieronymus, *Qui tecum non colligit, ſpargit.*

Tom: 4. part: 2. p. 21.

Quod addit Hieronymus, eum qui extra hanc domum agnum comederit, profanum eſſe, & eum qui in hâc Arcâ non fuerit, diluvio extinguendum, non ad ſingularem Damaſi perſonam, ſed ut minimum ad R. Eccleſiam refertur, ſicut ipſa contextûs ſeries demonſtrat.

Non ex textu S. Bernardi, qui ſcribens ad Innocentium II. de erroribus Abaëlardi, ſtatim initio Epiſt: 90. ſic præfatur: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt, Dignum namque arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando*

Tom: 1. p. 64.

dictum est: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? Ut enim textus iste nihil certò probet, satis est ut per Sedem Petri, non ipsa R. Pontificis persona, sed Romana Sedes, seu Ecclesia intelligi valeat: atqui indubie potest. Alioqui enim pari jure dixerit quis R. Pontificem, ex mente Bernardi, infallibilem esse quâcumque in hypothesi, seu nempe Ecclesiam suam consulat, seu ut Doctor privatus loquatur. Unde sicut generalem melliflui Doctoris sensum temperat Bellarminus, ne plus probet; sic & nos ducimus temperandum, nè aliud quam R. Ecclesiæ inerrantiam adstruat.

ARTICULUS QUARTUS.

De Pontificis autoritate in temporalia Regum.

Existimarunt Theologi quidam R. Pontificem jure divino plenissimam ac directam habere potestatem in universum Orbem tarrarum, tùm in spiritualibus, tùm in politicis. Puduit Bellarminum portenti hujus: unde mediam sibi visus est inire viam, docendo nempe Pontificem ut Pontificem non habere *directè & immediatè ullam temporalem potestatem, sed solùm spiritualem; ratione tamen spiritualis, habere indirectè potestatem quandam, eamque summam in temporalibus;* adeò ut non possit quidem *Papa, ut Papa, ordinariè temporales Principes deponere, etiam justâ de causâ, eo modo, quo deponit Episcopos; id est, tanquam ordinarius Judex;* sed possit *mutare Regna, & uni auferre, atque alteri conferre, tanquam summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem.* At temperamentum hoc nec Sixto V. placuit, ut mollius, nec Principibus, ut Regiæ Majestati adversum. Quapropter Principum Edictis proscriptus fuit Tractatus Bellarmini, de potestate Summi Pontificis in temporalibus, imprimis vero in Gallia decreto Senatûs Parisiensis die 26. Novembris anno 1610. perorante clarissimo viro Ludovico Servin Advocato Regio. Sit

T. 1. p. 344. F.

Ibid: p. 859. B.

Conclusio I. Christus nec R. Pontificibus, nec Ecclesiæ toti ullam in res temporales autoritatem concessit.

Prob: 1°. ex Script: Joan: 18. interroganti Pilato, an Rex esset, respondit Christus v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Ju-*

dæis; nunc autem Regnum meum non est hinc. Urgenti iterum Pilato: *Ergo Rex es tu?* Respondit Jesus: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Statim autem explicat in quo posita sit sua hæc Regia dignitas. *Ego*, inquit, *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Atqui nulla hîc temporalis dominii mentio est; imo formalis exclusio. Unde S. Aug: Tract: 115. in Joan: *Audit*, inquit, *omnia Regna terræ: Non impedio dominationem vestram in hoc mundo, Regnum meum non est in hoc mundo... Quid vultis amplius? Venite ad Regnum quod non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite sævire metuendo.*

Marci 10. *Reges gentium dominantur eorum... vos autem non sic:* atqui ex hac Christi admonitione sequitur Apostolos, eorumque successores omni potestate temporali ex seipsis carere; ergo.

Joan: 6. v. 15. *Cùm cognovisset Jesus, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit.* Et Lucæ 12. roganti cuidam, ut fratri suo juberet hæreditatem partiri: *Homo*, inquit, *quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* sed qui fugit, ne Rex constitueretur; qui nullum in re temporaneâ judicium exercere voluit, is procul fuit ab affectando dominatu temporali.

Obj: 1°. Christus temporalem exercuit autoritatem, tùm Matth: 21. ubi *vendentes & ementes de Templo ejecit, nummulariorum mensas evertit, & æs effudit*; tùm Lucæ 8. cùm misit dæmones in porcos, qui statim se præcipitaverunt in mare. R. dist: ant: Exercuit prout Deus, C. quatenus homo, N. Unde SS. Patres ex hisce factis certissimum eruunt pro confirmanda Christi divinate argumentum. Ita S. Hieronymus in c. 21. S. Matth: Ambrosius in c. 8. S. Lucæ, S. Aug: &c. Miratur imprimis S. Hieron: quod Christus tantam vendentium ac ementium multitudinem, præsidio Sacerdotum fretam, quibus invisus erat, & quidem in eorum præsentiâ, ignominiosè flagello expulerit. *Igneum enim quiddam atque sydereum* radiabat ex oculis ejus, & *divinitatis majestas*, aït S. Doctor, *lucebat in facie.*

Obj: 2°. Matth: 28. Christus fatetur sibi *datam esse à Patre omnem potestatem in Cœlo & in terra.* R. dist: omnem potestatem spiritualem, C. temporalem, subd: Fatetur sibi ut Deo ac mortis debellatori datam esse, C. sibi ut homini, N. Certè verba quæ immediatè se-

quuntur, *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos, &c.* non aliam denotant, quàm spiritualem, in verbo Dei ac Sacramentis dispensandis autoritatem. Hinc Scripturæ loca in quibus Messias dicitur Rex & constitutus *super gentes & regna*, intelligi debent de Regno Christi spirituali in Ecclesia, quod manifestè demonstratur ex circumstantiis singulorum locorum. Sic Psal: 2. post hæc verba: *Constitutus sum Rex*, statim sequitur, *prædicans præceptum ejus*.

Psal: 2.
Jerem: 1. 10.

Obj: 3°. Lucæ 22. v. 38. Christus duos gladios, spiritualem nempe & temporalem, Petro concessit. R. neg: ant: Neque enim verbis Christi vel minimum apparet vestigium concessi Discipulis gladii; imo Petro dixit: *Convertere gladium in vaginam suam*; innuens Ministris Ecclesiæ tali gladio non utendum. Unde istud: *Satis* est, vel sermonem abrumpit, ut notat Theophilactus; vel, ut Euthymio videtur, indicat gladiis nullo modo opus esse: non quod necessitas temporis non postularet; sed quod ipse nolet armis se defendere. Si enim gladiis agenda res fuisset, non modo duo, sed nec centum gladii adversus armatam multitudinem satis fuissent.

Conclusio II. Reges & Principes potestati Ecclesiasticæ nullatenus subjiciuntur in temporalibus; nec autoritate clavium etiam indirectè unquam deponi possunt, aut eorum subditi à fide illis debitâ dispensari.

Prob: 1°. Ex Scriptura, quæ docet Reges suam à Deo acceptam habere potestatem, quæ proinde à nullo alio pendere potest, Prov: 8. *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt justitiam.*

Danielis 2. sic Propheta alloquitur Principem ethnicum Nabuchodonosor: *Tu Rex Regum es, & Deus Cœli Regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi; & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri... sub ditione tuâ universa constituit.*

Rom: 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Ex quibus sic in forma: Nec Pontifex, nec Ecclesia ipsa universa ea subvertere potest, quæ sunt institutionis divinæ: atqui potestas Principum est institutionis divinæ: ut & obedientia quam ipsis debent eorum subditi; ergo nec pri-

vari possunt Principes suâ autoritate, nec subditi ab obedientiâ ipsis debitâ dispensari.

Obj: 1°. Samuel Propheta Regno privavit Saulem, eò quod præcepta Domini non observasset, 1. Reg: c. 15. Item Rex Osias, cùm Sacerdotale Officium usurpare vellet, à Pontifice ejectus est de templo, & leprâ percussus à Deo Regnum abjicere coactus est; ergo à pari.

R. ad 1. Samuel non erat Pontifex aut Sacerdos, ut observat S. Hieron: Lib: 1. contra Jovin: sed Ordinis duntaxat Levitici: quid ergo commune habet hocce factum, cum autoritate, quæ S. Pontifici ab adversariis tribuitur? 2°. Samuel Regno non privavit Saulem, sed ipsi duntaxat jussu Dei declaravit, ipsum à Deo, à quo sceptrum acceperat, rejectum ac reprobatum fuisse.

Ad 2. falso supponitur Oziam Solio dejectum fuisse ab Azaria Sacerdote: certum quippe est eum ab anno ætatis 16. quo regnare cœpit, ad 68. qui vitæ ipsius ultimus fuit, semper Regem mansisse. Ità legimus 2. Paralip: 26. *Sexdecim annorum erat Ozias cùm regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem.* Eo verò tempore quo propter lepram tenebatur in domo separatâ habitare, Regnum non abdicavit, sed ejus filius Joatham patris nomine Regnum administrabat, ibid: v. 21. & 22. Præterea plus probaret hoc exemplum quam velit Bellarmin: scilicet quemlibet Sacerdotem posse Reges deponere, sicut Azarias & alii Sacerdotes Oziam è Templo ejecêre: at privilegium hoc uni S. Pontifici reservat Bellarminus.

Obj: 2°. Gregorius VII. Ep: ad Heriman: Episc: Metensem sic loquitur: *Ubi Deus B. Petro principaliter dedit potestatem ligandi & solvendi in cœlo & in terra, nullum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit?* R. ante Gregorium VII. à nemine, quod sciam, textum hunc expositum fuisse de potestate Ecclesiasticâ in temporalia Regum, sed solummodo de spirituali autoritate quæ penes est Ecclesiam ad censuras ferendas aut relaxandas, ad peccata solvenda vel retinenda. Ità Origines, Cyprianus, Hilarius, &c.

Prob: 2°. Ea opinio admitti non potest, quæ constanti Patrum doctrinæ repugnat: atqui... Ad id enim sufficit ut Patres doceant, 1°. Principum potestatem immediatè esse à Deo; 2°. peccata Principum quoad temporales pœnas solius Dei judicio subjacere; 3°. Principibus, etiam potestate suâ abutentibus ob-

temperandum esse; 4°. Ecclesiam omni gladio materiali carere: atqui hæc est concors PP. doctrina. Unum aut alterum circa unumquodque Caput adducemus.

Circa 1. S. Iren: Lib: 5. c. 24. *cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur.* Theophilus Alexandr: ad Autolycum Lib: 1. *Scio Cæsarem ab ipso Deo esse ordinatum.* S. Dionysius Alexand: apud Eusebium Lib: 7. c. 10. *Nos unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano & Galieno sacratissimis Augustis imperium tradidit, colimus & veneramur.*

Circa 2. S. Hieronymus Epist: 9. *Tibi soli peccavi, Rex enim eram, alium non timebam.* S. Ambrosius in Apologia David c. 10. *Liberi sunt Reges à vinculis delictorum; neque enim ullis legibus ad pœnam vocantur.*

Circa 3. Cyprianus ad Demetrianum: *Nemo nostrûm, quando apprehenditur, reluctatur, nec se adversùs injustam violentiam vestram, quamvis nimius, & copiosus sit noster populus, ulciscitur. Patientes facit de secutura ultione securitas.* S. Aug: L. 21. de Civ: c. 6 *Neque tunc,* (sub Imperatoribus ethnicis) *civitas Christi quamvis haberet magnorum agmina populorum, adversus impios persecutores pro salute temporali pugnavit; sed potiùs ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, cædebantur, includebantur, torquebantur, urebantur . . . Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro Salvatore contemnere.* Et in Psalm: 124. *Aliquando potestates bonæ sunt, & timent Deum; aliquando non timent Deum. Julianus extitit infidelis Imperator, extitit apostata iniquus, idololatra; milites Christiani servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat. Si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à domino temporali; & tamen subditi erant propter Dominum æternum, etiam domino temporali.*

Circa 4. S. Chrysost: Hom: 4. de verbis Isaiæ, ubi de facto Oziæ, ad rem nostram appositè sic loquitur: *Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ. Ille cogit, hic exhortatur. Ille necessitate, hic consilio. Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est adversùs dæmones . . .* & posteà. *Ubi igitur Sacerdos contemptus est, dignitasque Sacerdotii concul-*

Edition: vet: T. 3 p. 873. C.

Ibid: p. 874. D.

ta, nec quidquam præterea potuit Sacerdos: Nam Sacerdotis tantùm est arguere, non movere arma, non arcum tendere, &c.

Dices S. Bernardus Lib: 4. de Consider: c. 3. agnoscit S. Petro ejusque successoribus duplicem concessum esse gladium, materialem scilicet, & spiritualem. R. citato in loco hoc unum velle S. Bernardum, nempe Pontificem nutu suo, hoc est consilio & adhortatione, non vero, ut ait, *manu propriâ*, uti posse gladio materiali, recurrendo scilicet ad Principes tanquam vindices Canonum & Ecclesiæ protectores.

Prob: 3°. Illud admitti non debet commentum, contra quod, ubicumque prodiit, insurrexerunt Nobiliores Ecclesiæ: atqui contra commentum Pontificii in Reges ac Principes dominatûs, quâ datâ portâ irruerunt Ecclesiæ Nobiliores. Sic 1°. Gallicana in celebri dissidio inter Philippum Pulchrum, ac Bonifacium VIII. constanter rejecit eam quam Bonifacius an: 1302. sibi arrogaverat de abdicando Rege autoritatem. Sic cùm Julius II. S. P. adversùs Ludovicum XII. Hispanos, Anglos, Germanos, Helvetios ad arma concitasset, Bullamque promulgasset quâ jus regni ipsi abrogabat, & prædæ objiciebat, Rex omnes suæ ditionis Episcopos ad Concilium Turonense coëgit an: 1510. in quo responderunt Patres; *Principem posse ab obedientia talis Papæ sese subducere ac subtrahere: non tamen in totum & indistinctè; sed pro tuitione tantùm ac defensione jurium suorum temporalium*. Postmodò autem *Conclusum fuit unanimiter, sententiam* Papæ Regem exauctorantis, *nullam esse, nec de jure, vel alio quocumque modo ligare*. Sic an: 1591. Cardinales, Episcopi, Abbates, Canonici, aliique Clerici in Comitiis Carnotensibus congregati, Gregorii XIV Decretis monitoriis adversùs Henricum IV. & ipsi adhærentes omnino refragantur, atque concludunt, *se salvâ Scripturæ, Conciliorum & Ecclesiæ Gallicanæ autoritate, quibus Majores sui religiosè semper usi fuerunt, his Romanis Sanctionibus obtemperare non posse*. Tam alte jam pridem insedit apud Gallos nostra hæc opinio, ut S. Ludovicus, referente Matthæo Paris, nunquam permittere voluerit ut Robertus Comes frater suus Imperium Germanicum sibi à Gregorio IX. oblatum acceptaret. Non igitur innovando, sed Majorum vestigiis inhærendo Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anno 1682. declarationem hanc emisit de Ecclesiastica potestate: *Beato Petro ejusque successoribus Christi Vicariis, ipsi-*

que Ecclesiæ rerum spiritualium & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium à Deo tradita est potestas, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo. Et iterùm: *Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque autoritate clavium Ecclesiæ, directè vel indirectè deponi, aut illorum subditi eximi à fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi possunt, eâque sententiâ publicæ tranquillitati necessariâ, nec minùs Ecclesiæ quam Imperio utilis, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consona, omnino retinenda.*

Sic. 2°. Ecclesia Germanica tota obstupuit & ingemuit ob tentatam sui Imperatoris Henrici IV. à Gregorio VII. depositionem. *Hujus rei novitate,* aït Otho Frisingensis hujus temporis Scriptor, *eò vehementiùs indignatione motum fuit Imperium, quò nunquam ante hæc tempora hujusmodi sententiam in Principem Romanorum promulgatam noverat;* & L. VI. Chronic: c. 35. *Lego,* inquit, *& relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc, à R. Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum: nisi fortè quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Episcopo, inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à B. Ambrosio propter cruentam cædem, à limitibus Ecclesiæ sequestratus est.* Idem tradunt Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. Conradus Episc: Trajectensis, &c. Neque hanc animorum commotionem dissimulavit Gregorius VII. ut ex his ejus verbis constat: *Quotquot Latini sunt, omnes causam Hæretici, præter admodum paucos, laudant ac defendunt: & pernimiæ duritiæ ac impietatis circa eum me arguunt.* Itaque Communi Latinorum sententiâ improbata fuit Gregorii VII. agendi ratio.

T. 10. Conc: p. 928.

Sic 3°. Ecclesia Anglicana per Proceres suos ad Bonifac: VIII an: 1301. scribebat: *Communis, concors, & unanimis omnium nostrûm & singulorum consensus fuit, & erit inconcussè, Deo propitio, in futurum, quod Dominus noster Rex super juribus Regni Scotiæ, aut aliis suis temporalibus, non respondeat judicialiter coram vobis, nec judicium subeat quoquo modo.* Hinc cùm Paulus III. an: 1538. sententiam depositionis adversùs Henricum VIII. pronuntiavit, intentatum istud fulmen omnes Angli contempserunt; atque semper tanquam legitimus Rex & à suis & ab exteris habitus fuit Hen-

ricus. Hinc rurſùm cùm Pius V. an: 1570. Elizabetham Angliæ Regno privatam pronuntiavit, omneſque ejus ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit, quam Conſtitutionem Gregorius XIII & Sixtus V. confirmaverunt: hanc tamen Reginam ut legitimam ſemper venerati ſunt Angli, quamvis ipſa Catholicos acerbiſſimè divexaret; atqui id demonſtrat vel ſola inſignium tredecim Sacerdotum proteſtatio, quam an: 1602. Reginæ obtulerunt, in qua ipſi obedientiam jure divino deberi affirmant.

Sic 4° Hiſpanica Eccleſia, quæ jam ab an: 633. in Toletano Concilio, cui intererant Epiſcopi 62. Can: 75. ſanxit, ut quiſquis de Epiſcopali, aut de plebeïo ordine *Regem nece attrectaverit, aut poteſtate Regni exuerit, aut præſumptione tyrannicâ Regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Spiritûs ſancti.* Hinc, referente Thuano ad an: 1580. cùm mortuo Sebaſtiano Rege Luzitaniæ, Philippus Hiſpaniæ Rex Regnum adiit, quod ſuum eſſe Principes alii contendebant, voluit Paulus IV. S. Pontifex litem hanc in Tribunali ſuo dijudicare: at interceſſit Philippus, Cauſas temporales ad Pontificem minime pertinere conteſtans, atque ut ſua interceſſio majoris eſſet roboris, conſuluit Rex omnes ſui Regni Theologos illuſtriores, quid de Pontificis conſilio cogitarent. Reſponderunt, *nullas eſſe in eo Pontificis partes, cùm res ſit merè ſoli... & electis ſemel Regibus, iis, in eos eorumque ſucceſſores omne jus tranſlatum intelligitur, ut penes ipſos ſit omnis juriſdictio, nec ab aliis judicari poſſint.*

Pro eadem doctrina ſtrennè decertavit Academia Pariſienſis, præcipuè verò cum anno 1626. hanc Sanctarelli propoſitionem, *S. Pontifex poteſt pœnis temporalibus punire Reges, eoſque deponere, & ſuis Regnis privare ob crimen hæreſis,* die 1. Aprilis damnavit, *tanquam novam, falſam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati olim conciliantem, ſchiſmati occaſionem præbentem, ſupremæ Regum autoritati à Deo ſolo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum converſionem impedientem, pacis publicæ perturbativam, &c.* atque cenſura hæc ab aliis totius Regni Academiis, Toloſanâ, Valentinâ, Burdigalenſi, Pictavienſi, Cadomenſi, &c. acceptata eſt.

Obj: 1°. Temporalis poteſtas ſpirituali poteſtati ſubjecta eſt: atqui in opinione noſtra vaneſcit ea ſubjectio. R. neg: maj: Nam licet Princeps temporalis quoad ſuam perſonam & in rebus ſpiritualibus ſit ſubjectus

Principi spirituali; non tamen ejus temporalis potestas subdita est potestati spirituali: unde neutra potestas alteri subjecta est: sed sicut persona spiritualis subjecta est potestati temporali in temporalibus, ita Princeps temporalis subjectus est potestati spirituali in spiritualibus.

Obj: 2°. Respublica Ecclesiastica debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum: sed necessaria est ad finem spiritualem, potestas disponendi de temporalibus rebus; quia alioqui possent mali Principes impunè fovere Hæreticos, evertere Religionem; ergo. R. dist: maj: debet habere potestatem, sibi proportionatam, ac proinde ad finem suum spiritualem per media spiritualia tendere, C. secus, N. Alias sequeretur 1°. Non tantùm indirectam, sed & directam in temporalia Regum ipsi adscribendam esse potestatem; 2°. Non tantum S. Pontifici, sed cuilibet etiam Episcopo eam competere; 3°. Non tantum in Reges Christianos, perduelles & hæreticos exercere posse ac debere, sed etiam in infideles; quæ consectaria non admittit ipse Bellarminus. Neque est quod ideo desperet de perennitate Ecclesiæ; qui enim promisit portas inferi adversùs Ecclesiam nunquam prævalituras, procul dubio nunquam permittet extingui in toto Orbe fidem Christianam: stetit illa, imò crevit, inter tyrannorum persecutiones; quomodo deficiet aut succumbet conatibus Hæreticorum?

I. Cor: 7. Obj: 3°. Permittit Deus solvi in gratiam fidei, vinculum conjugale quod est inter fidelem & infidelem; ergo. Pariter vinculum juramenti, quo subditi Regi suo adhærent, solvi poterit; si Rex quidquam in præjudicium fidei tentaverit? R. ab uno ad aliud illationem non valere, quando utrumque pendet à libera Christi voluntate, qui unum permisit, aliud prohibuit.

Ut unico ictu concidant omnia quæ Bellarminus profert exempla, sat fuerit ad ea respondere quod ipse respondet Lib: 2. de R. Pontifice cap: 29. ad exempla Imperatorum, qui aliquos SS. Pontifices deposuisse leguntur. *Hæc quidem*, ait Bellarminus, *facta sunt, sed quo jure, ipsi viderint.* Pariter dicere hic possumus: Tentarunt quidem aliqui Pontifices, Reges & Imperatores deponere, sed quo jure, ipsi viderint. Neque enim jus illud Episcopali & Ecclesiastico Judicio, ad Scripturæ & Traditionis regulam, ut oportuit, expensum unquam fuit; nunquam inter Episcopos eâ de re nata contentio; nunquam ab Ecclesia R. Pontifi-

Tom: 1. p. 268. C.

ci assertum; nunquam vel ipsa Ecclesia universa hoc sibi jus competere definivit: aliunde vero semper reclamaverunt Imperatores & Reges, Episcopi ac Fideles, quoties tentatum aliquid à Pontificibus fuit contra supremam Regum autoritatem. Solâ igitur viâ facti hic actum fuit, ex qua legitima possessio inferri non potest, cùm pacifica nunquam ea fuerit, adversus quam reclamasse Principes nemo ignorat. Ut tamen quam egena sint Ballarmini exempla liquidò constet, horum nonnulla expendemus.

Obj: itaque 1°. Exemplum S. Ambrosii, qui Theodosium Imperatorem propter cædem Thessalonicensem excommunicavit, *deinde præcepit ei ut legem ferret, ne sententiæ latæ de cæde, vel bonorum publicatione ratæ forent, nisi post triginta dies à sententiæ pronuntiatione, ut nimirum, si quid per iracundiam præcipitanter dictasset, intra tot dierum spatium revocare posset*; ergo. R. neg: conseq: Non enim aliam Theodosio pœnam inflixit Ambrosius, quàm spiritualem, excommunicationis scilicet; non quidem majoris & mortalis, ut vocabatur, (hæc enim in solos contumaces ferebatur, facti autem sui Theodosium pœnitebat) sed minoris, suspensionis nempe ab aditu Ecclesiæ. Virtute autem clavium posse Episcopos etiam in Principes spiritualem pœnam decernere, nullus negat Orthodoxus: at quid hæc pœna commune habet cum depositione ab imperio? nihil profectò; nisi velit etiam Ballarminus, esse penes quemlibet Episcopum, Reges, cùm opus fuerit, deponere. Quapropter Judex quidem Theodosii fuit Ambrosius; sed in foro tantum Ecclesiastico. Neque illum ad ferendam prædictam legem adegit, ut temporalis Superior, sed ut medicus spiritualis, qui contraria contrariis curat, iracundiam, patientiâ; & præcipitem sententiam triginta dierum interpositâ deliberatione; ne Princeps, reipsa quidem pius, sed iræ properus, iterum peccet ex iracundia vel furore animi: Idem faceret sagax quisque Confessarius: neque tamen Regibus se superiorem opinaretur.

Obj: 2°. In celebri Privilegio, quod S. Gregorius Magnus, Monasterio S. Medardi Suesson: concessit, hæc legitur Clausula: *Si quis Regum, Antistitum, Judicum, vel quarumcumque secularium personarum, hujus nostræ præceptionis decreta violaverit... cujuscumque dignitatis, vel sublimitatis, honore suo privetur.*

Tom: 5. Con: p. 1584. D. E.

R. 1°. Privilegium illud suppositittium esse, ut ostendit harumce rerum curiosus indagator Launoius, Tomo 1. Epist: Ep: 1.

R. 2°. Verba citata dicti Privilegii, (quanquam verum esset) esse duntaxat imprecantis, non autem judicantis. Et vero id genus imprecationes leguntur in Conc: Tolet: IV. Can: 75. Tolet: VI c. 3. in Testamento sanctæ Radegundis, &c.

Nihilo plus urget quod narrant Græci, scilicet à Gregorio P. II. prohibitum fuisse, ne Leoni Iconomacho solverentur ab Italis vectigalia. Fatentur enim eruditi confictam esse hanc Historiam à Græcis, in odium Sedis Apostolicæ totiusque Ecclesiæ Latinæ: de quo adi Tournely p. 399.

Obj: 3°. Factum Zachariæ S. P. qui rogatus à Primoribus Francorum, Childericum deposuit, & in ejus locum Pipinum Caroli Magni patrem, Regem creari jussit: quia propter socordiam Childerici, & Religioni & Regno in Gallia extrema ruina imminere videbatur.

R. 1°. Dubium planè ac incertum hoc esse factum, 1°. Quia qui beneficii hujus tanti memoriam sæpe refricuissent R. Pontifices, nullibi ejus meminêre. Non Zacharias ipse, in pluribus quas ad Francorum Proceres scripsit Epistolis. Non Stephanus III. (*) Zachariæ successor, in Epistolis quas ad Pipinum scripsit, ut ab eo adversus Longobardos auxilium obtineret. Non Gregorius IV. qui licèt Ludovico Pio excommunicationem comminatus sit, quam obsistente Clero Gallic: infligere ausus non est; nusquam tamen interminatus est se eundem privaturum Regno, quod ipsius avo Pipino à Zacharia collatum esset.

2°. Quia scribit Theophanes, Stephanum III. Pipinum à perjurio in Childericum commisso absolvisse quod & testantur Anastasius, & Otho Frisingensis ad an: Christi 753. atqui ex hac absolutione apertè sequitur, Pipinum autoritate Pontificiâ in Regem assumptum non fuisse: alias, vel absolutione ipsi non fuisset opus, in communi Italorum sententiâ; vel si absolutione opus habuit, procul dubio eum peccasse existimavit Papa, ac proinde ejus in Regni occupatione Promotores.

(*) *Stephanus II. tertio Papatûs die apoplexiâ correptus obiit: unde à pluribus in serie Pontificum omittitur; ut & Vicedominus, (Gregorius XI.) Papa* 194 *qui ipsâ electionis suæ die, supremâ simul dignitate & vitâ functus est.*

Nec obstant, quibus se tuetur Bellarminus, Autores, Hi enim, ab Eginhardo & Annalibus Loiselianis totam suam narrationem. desumpserunt: atqui vix ulla utrique circa præsens factum fides haberi potest; cùm nec inter se consentiant; nec veris quibusdam falsa innumera miscere desinant; ergo.

R. 2°. Supposita liberaliter historiæ hujus veritate; Childericum non autoritate ac Decreto Zachariæ depositum fuisse, sed ejus duntaxat consilio ac consensu. Ita respondent Major, Almainus & alii: imo & ipse autor glossæ ad Canonem *Alius*, ad istud verbum *deposuit*, sic observat, *hoc est, deponentibus consensit*: Et reipsâ id docent ad minus Scriptores duodecim: Ex eo autem quod Pontifex deponentibus consentiat, non sequitur ipsum proprio & summo jure deponere.

Neque tamen probare possumus aut consilium S. Pontificis, si revera tale dedit, ex quo gravissimam injuriam passus est Childericus; aut Gallorum rebellionem, qui tonso & in Monasterium detruso Childerico, Pipinum in ejus locum Regem constituerunt: nusquam enim licet subditis, à fide, quam suo Regi debent, quovis prætextu deficere. Totam hujusce facti invidiam rejicit Cointius in ambitionem Pipini, cujus etsi injusta primùm fuerit Regni usurpatio, mortuo tamen legitimo hærede, & accedente subinde totius gentis electione, legitimus fuit ac verus Gallorum Princeps.

Obj: 4°. Leo III. *Imperium transtulit à Græcis ad Germanos, propterea quòd Græci nullum auxilium laboranti Ecclesiæ Occidentali afferre possent*; ergo. R nego ant: & dico Carolum Magnum armis occupato Longobardorum Regno, ac Italiâ ditioni suæ subjectâ, Imperatorem reipsâ fuisse annis viginti quinque antequam appellationem Imperatoris, quam non ambiebat, ipsi Pontifex ac populus Romanus detulisset. Non igitur Imperialem potestatem quam armis comparaverat, à Leone III. habuit Carolus Magnus, sed solum Imperatoris nomen. Ita testantur omnes ferè Autores qui de hocce facto scripsére; putâ Annales Metenses, Eginhardus, ac ipse Anastasius Bibliothec: in vita Leonis III.

De facto B. Gregorii VII. erga Henricum IV. sat supra diximus.

Obj: 5°. Exemplum Friderici II. Imperatoris, qui anno 1245. in Conc: generali Lugdunensi I. sub Innocentio VI. non tantum excommunicatus fuit, sed & depositus ac dignitate Imperiali privatus.

R. 1°. hanc sententiam depositionis fuisse tantùm

ab Innocentio latam, non autem à Concilio. Patet id 1°. Ex ipsa inscriptione Bullæ, quæ talis est: *Sententia contra Fridericum Imperatorem ab Innocentio Papâ IV. in Concilio lata sacro præsente Concilio* in aliis autem Decretis legitur: *Sacro approbante Concilio*; 2°. Ex tenore Decreti: in eo enim, cùm agitur de Friderici depositione, suo semper nomine loquitur Innocentius; 3°. Ex ratione quâ latum est Decretum: De Friderici enim sceleribus, censurisque in eum ferendis diligentissimè à Patribus deliberatum est: an autem deponendus esset, nè inquisitum quidem videmus; 4°. Ex Autoribus qui depositionis hujusce historiam referunt, eamque Innocentio soli, non Concilio adscribunt. Ità Albertus Abbas Stadensis, Trithemius, Guilelmus de Podio, Matth: Paris, cujus hæc sunt verba: *Papa talem sententiam excommunicationis in pleno Concilio, non sine omnium audientium & circumstantium stupore & horrore terribiliter fulguravit.* Et infra: *Hæc igitur in medio Concilio prolata, cunctis audientibus, ad instar corruscantis fulguris, non medioeriter timorem omnibus incusserunt.* At si Patres Lugdunenses hujus sententiæ autores fuissent, si votis ac suffragiis communi deliberatione probassent, ea nec horrori fuisset ipsis, nec timori. Atque hinc Fridericus II. nunquam de Concilio conquestus est, sed de solo Papa, latamque ab illo, non à Patribus sententiam ob multos defectus impugnavit, afferens incompetentiam Judicis, inimicitias, violatumque juris atque judiciorum ordinem. Hinc rursum Fridericus pro legitimo Imperatore haberi perrexit, tùm in Majori Germaniæ parte, tùm in multis Italiæ locis, tùm in Angliâ & Galliâ, ubi qui tunc regnabat S. Ludovicus noluit Robertum Comitem, fratrem suum, in Friderici locum, quod impensè exoptabat Innoc: IV. substitui.

P.451. C.

P.454. B.

R. 2°. à multis Catholicis in dubium revocari, num istud Concilium pro oecumenico habendum sit: 1°. Quia cùm Thadeus Imperatoris Friderici Orator, ab hoc Concilio provocavit ad Concilium proximè futurum generale, non respondit Pontifex, hoc esse universale & oecumenicum, sed tantùm dixit satis esse quod sit *Concilium generale multorum*: unde apertè colligitur non simpliciter generale fuisse, sed duntaxat multorum; 2°. Quia tantùm abest ut ex omnibus Occidentis Provinciis huic Concilio multi adfuerint Episcopi, quin imò ex Germania nullus ex Hungaria, Italia, Britania, Hispania, Suecia, Polonia; pauci ex Gal-

P.450. G.

lia & Anglia; adeò ut Concilium suum composuerit Pontifex ex suis Cardinalibus, paucis Franciæ & Angliæ Episcopis, & Procuratoribus Regnorum Galliæ & Angliæ; 3°. Quia Concilium Constantiense in formula quam edidit, à Papa eligendo subscribendam, enumerat Concilia generalia, quæ ad suum usque tempus, celebrata fuerant. Inter ea autem unum duntaxat recenset Concilium Lugdunense, quod absque ullâ controversiâ secundum est, utpote toto Orbe celeberrimum, non modò propter numerum Patrum; huic enim præter Patriarchas CP. & Antioch: aderant 500. Episcopi, inter quos S. Bonaventura; sed etiam propter res in eo gestas, unionem scilicet utriusque Ecclesiæ; 4°. Quia ex veteribus Scriptoribus, qui hujus Concilii meminêre, nullus ante Onuphrium illud generale appellavit: non Mathæus Paris, non Albertus Stadensis, non Trithemius, non Platina.

R. 3°. Esto fuerit œcumenicum; esto, quod falsum est, suo consensu sententiam depositionis Friderici firmaverit, an idcirco Pontificibus afferendum jus in temporalia aliorum Principum? minimè profectò. Quid ità? quia tunc temporis sentiebant non pauci R. Pontifices jus quoddam speciale ac proprium habere in Imperatorem tanquam Rom: Ecclesiæ Feudatarium. Ita ante Synodum Lugdun: asseruerunt Innocentius III. ut patet ex cap: 34. *De electione &c.* & qui caput istud Collationi suæ inserui voluit Gregor: IX. & alii nonnulli, ut patet ex Conc: Turonensi an: 1163. Idem senſêre plures post Lugd: Concilium. Ita Joannes de Parisiis; ita Autor anonymus, qui regnante Philippo Pulchro in Gallia scribebat, &c. In hac opinione potest Papa in Imperatores, quod certè in alios non potest. Sed de his, & aliis id genus adi Tournelyum.

T. 10. Conc: p. 1011.

ARTICULUS QUINTUS.

De autoritate R. Pontificis & Ecclesiæ in censura Librorum, seu in factis dogmaticis.

Duo hîc accuratè pertractanda. I. an Ecclesia in censura Librorum & propositionum quæ ex illis extrahuntur, errare possit. II. quem sensum respiciat Ecclesia, cùm de Libris vel propositionibus ex eis extractis, pronuntiat.

§. I. *Utrùm Ecclesia errare possit in censura Librorum, &c.*

Not: 1°. circa Librorum censuram inquiri posse, 1°. Utrùm hic autor talem scripserit Librum; 2°. Utrùm propositiones talis Libri damnatæ, totidem verbis expressæ in eo legantur; 3° Quem sensum Libri autor in mente habuerit; 4°. Qualis sit obvius Libri totius sensus: sive qualis doctrina colligi possit ex Libri totius consilio, serie & texturâ.

Not: 2°. Quæstionem aliam esse juris, aliam facti. Quæstio juris seu dogmatis ea est, quâ quæritur qualis sit in se hæc vel illa doctrina, vera, an falsa; v. g. an Christus sit Patri consubstantialis: an B. Virgo sit Deipara. Quæstio facti illa est, quâ quæritur quænam sit doctrina his propositionibus, vel Libris, vel Autoribus expressa: v. g. an hæresis quæ Verbi divinitatem negat contineatur in Scriptis Arii.

Aliquando quæstio juris simplex, est, id est, non colligata cum facto; aliquando complexa, seu cum facto conjuncta. V. g. cùm dicitur, *B. Virgo est Deipara*, est simplex juris quæstio: cùm vero dicitur, *Nestorius negavit B. V. esse Deiparam*, quæstio juris est simul & facti, quæ nimirum continet tale dogma, & illius dogmatis artributionem tali personæ vel Libro.

Not: 3°. Ex factis alia esse *immediatè revelata*, qualia sunt fidei nostræ mysteria, v. g. Incarnatio Verbi, &c. quæ propriè ad dogma pertinent; Alia mere *historica* & *personalia*, quæ rei gestæ veritatem, aut personæ alicujus conditionem, internum animi sensum, crimen, vel innocentiam spectant. V. g. utrùm Arius à Concilio Niceno propter hæresim damnatus fuerit, factum est historicum: utrùm vero Cæcilianus reus fuerit traditionis Librorum sacrorum; vel Honorius in mente habuerit sensum Monothelitarum: totidem sunt facta merè personalia: Alia *dogmatica*, quæ includunt aliquod dogma fidei, & illius attributionem alicui Libro vel personæ: v. g. cùm dicitur hæretica est doctrina Nestorii circa mysterium incarnationis; hic enim factum juri permiscetur, à quo post definitionem Ecclesiæ sejungi non potest. Alia demum, quæ ex ordinatione divinâ media sunt necessaria ad conservationem doctrinæ Catholicæ: talis est v. g. Traditio Ecclesiastica Scriptis SS. Patrum consignata; providè enim instituit Deus, ut SS. Patrum conspirans in aliquod dogma consensus, certissimum sit veritatis Catholicæ argumentum.

Cùm quæritur an judicium Ecclesiæ de propositionibus vel Libris, firmum sit, nec obnoxium errori; quæstio non est, an certò definiat 1°. Hunc Librum hujus esse vel illius Autoris: hoc quippe facti genus merè historicum & personale, supponit, non definit Ecclesia; quæ de Libris judicat, prout sub nomine certi Autoris circumferuntur, & præsuppositâ ex communi hominum censensû verborum significatione; 2°. Propositiones quas Ecclesia in aliquo Libro damnavit, totidem syllabis in eo legi: non est enim hoc definitionis Ecclesiæ aut fidei nostræ objectum; sed ipse propositionem vel Libri sensus proprius, quatenus ex verbis ex toto Libri contextu deprehendi potest; 3°. An Autor, cujus error proscribitur, talem reverâ in mente sensum habuerit, qualem verba ipsius præ se ferunt. Quanquam enim id præsumi merito debet; (nisi velis Autorem aut ignarum, aut malignum esse) non tamen ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, certò definitur; 4°. Demum nec quæstio est, seu de factis immediatè revelatis, quæ propriè fidei dogmata continent, seu de factis merè personalibus, consentiunt enim omnes Theologi, certum omnino esse Judicium Ecclesiæ de prioribus; de posterioribus verò esse errori obnoxium. Ratio est, quòd Judicium Ecclesiæ de facto revelato seu de dogmate, fundatur in revelatione divina, cui falsum subesse non potest; Judicium verò de facto merè personali, fundatur aut in sensibus, aut in testimoniis hominum incertis & fallacibus.

Quæstio igitur movetur de facto doctrinali, hoc est, de sensu propositionum, vel Libri: an scilicet Ecclesia infallibili Judicio statuere possit, quis & qualis ex tota propositionum & Librorum serie elici possit sensus, quæ & qualis doctrina; an falsam pro vera probare, aut veram pro falsa damnare possit: quo in judicio, non conjecturis, non incertis hominum testimoniis utitur Ecclesia, sed diligenti propositionum vel Librorum examine, facta eorum comparatione cum fidei nostræ regula, Scripturâ scilicet & Traditione. Ita Concilium Ephesinum probavit Epistolam S. Cyrilli, Epistolam verò Nestorii damnavit.

Not: 4°. Judicio Ecclesiæ de sensu propositionum vel Librorum, duobus præsertim modis obtemperari posse: nempe vel interno mentis & judicii assensu, vel externo tantùm, & religioso, ut vocant, silentio, quod in eo reponitur, ne quid dicatur, scribatur, aut doce-

atur contrarium definitioni Ecclesiæ. Quæritur autem hìc, an Ecclesia exigat obsequium mentis, seu judicii interiorem assensum; an verò solum externum silentium, ut vocant, religiosum, acceptum & gratum habeat.

Ut varias inter opiniones quæ hâc de re circumferuntur, saniorem amplectamur, sit.

Conclusio. Ecclesia usu constanti de sensu propositionum, Librorum & Autorum decretoriè pronuntiavit.

Prob: 1°. Ex censura Librorum Origenis, in hunc modum: Ut Ecclesia de Libris etiam ambiguis & obscuris decretoriè judicet, duo sufficiunt, 1°. Ut Libri Origenis reipsa non parum haberent obscuritatis; 2°. Ut irrevocabili judicio proscripti sint: atqui . . . 1°. Libri Origenis non parum ambigui erant. Libri enim de quorum sensu pugnârunt viri quiquè eruditiores, obscuri admodùm & involuti esse debuerunt: atqui de sensu Librorum Orig: pugnarunt, Eusebius, Epiphanius, Didymus, Rafinus, Hieronymus, &c. Ergo. 2°. Eosdem tamen Libros irretractabili judicio confixit Ecclesia, quæ præeunte Justiniano in Ep: ad Mennam, anathema dixit *Origeni ejusque doctrinæ, & ei omni qui eam ullo modo quocumque tempore tueri præsumit*. Quod anathema confirmavêre Synodus V. generalis Coll: 8. sexta etiam generalis, Act: 17. & 18. septima denique, Act: 3. & 7. Hanc autem Origenianæ doctrinæ censuram ab omnibus Episcopis & Monasteriorum Præfectis ratam haberi voluit Justinianus: *Omnibus*, inquit, *prædicandum est, nè omnino quisquam audeat talem hæreticum aut ejus expositiones defendere, sed eas unusquisque ex toto animo & totâ cogitatione oderit & aversetur, & anathematiset, ut à Christiana traditione alienas, & simpliciorum animabus gravem afferentes luem & pestem*; quod & approbante Ecclesiâ factum est.

Tom: 5. *Conc:* p. 670.

Pro. 2°. Nestorii Libri non evidenter, sed ambiguè tantum negabant B. Virginem esse Deiparam: atqui tamen Ecclesia certo & irretractabili judicio doctrinam & Libros Nestorii damnavit; ergo Ecclesia de Hæreticorum Libris etiam Hæreticis certo judicat. Maj: & min: sigillatim probandæ veniunt.

Prob: itaque maj: Libri de quorum sensu ad schisma usque certatum est; quosque nonnisi errore facti ab Ephesina Synodo damnatos esse contendebant viri graves & Catholicæ doctrinæ nequaquam adversi, Li-

bri certè id genus palam & aperte non spirabant hæresim, ut contendunt Jansenistæ: atqui tales erant Nestorii Libri. Constat id 1°. Ex Nestorio ipso, qui in Epist: ad Joan: Antioch: declarat se ad sedandas contentiones inter suos Clericos exortas, nomen *Christiparæ* subſtituiſſe in locum *Deiparæ*; seque non obstare quin B. Virgo dicatur *Deipara*, pio & Catholico sensu, excludendo scilicet pravum sensum Apollinaris & Arii, quem unum se aversari fingit Novator. 2°. Ex pluribus ejusdem temporis Episcopis, quibus persuasum fuit, Nestorio invisam fuisse vocem, *Deiparam, non piam vocis notionem*. Ita præ ceteris Joan: Antioch. Acacius Beroensis, Eutherius Thianensis, & qui tanti erat Seculo V. Theodoretus. Sic iste in Epist: ad Andream Samosat. *Scit vestra Sanctitas, quod si quis indiscretè doctrinam anathematizet ejusdem sanctissimi & venerabilis Episcopi*, Nestorii, *idem est ac si pietatem anathematizare videatur*. Et in Epist: ad ipsum Nestorium: *His quæ contra tuam venerationem injustè atque iniquè patrata sunt, nec si mihi utramque manum quis abscinderet, potero præbere consensum*; 3°. Ex Socrate, qui Lib: 7. c. 32. ait, *videri sibi Nestorium in rei veritate nec Paulo Samosateno nec Photino consensisse, sed eum ex imperitia duntaxat Deiparæ vocem velut larvam reformidasse*. Quin nec desunt qui datâ operâ Nestorium purgent ab errore; non sine gravi Synodi Ephesinæ notâ & reprehensione. Jam

Prob: prima minor, 1°. Ex Conc: Ephesino Act: 1. ubi sic: *Omnes Episcopi simul clamaverunt: Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit. . . Omnes Nestorii Epistolam & dogmata anathematizamus. . . impiam fidem Nestorii anathematizamus . . . Quicumque hunc non anathematizat, anathema sit*. Ubi Concilium juris simul & facti quæstionem suâ definitione complectitur, id est errorem damnat, non nude & abstractè, sed errorem Nestorii.

2°. Quia cùm Joannes Antioch: nonnisi conditionatè anathema Nestorio dicere vellet, si nempe quid ille docuisset hæreticum, non consensit S. Cyrillus; sed puram & absolutam censuram exegit. *Non prius*, aït in Epist: ad Donatum, *ad finaxim Episcopos illos recipi, quàm Nestorii dogmata suo scripto anathematizassent, &c.* Hinc Alexander Episcopus, etsi doceret *orthodoxa, & silentium* servaret, *in nullo pacem Ecclesiæ*

contaminans, prout se facturos spondent mentiendo Jansaniani, vel ab ipso Joanne Antiocheno depositus est, quia censuræ adversùs Nestorium latæ subscribere recusaret, sicque jus à facto distingueret. Hinc rursum Cœlestinus S. Pontifex in Epist: ad Synod: Ephesinam loquens de Nestorianis ad Ecclesiam redeuntibus, *In nostro*, inquit, *collegio noverint se non futuros, nisi damnata cum Autoribus sociisque damnantes, se profiteantur Catolicos Sacerdotes.*

Prob: 3°. Ex iis quæ in Concilio Calced: gesta sunt erga Theodoretum. Is tandem Ephesinæ doctrinæ subscripserat, & à S. Leone, quia ad meliorem sententiam rediisset, suæ fuerat Sedi restitutus: atqui tamen nusquam Calcedonensi Synodo probari potuit, donec ipsam Nestorii doctrinam damnasset. En Concilii processus Act: 8. *Episcopi clamaverunt. . . Modò anathematiza Nestorium. Theodoretus dixit: Ego per Dei gratiam orthodoxè sum edoctus, & non solùm Nestorium & Eutychem, sed, & omnem, qui rectè non sapit aversor. Et dum hæc diceret, Rev: Episcopi clamaverunt: Clarè dic anathema Nestorio & dogmatibus ejus. . . Theodoretus dixit: Ego nisi exposuero quomodo credo non dico: Credo autem. Et cum diceret, Episcopi clamaverunt: Iste hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mittite. Theodoretus dixit: Anathema Nestorio, & ei qui non dicit Dei genitricem V. Mariam... Gloriosissimi Judices dixerunt: Omnis jam dubitatio de Theodoreto est soluta... Omnes Rev: Episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede*: atqui supponit tota hæc agendi ratio Ecclesiam infallibili judicio proscribere non tantùm doctrinam, sed & Libros in quibus ea continetur, imo & ipsos Autores; qui dum certos Libros suos esse confitentur, judicio adversùs ipsos lato acquiescere recusant; ergo.

Prob: 4°. Ecclesia non potest errare in quæstione juris: atqui erraret in jure, si attribueret sibi potestatem de sensu Librorum judicandi, quam reipsa à Christo non accepisset. Ut enim quæstio juris est an Ecclesia infallibiliter famosas quinque propositiones, ut in se sunt, damnare possit; sic & juris est quæstio an eas prout in tali vel tali Libro condemnare valeat. Ergo Ecclesiæ Libros proscribenti competit certa & inconcussa infallibilitas. Hinc Concilium Constantiense vult interrogari suspectos, *Utrùm credant Libros & doctrinas Joannis Wiclef, Joannis Hus & Hieronymi de Praga, esse perversas & legitimè damnatas*. Hinc sa-

T. 12. *Conc*: *p.* 268. D.

cra Facultas Parif: 1656. die ultimâ Januarii hanc Arnaldi propofitionem: *Il est résolu de s'abstenir de toute contestation sur ce fait,* (de Jansenius) *& d'y garder un silence respectueux, qui est la plus grande soumission qu'on doive aux Conciles même oecumeniques dans ces faits particuliers,* profcripfit ut *temerariam, fcandalofam, injuriofam Summo Pontifici & Epifcopis Galliæ, atque etiam præbentem occafionem renovandæ ex integro post damnationem Janfenii doctrinæ;* atque fub poena expulfionis à facro Ordine vetuit, ne quifquam ex fuis audeat prædictam M. A. Arnaldi doctrinam *probare, afferere, docere, prædicare, vel fcribere.* Hinc demum imperata Formularii Alexandri VII. fubfcriptio, & profcriptum obfequiofi filentii commentum, prout vidimus in Tract: de Gratia.

Obj: 1°. Opinio infallibilitatis Ecclefiæ in factis dogmaticis nova eft, & à Theologis veteribus expreffè impugnata. Sic S. Th: quodl: 9. q. 8. art: ult: poftquam dixit non poffe errare Ecclefiam in iis quæ pertinent ad fidem, addit: *in aliis verò fententiis quæ ad particularia facta pertinent, poffibile eft judicium Ecclefiæ errare propter falfos teftes.* Sic Gerfo Tract: de poteft. Ecclef: ait, *communiter Doctores afferere, errare poffe Concilium in iis quæ funt juris.* Sic Bellarm: & Baronius ex æquo fatentur, *generale Concilium legitimum,* licet *non poffit errare, ut neque erravit fextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poffe in quæftionibus de facto. Itaque,* ait Bellarm: *tuto dicere poffumus, hos Patres deceptos ex falfis rumoribus, & non intellectis Honorii Epiftolis, immerito cùm hæreticis connumeraffe Honorium.* Idem docet Pallavic: L. 11. Hift: Trid: c. 18. ergo.

R. neg: ant: & dico, poffe quidem juxta Theologos, qui nobis hîc objiciuntur, Ecclefiam falli in factis particularibus feu pure perfonalibus, de quibus duntaxat illi loquuntur, non verò in factis quæ cum dogmate connexa funt, feu in ipfo Librorum fenfu dignofcendo. Pauci quippe inter veteres Theologos quæftionem infallibilitatis Ecclefiæ, circa ejufmodi facta doctrinalia expendere, circa quam difcordes non effe Orthodoxos intelligebant. Quàm latum verò difcrimen fit, inter factum merè perfonale, & doctrinale, ac Judicium Ecclefiæ de illis, ignorat nemo. Factum perfonale fpectat fingularis perfonæ crimen, innocentiamve, vel interiorem fenfum; quorum certe cognitio tota pendet ex teftimoniis hominum errori obnoxiis;

unde fit ut Ecclesiæ Judicium, tam labili fundamento subnixum, incertum quoque fit & obnoxium errori: factum vero doctrinale spectat ipsam doctrinam in Libris expressam. Cùm ergo Ecclesia sit à Christo instituta Judex doctrinæ, necesse prorsus est, ut de illa prout in Libris continetur, judicium ferat quod certe judicium non pendet ex relatione hominum, sed ex comparatione quam Ecclesia per sese instituit, doctrinæ alicujus Libri cum immotis fidei nostræ regulis, Scripturâ scilicet ac Traditione; unde fit, Deo ita providente, ut nec falli, nec fallere possit.

Porrò S. Thomas facta personalia clare designat, *Cùm*, inquit, *agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi rebus, possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes*.

Gerson loquitur etiam de facto mere personali, ut constat exemplo quod ibidem adducit: *Exemplum sit*, inquit, *si Sortes vere contrahat cum Berthâ, non in facie Ecclesiæ: & posteà attentet contrahere cum Thibergâ in facie Ecclesiæ: si materia deferatur ad Concilium, judicabit Sortem debere manere cum secundâ, & de facto errabit in illo facto*.

Bellarminus eandem causam fallibilis Judicii Ecclesiæ in factis adducit, loco citato, *Ex falsa*, inquit, *informatione, ex falsis rumoribus*.

Non alia quoque videtur esse Baronii sententia, qui de facto personali Honorii duntaxat loquitur.

Palavicinus, Lib. 7 cap. 14. ubi ait Rom. Pontificem errare posse, manifeste agit de illis factis, quæ *ad rem gestam*, vel *ad jus humanum pertinent*, in quibus concessæ à SS. Pontificibus facultates, frequenter irritas esse contingit, *subreptionis & obreptionis vitio*, inquit. In eo vero qui objectus est loco ex Libro 11. cap. 18. non agit de sensu trium Capitulorum, sed de personis Theodori, Theodoreti & Ibæ; ac merito pronuntiat cum S. Gregorio quem laudat, controversiam illam de personis excitatam, an nempe damnari possent post mortem, vel illis nominatis, Scripta eorum reprobari, neque ad fidem, neque ad autoritatem infallibilem Ecclesiæ pertinuisse.

Instabis 1°. Ex dictis, Ecclesia falli potest in quæstionibus facti personalis: atqui nosse quis sit Libri sensus ab Autore intentus, est quæstio facti personalis. Cùm igitur Alexander VII. damnavit 5. Propositiones in sensu à Jansenio intento, potuit in eo singulari & personali facto errare.

Reſp: diſtinguo min: Noſſe quis ſit Libri ſenſus in mente autoris deliteſcens, eſt quæſtio facti perſonalis, C. quis ſit Libri ſenſus verbis in Libro expreſſus, N. Eſt enim hæc quæſtio facti doctrinalis, in qua dijudicanda non ſenſibus, non hominum teſtimoniis, non conjecturis incertis, ſed ipſa Libri inſpectione, non ſine cœleſti lumine & aſſiſtentiâ, Eccleſia ducitur. Porrò de priori ſenſu certo & infallibili Judicio non pronunciat Eccleſia: atque merito dixit S. Auguſtinus Lib: de utilitate credendi capite 5. *Quibus argumentis mortui hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare poſſim?* At de altero ſenſu, qui verbis exprimitur, & præſumitur vulgo eſſe ab autore intentus; niſi fingas eum vel ignarum, vel malignum, de altero, inquam, ſenſu judicat Eccleſia firma & inconcuſſâ ſententiâ. Neque alium ſenſum in famoſis quinque Janſenii propoſitionibus damnavit Alexander VII. cùm dixit, damnatas in ſenſu à *Janſenio intento*; id eſt, interprete Innocentio XII. in ſuo Brevi ad Epiſcopos Belgii, dato die 6. Februarii an: 1694. *in ſenſu obvio quem ipſamet verba Propoſitionum præ ſe ferunt.* Senſus quippe obvius præſumitur, ut dixi, eſſe ſenſus ab autore intentus.

Rec: des B. pag: 318.

Inſtabis 2°. Quare potiùs infallibilis eſt Eccleſia in factis doctrinalibus quam perſonalibus?

Reſp: aliam non eſſe quærendam rationem, quàm & Dei voluntatem, & ipſam diverſam eorum factorum naturam. Facta enim doctrinalia non pendent ex teſtimoniis hominum, aliunde verò pertinent ad publicum Eccleſiæ totius bonum; non ita facta merè perſonalia.

Objicies 2°. Sequitur ex noſtrâ ſententiâ, Eccleſiæ definitiones de factis ejuſmodi doctrinalibus pertinere ad fidem, adeoque fide divinâ credi debere, Janſenium v. g. perverſam in Libro ſuo tradidiſſe doctrinam; atqui iſtud planè abſurdum eſt, imo funditùs evertit fidei noſtræ fundamentum. Certum quippe eſt illud ſolummodo pertinere ad fidem, quod eſt revelatum, nihilque eſſe revelatum, niſi quod in verbo Dei ſive ſcripto ſive tradito continetur: atqui facta ejuſmodi revelata non ſunt nec in Scriptura nec in Traditione, ut per ſe manifeſtum eſt.

Probatur ſequela majoris:

1°. Quia vel ejuſmodi Eccleſiæ definitiones fundantur in revelatione divinâ, vel in autoritate & fide ſimpliciter humanâ. Si prius; ergo certæ ſunt ipſâ fidei

certitudine, adeoque & de fide: si posterius; ergo incertæ sunt & errori obnoxiæ pro nativa conditione humanæ fidei, cui falsum subesse potest.

2°. Quidquid intimo nexu ita conjunctum est cum jure seu dogmate ad fidem pertinente, ut ab eo divelli non possit sine damno fidei, haud dubie pertinet ad fidem: atqui talis est juxta nostram sententiam, definitio Ecclesiæ quæ jus & factum simul continent. Ergo, &c.

Ad hoc palmare adversæ partis argumentum duplex est responsio.

Prima negat sequelam majoris, & contendit ejusmodi definitiones Ecclesiæ esse quidem objectum necessarii nostri obsequii ac reverentiæ, non autem divinæ fidei; atque hic observat distinguendam esse revelationem, ab assistentia Spiritûs sancti, hæc enim facultatem, illa objectum spectat: in multis autem quæ ad fidem non pertinent, Ecclesiæ sic adesse Spiritum sanctum ope singulari, ut aberrare non possit, nonnullis supra exemplis ostendimus. Sic v. g adest Ecclesiæ Spiritus sanctus in Sanctorum canonisatione, ne *damnabili errore*, ut ait D. Thomas, sceleftum hominem veneretur pro sancto. Sic & eidem adfuit, ne corruptam Scripturæ versionem adoptaret pro legitima, &c. Quin hocce argumentum retorqueri potest contra nostros adversarios, & ab ipsis solvi perinde debet ac à nobis. Docent illi siquidem, Ecclesiam definiisse, Catholicam de gratia doctrinam contineri in Libris S. Augustini contra Pelagianos & Semipelagianos. Quæro, Judicium illud Ecclesiæ estne certum & infallibile, an incertum & errori obnoxium? Si prius; est ergo de fide. At, quæso ubi revelatum est S. Augustinum talem tradidisse doctrinam? Si posterius; ergo nec certam fidem nostram, nec obsequium mentis meretur; & Augustini sententiam pro arbitrio deserere possumus. An porro id concedent adversarii? non puto.

Ad primam confirmationem, negatur pariter major propositio. Definitiones quippe illæ non fundantur aut in fide simpliciter divinâ quarum objectum non est revelatum, aut etiam in fide simpliciter humanâ, quæ falli potest & fallere, sed in fide Ecclesiasticâ omni humanâ majore, cujus firmitas & certitudo tota fluit à singulari Spiritûs sancti assistentiâ eodem fere modo quo præcepta Ecclesiastica nec simpliciter divina, nec simpliciter humana sunt, sed veluti media, quæ Ecclesiastica dicuntur, quibus Fidelis quilibet ob-

temperare tenetur, pronuntiante Christo: *Qui vos audit, me audit.*

Ad secundam confirmationem, negatur etiam major. Potest enim aliquid, quod non est de fide, ita conjungi cum altero ad fidem pertinente, ut ab illo, sine periculo fidei, sejungi non possit: v. g. Canones Concilii Trid: ad fidem pertinere certissimum est apud omnes Orthodoxos: istud tamen ita colligatur cum aliquo facto non revelato, nempe Concilium Tridentinum, legitimè convocatum & celebratum fuisse, ut isto sublato, aliud subverti necesse sit. Pariter vulgatam Scripturæ editionem esse verbum Dei certissimum est: supponit tamen aliquod factum non revelatum, nempe illam Autographo sacro conformem esse. Ergo pariter, etsi factum Jansenii ita sit cum jure seu dogmate connexum, ut ab eo post Ecclesiæ definitionem sejungi non possit, non tamen ad fidem eodem modo pertinet. Ratio est, quia diversum est motivum quo dogmati & facto mens acquiescit: dogmati quidem, propter divinam revelationem; facto autem, propter autoritatem Ecclesiæ.

Quod si urgeas, autoritatem hanc Ecclesiæ vel divinam esse, vel simpliciter humanam: si divina; ergo fidem divinam & supernaturalem meretur, Deus enim ipse est qui per Ecclesiam loquitur: si simpliciter humana; ergo incerta & fallibilis, cui mentis obsequium præbere non tenentur ii, quibus in conscientiâ persuasum est, in tali singulari facto v. g. Jansenii errasse Ecclesiam.

Resp: autoritatem hanc hoc sensu divinam esse, quod sit à Christo Deo concessa, qui Ecclesiæ suæ semper adest, nec permittit in rebus necessariis ad communem Fidelium salutem pertinentibus eam aberraré; sed hoc sensu divina non est, quod divinam & supernaturalem exigat fidem, quia objectum hujus definitionis revelatum non est; defectus igitur revelationis in causa est, cur factum ab Ecclesia definitum, non sit de fide; assistentia verò singularis Spiritûs sancti facit ut certa sit, nec errori obnoxia Ecclesiæ definitio; ejusque autoritas sit omni humanâ superior.

Objicies 3°. S. Gregorius Magnus in Epistola ad Episcopos Hiberniæ (aut Hiberiæ) loquens de gestis in V. Synodo aït, *nihil de fide convulsum esse: vel aliquatenus immutatum, sed de quibusdam solummodo personis esse actitatum.* Idem asserit Pelagius II. in Epistola ad Episcopos Istriæ: *Nihil hic,* inquit, *aliud nisi*

Tom: 5. *Conc:* p. 635. A.
Ibid: p. 618. A.

de personis agitur. Atqui tamen actum est de sensu Librorum Theodori, Theodoreti & Epistolæ Ibæ; ergo quæstiones hujusmodi nullatenus pertinent ad fidem.

Resp: meritò S. Gregorium asseruisse nihil de fide convulsum esse à V. Synodo, quia illæsa mansit & integra autoritas Concilii Chalcedonensis, quam violari obtendebant defensores trium Capitulorum. De personis autem solummodo hic actitatum asseruit; non quod nihil fuerit circa fidem pronuntiatum (ex Canonibus quippe Collatione 8. conditis cantrarium manifestum est) sed tùm quia nulla facta est de novo definitio fidei, sed Nicæna, Ephesina & Chalcedonensis renovata & confirmata, tùm quia nulla nova hæresis proscripta, tùm quia præcipua quæstio excitata fuerat de personis Theodoreti & Ibæ, utrùm scilicet personæ Theodori in pace Ecclesiæ defuncti, anathema post mortem dici posset; ac Scripta Thedoreti & Ibæ, eorum appellato nomine, damnari. Ratio dubitandi erat, quod Theodoretus & Ibas anathema dixissent Nestorio, & Sedibus suis cum honore restituti fuissent à Synodo Chalcedonensi: hæc porrò controversia personas magis & disciplinam spectabat, quàm doctrinam, ad illam autem attendit maximè Summus Pontifex, cum asseruit de porsonis solummodo V. Synodo actum fuisse. Tùm denique quia de sensu ipso trium Capitulorum, qui certè ad fidem aliquâ ratione pertinet, nonnisi per respectum ad personas seu autores eorum dispuputatum fuit utrùm nempe appellatis autorum nominibus, damnari illa possent.

Objicies 4°. Solâ exceptâ fide, quidquid in Conciliis definitur potest retractari: ergo in sola fide supremum est & infallibile Judicium Ecclesiæ.

Antecedens probatur ex sancto Leone & Pelagio II.

Sanctus Leo in Epistola ad Maximum Antiochenum Episcopum, de Synodo Chalcedonensi & suis in ea Legatis, aït: *Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice meâ misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apostolicâ Sede sunt directi, ut excisis hæresibus Catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem.*

Tom: 5. Conc: p. 630. D.

Poſteriora hæc verba poſtquam retulit Pelagius II. in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ, ſic addit: *Apertè nobis licentia tribuitur, ut quidquid illis* (in Synodo Chalcedonenſi) *extra fidei cauſas de perſonis geſtum eſt, retractetur. Specialis quippe Synodalium Conciliorum cauſa eſt fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, oſtenditur, quia nihil obſtat ſi ad judicium revocetur*... Et paulo poſt de Epiſtola Ibæ ſic loquitur: *Quamvis ab eadem Epiſtola alienum ſe Ibas reſpondeat: quamvis quia approba ſit, aut difficulter, aut nullatenus demonſtretur, licenter tamen unuſquiſque eam repreherenderet, etiamſi Epiſcopi in eodem Concilio reſidentes ſuis illam ſubſcriptionibus approbaſſent.* Audis, judice Pelagio II. Ibæ Epiſtolam, etſi probata fuiſſet à Synodo Chalcedonenſi, potuiſſe rurſus ad novum examen adduci, & altero Judicio reprobari.

Ibid: p. 631. B.

Reſp: diſtinguo antecedens. Solâ exceptâ fide, quidquid in Conciliis definitur, non accedente Eccleſiæ ac Romani Pontificis conſenſu & approbatione, poteſt retractari, C. accedente illo conſenſu & approbatione, ubi ſaltem de doctrina & ſenſu Librorum vel autorum agitur, N. S. Leo & Pelagius II. ſecundum ſubjectam, de qua loquuntur, materiam, aïunt exceptis ſolis cauſis Fidei, quidquid in Concilio Chalcedonenſi actum fuit poſſe retractari: quia nempe Sedes Apoſtolica ea tantùm approbaverat & approbandi licentiam conceſſerat Legatis, quæ fidem ſpectabant, non alia. Hoc expreſſè ſignificat S. Leo. Idem planè eſt Pelagii ſenſus, qui in citata Epiſtola plurima laudat S. Leonis teſtimonia, ut oſtendat Synodum Chalcedonenſem in una fidei cauſâ fuiſſe ab illo Summo Pontifice confirmatam. Imò contendit poſt Actionem 6. in qua condita eſt fidei definitio, non amplius œcumenicam fuiſſe Synodum; quod quidem demonſtrat, tùm teſtimoniis Epiſcoporum qui Concilio interfuerant; tùm ex pleriſque græcis antiquioribus Codicibus, in quibus ſex tantùm Actiones cum adjunctis Canonibus referuntur. Inde eſt, quod Alipius Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia ſcribens ad Leonem Auguſtum, teſtatur ſe ea non legiſſe quæ in Synodo Chalcedonenſi particulariter expenſa ſunt & geſta de perſonis, quia ſcilicet Thalaſius tunc Epiſcopus nihil aliud ad Eccleſiam ſuam detulerat, præter Acta in cauſa fidei, & Canones. Inde etiam eſt, quòd S. Gregorius, qui nomine Pelagii II. cujus erat Apocriſiarius, ſcripſit Epi-

stolam ad Episcopos Istriæ, testetur in sua Epistola 33. alias 37. ad Constantium Mediolanensem Episcopum, nihil de personis actum esse in Concilio Chalcedonensi; quia scilicet quod in eo de personis actum legitur, ad totum non pertinet Concilium: *Post expressos Canones*, inquit, *facta contentio & extrema actio de personis ventilata est*. Idcirco igitur Pelagius II. affirmat Epistolam Ibæ potuisse secundo judicio expendi & damnari, quia si quod fuit de ea Chalcedone latum judicium, ad totam non pertinet Synodum, sed ad privatos duntaxat aliquos Episcopos: *Quia*, inquit in laudata Epistola, *postquam beato Leone scribente, jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat eorum qui interfuerant, in privatis negotiis autoritas, evacuatur.*

Tom: 2. p. 270. B.

Tom: 5. Conc: p. 631. E.

Quem sensum respiciat Ecclesia, cùm de Libris vel Propositionibus ex eis extractis pronuntiat.

Not: Propositiones de quibus Ecclesia Judicium suum pronuntiat, duobus præsertim modis spectari possunt: vel absolutè ac in seipsis, independenter ab omni proferente; vel relativè ad sensum Libri unde extrahuntur, & Autoris à quo prolatæ sunt. Alexander VIII. & Innocentius XI. plures laxioris Moralis propositiones confixêre in seipsis absolutè consideratas, nullâ factâ mentione Autorum vel Librorum unde extractæ illæ fuerant.

E contra Leo X. Lutheri, Pius V. Baii, Innocentius X. Jansenii, Clemens XI. Quenelli propositiones respectivè ad eorum mentem ac sensum damnavêre.

In censura propositionis absolutè in se ac simpliciter consideratæ, Ecclesia unicè attendit ad obvium & usu communi receptum verborum sensum: in censura verò propositionis alicujus Autoris vel Libri, ad sensum ab eo intentum, qui quidem ex verbis, ex tota doctrinæ ipsius serie, Libri textura & conformatione, consilio, instituto, elicitur. Hic porrò sensus obvius dicitur, proprius & naturalis verborum sensus, non quidem prout in seipsis verba nude spectantur, sed relativè ad mentem & sensum Libri vel Autoris, ad quem Ecclesia attendere semper censetur, cùm in sua censura Librum vel Autorem designat.

Propositio absolutè ac in se spectata, quam Ecclesia simpliciter damnat, vulgò unicum ac simplicem sensum obvium habet, eumque perversum: è contra, propositio Libri vel Autoris æquivoca esse potest, dupli-

cemque habere sensum, rectum unum, & alterum malum. Ubi vero contingit Ecclesiam propositiones hujusmodi æquivocas, absque prævia distinctione sensuum configere, censura unicè cadit in sensum perversum Libri vel Autoris, quem unum habet præ oculis Ecclesia, nullatenùs vero in sensum rectum & Catholicum. Ratio est, quia censura vulgò cadit in sensum propositionis obvium, proprium & naturalem: atqui in propositionibus æquivocis Libri vel Autoris, sensus perversus, est obvius, proprius & naturalis; sensus verò rectus ac Catholicus, quasi alienus est ac extraneus; ergo censura cadit in malum, non verò in bonum propositionis sensum.

Disputatum hinc & inde non ità pridem vidimus, occasione Constitutionis *Unigenitus*, & Propositionum Quenelli, utrùm Ecclesia propositionem in se absolutè, seu obvio verborum sensu veram, solâ autem intentione, seu privato Autoris sensu falsam, simpliciter & absolutè damnare posset.

Verùm, tota hæc discordia & disputatio in æquivoco hærere videbatur, quo sublato vix ullus remanet scrupulus. Quippe vel propositio damnanda, in se simpliciter, absolutè, ac sine ullo ad autorem vel Librum respectu spectatur, vel relativè ad Autorem aut Librum. Si prius, vana & superflua videtur disputatio: namque fieri nunquam potest, ut Ecclesia, quæ in doctrina fidei errare non potest, propositionem in se simpliciter veram, absolutè condemnet. Si posterius, propositio in se & absolute non spectatur, nec consequenter damnatur, sed respective duntaxat ad mentem & sensum Autoris vel Libri. Ergo extra hypothesim excurrebat controversia, quâ, occasione constitutionis *Unigenitus*, quærebatur, an Ecclesia propositiones in se absolute ac simpliciter veras censurâ configere posset, de hujuscemodi enim propositionibus quæstio non erat, sed de Propositionibus Quenelli ac relative ad illius intentionem & sensum in ejus Libro expressum.

Licet igitur in censura propositionum hujuscemodi, nulla fiat expressa ac formalis distinctio sensuum, absoluta tamen est censura, sed relativa; & eo ipso ad sensum Autoris proprium restringitur, ac eo sufficientem habet sensûs distinctionem. quo nomen Autoris vel Libri in fronte præfixum habet.

Alius est propositionis sensus obvius, proprius & naturalis; & alius sensus extraneus, improprius & alienus.

In propositionibus nude, & simpliciter & absolute in se spectatis, sensus obvius & naturalis, ille est quem verba ex communi ac receptâ significatione præ se ferunt: sensus vero improprius, extraneus & alienus censetur, qui contra communem illam significationem propositioni affingitur.

In propositionibus vero spectatis relative ad privatum sensum Autoris vel Libri, sensus obvius, naturalis ac proprius, est sensus ab Autore intentus, quem unum in sua censura Ecclesia respicit: sensus autem verborum in se & absolute, est quasi alienus & extraneus, quem Autor male detorquet & inflectit.

Gerso in Sermone pro Viagio Regis Romanorum (Tom: 2. p. 277.) distinguit sensum logicalem, qui verus esse potest in propositione per Ecclesiam proscriptâ: *Concilium generale*, inquit, *potest damnare propositiones multas cum suis autoribus: licet habere glossas aliquas, vel expositiones, vel sensus logicales veros possint. Hoc practicatum est*, pergit, *in hoc Concilio Constantiensi de multis articulis, & Wiclefi & Joannis Hus.* Alterum sensum appellat theologicum & logicalem. *Habet*, inquit, *Moralis scientia, similiter Theologia, suam propriam logicam & sensum litteralem, aliter quàm speculativæ scientiæ.* Addit huic sensui theologico logicali constanter adhærere Universitatem Parisiensem, *dum schismaticos suos ad certam regulam fidei loqui jussit & compulit*, cujus beneficio ab erroribus præservatos illos fuisse asseverat.

Discrimen statui debet inter propositionem æquivocam, & propositionem complexam: ista plures habet partes; illa plures sensus. Inde fit ut Ecclesia distinguat aliquando inter partes propositionis complexæ, non vero semper distinguat in varios æquivocæ propositionis sensus. Quapropter Concilium Constantiense duas in propositione 24. Wiclefi partes distinxit, quas diversâ dispunxit censuræ notâ: propositiones vero 4. & 21. Joannis Hus, quæ ambiguæ sunt, absque ulla sensûs expressa distinctione, & habitâ duntaxat sensûs illius ratione, damnavit.

Atque his præsuppositis ac jactis fundamentis, ad propositam quæstionem.

Dico Ecclesiam sæpissimè damnasse propositiones æquivocas, nullâ factâ præviâ distinctione sensûs veri aut falsi, sed habitâ duntaxat ratione sensûs privati ab Autore vel Libro quem damnat intenti, non autem propositionis in se & absolute spectatæ.

Momentum illud fuse prosequitur, multisque ex Historia Ecclesiastica exemplis ex professo demonstrat insignis Theologus Parisiensis è familia Dominicanorum Natalis Alexander, (*T.* 22. *Hist: Eccles: Differt:* 12. *seculi XIII. & XIV. à p.* 473. *usque ad p.* 626.) occasione hujus propositionis Joannis de Montesono; *Solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare & reprobare; & eorum quæ tangunt fidem, ad solum Summum Pontificem pertinet examinatio & decisio.* Sæpissime eo in loco inculcat ille, propositionem ambiguam, quæ sensum erroneum vel hæreticum habet, absolute & sine distinctione damnandam esse quamvis in Catholicum aliquem sensum inflecti possit.

Cardinalis Norisius in Apologia Monarchorum Scythiæ, de proposita quæstione mentem suam aperit his verbis: *Ecclesia univocas propositiones, quarum unicus tantùm est sensus, probat, si veræ sint; sin verò falsæ, condemnat. At si propositiones sint æquivocæ, ac duplicem sensum patiantur, quorum unus sit Catholicus, alter hæreticus, Ecclesia easdem in sensu recto approbat, & in falso proscribit.*

Nobis animus non est ea omnia exempla hic percurrere, quæ mox citatus P. Alexander prolixe in rem præsentem congerit. Sufficiet in uno duntaxat hærere Concilio Constantiensi, à quo, nullâ usurpatâ sensûs distinctione, articuli Joan: Hus quartus & vigesimus primus proscripti sunt, licet in seipsis & absolute, prout verba sonant, spectati, nullam videantur mereri censuram. Quid enim, quæso, mali sonat iste articulus, inter proscriptos à Concilio, n°. quartus est, *Duæ naturæ, divinitas & humanitas, sunt unus Christus?* An non potius duos fidei nostræ articulos distincte exprimere videtur, nempe unitatem personæ in Christo, *sunt unus Christus*, contra Nestorianos; & duplicis in eo naturæ distinctionem, *duæ naturæ*, contra Eutychianos? Quis porro sensum hunc omnino Catholicum, ab Ecclesia proscriptum fuisse persuadere sibi poterit? Attamen hæc propositio Joannis Hus indistincte damnata fuit: quo sensu? An obvio isto quem mox citata verba in seipsis absolute spectata præ se ferunt? absit: quod enim verum est, nunquam potest, omnium Catholicorum judicio, esse objectum seu subjectum censuræ Ecclesiæ. Ergo alio sensu, qui prius erat Joannis Hus, ad quem unum attendebat Ecclesia, dicta propositio confixa fuit. Quis porrò erat Joannis Hus sensus? Iste: unamquamque in Chri-

Tom: 2. *Conc: p.* 129. E.

ſto naturam ſigillatim ſumptam, ſive humanam, ſive divinam, totum eſſe & integrum Chriſtum, ita ut dici merito poſſet, *Humanitas eſt totus Chriſtus, Divinitas, eſt totus Chriſtus*; quem ſenſum, Teſte Thomâ Valdenſi, hauſerat ille à Magiſtro ſuo Wiclefo, qui argute nimis ac ſubtiliter putabat, denominationem totius, parti convenire poſſe; ſeu partem, à toto poſſe denominari. Eundem ſenſum amplexus fuerat Auguſtinus de Roma, Joannis Hus diſcipulus, damnatus in Concilio Baſileenſi Seſſ. 22. *Humana natura*, inquiebat ille, *in Chriſto vere eſt Chriſtus. Humana natura in Chriſto, eſt Perſona Chriſti. Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata. Natura humana in Chriſto procul dubio eſt perſona Verbi*, quas propoſitiones Synodus Baſileenſis damnat, *tanquam erroneas in fide.*

T. 12. Conc: p. 556. C.

Idem prorſus ferendum Judicium de iſto ejuſdem Hus, articulo, qui vigeſimus primus eſt: *Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo Corpus Eccleſiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto Capiti indiſſolubiliter*, qui certe articulus, ſi ſpectetur in ſe abſolute, & prout verba ſonant, abſtractione factâ privati ſenſûs Joannis Hus, veritati conformis apparet; ſoli etenim prædeſtinati finaliter perſeverant, ac Chriſto adhærent nexu indiſſolubili: atqui tamen proſcriptus ille fuit à Synodo Conſtantienſi, proprio ſcilicet ac privato ſenſu Joannis Hus, qui citatis verbis innuebat Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare. *Unica eſt*, aït primus articulus Joannis Hus, *ſancta & univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas*. Hunc ſenſum ferit cenſura, non alium: ad alium, tanquam ad proprium & obvium ſenſum ab autore intentum, unice Synodus reſpexit; non ad alium, qui veluti extraneus eſt & alienus propoſitioni. Eccleſia porro in cenſura propoſitionum alicujus Libri vel Autoris, non attendit, ut jam monuimus, ad ſenſum propoſitionis in ſe nude & abſolute ſpectatæ, qui ſi rectus eſt ac ſanus, cenſuræ nuſquam ſubjacere poteſt, ſed ad ſenſum ab Autore intentum, malum ac perverſum.

Ibid: p. 131. A.

Ibid: p. 132. D.

Neque dicas, inde periculum imminere Fidelibus, ne forte veritatem cum falſitate confundant, & utramque eâdem ſimul Eccleſiæ cenſurâ involvi arbitrantur. Ecquis enim Catholicus ignorat, non poſſe Eccleſiam, vi promiſſionum Chriſti, in his quæ fidei ſunt aberrare, & loco veritatis falſitatem Fidelibus proponere ad credendum.

Necesse igitur est in censura propositionum quæ duplicem sensum admittunt, expiscari ac rimari quis sit proprius autoris sensus ab illo intentus: quàm multa enim in seipsis sana & recta dici possunt, quæ tamen singulari errantium intentione vitiantur? Apposite omnino S. Augustinus de Juliano dicebat, Libro 2. de nuptiis & concupis: cap: 4. n. 13. *Quæ veraciter & Catholice dicta sunt, imò in divinis Libris veraciter scripta, non ab illo Catholice dicta esse, quia non intentione Catholici pectoris dicta sunt. In his ergo*, dicebat Facundus Hermianensis, Lib: 10. c. 5. *non ex levi sono verborum, sed ex intentione dicentis æstimanda sunt quæ dicuntur.*

Rationem reddit S. Gregorius Nazianzenus, Epist: 2. ad Cledon. *Quoniam*, inquit, *eædem voces, si recte intelligantur, cum pietate conjunctæ sunt; si perperam exponantur, impietate non carent.*

Et S. Hieronymus, Comment. in c. 1. Epist: ad Galat: *Nec putamus*, inquit, *in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu. Non in superficie, sed in medulla. Non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

S. denique Hilarius, Lib: 2. de Trinitate, n. 3. *De intelligentia hæresis, non de Scriptura est*, aït, *& sensus, non sermo, fit crimen.*

Atque inde est,

I°. Quod eædem propositiones iisdem plane verbis conceptæ, mox probantur, & quidem sine ulla explicatione, aut distinctione, sensûs; ex una scilicet circumstantiarum ac personarum à quibus proferuntur, consideratione. Damnatus est Colluthus, quod negaret Deum esse autorem mali; è contra damnatus Florinus, quòd id assereret. Æquivocatio erat in verbo, hæresis in sensu. Florinus malum morale seu culpæ intelligebat. Colluthus malum physicum seu poenæ. Pariter vox, *consubstantialis*, pro diverso sensu proferentis rejecta, vel admissa fuit: rejecta sensu Pauli Samosateni, qui divisionem seu partitionem quamdam in natura divina videbatur admittere; probata & consecrata sensu Concilii Nicæni. Quis ignorat propositiones istas, *Unus de Trinitate passus est carne: Una Verbi natura incarnata*, de quibus tanta aliquando fuit altercatio, relative ad varium sensum quo donabantur, vel hæreticum vel orthodoxum, probatas vel improbatas fuisse? Catholico plane sensu dicebat S. Cyrillus; ut jam non semel diximus, nec piget hic repetere, *unam esse natu-*

S. Aug: Lib. de hæresibus. c. 65. & 66. T. 8. pag: 21. A. B.

ram Christi incarnatam: sola etenim Divinitas carnem assumpsit, at in Eutychianis, illâ S. Doctoris sententiâ abutentibus, ut confusionem naturarum in Christo adstruerent, meritò proscripta fuit. Propositionem vero istam, *Unus de Trinitate passus*, quam privato suo judicio orthodoxam, & ab omnibus tenendam præfractè contendebant Scythiæ Monachi, nusquam publico Decreto tanquam erroneam notavit S. P. Hormisdas; sed eorum duntaxat Monachorum impetum repressit, qui veluti erroris Nestoriani reos traducebant quotquot recusabant huic Propositioni inter Latinos peregrinæ assentiri. Inde est quod Joannes II. ubi intellexit à Græcis propositionem illam sensu Catholico usurpari, eam suo calculo probaverit. Lege eam in rem Dissertationem Eminentissimi Cardinalis Norisii.

Denique, ut alia hujusmodi bene multa sileamus, cùm nonnulli abuterentur vocibus *Christiparæ* ac *Deiparæ*, rejectas illas aliquando fuisse affirmat Theorianus in Legatione ad Armenios, seu Colloquio cum Catholico. Floruit ille seculo duodecimo: *Non ignorat*, inquit, *magna Sanctitas tua, vocem aliquando non malam, quæ malè tamen ab aliquibus intelligeretur & exponeretur, rejectione dignam à Patribus esse judicatam, qualis & Christiparæ vox est, Deiparæ, Virgini tributa*. Observa tamen hic obiter, quòd cùm vox aliqua publico Ecclesiæ usu ac Judicio consecrata est, tanquam idonea maximè ad aliquod fidei nostræ mysterium exprimendum, qualis est vox *consubstantialis*, *Deiparæ*, *&c.* nemini Fidelium fas sit voces illas non usurpare, multò minùs eas damnare.

Bibli-oth: PP. t. 22. p. 804. B.

II°. Ecclesia in suâ Librorum vel propositionum censurâ, aliquando distinctè enuntiat se damnare sensum ab autore intentum. Ità Pius V. Baïi, Innocentius X. & Alexander VII. Jansenii, Innocentius XII. Archiepiscopi Cameracensis, Clemens XI. Quenelli propositiones ad sensum autoris proscribunt. Ita pariter sacra Facultas Parisiensis, an. 1521. in censura hujus articuli Lutheri, *Quilibet Sacerdos debet absolvere à pœnâ & culpâ aut peccato*, aït: *Hæc propositio ad sensum scribentis est falsa observationi doctrinæ universalis Ecclesiæ in his quæ concernunt Sacramentum Pœnitentiæ contraria*. Aliquando verò eadem Facultas varios propositionum sensus distinguit, tametsi moneat id absolutè necessarium non esse. Ita in censura quam tulit anno 1431. adversùs duos Libros ex

Anglia Lutetiam transmissos, quorum uni titulus erat, *Discussio modesta Nicolai Smithæi*; altera vero, *Apologia Danielis à Jesu*, monitum illud præmittit: *Nè cui forte mirum aut insolitum videatur, quod in censura prioris hujus Libri, notatæ propositiones in varios sensus, quos poterat pati, distractæ fuerint, sciat lector, id necessitate cogente ità fieri oportuisse, propter versipelle auctoris ingenium & stylum æquivocationibus undequaque scatentem; nè quid superesset quod incautis lectoribus offendiculum poneret; ut quamvis ex toto Operis contextu, malus animus scopusque Scriptoris plus satis innotescat, constaret etiam omnibus, perversam doctrinam quæ hic servitur, nullo artificio dissimulari, nec ullis ambagibus intricari ità potuisse, quin justæ reprehensioni semper fieret obnoxia.* Quibus verbis S. Facultas apertè significat, æquivocas dictorum Librorum propositiones sine ulla explicatione damnari à se potuisse; ac nonnisi necessitate compulsam, præter morem varios earum sensus distinxisse, nempè ut omni detectâ & repressâ æquivocatione, nullus elabendi locus, nullum errori perfugium relinqueretur.

Aliquando eadem Facultas in censura distributa propositionum, quæ vel obscuræ sunt vel intricatæ & ambiguæ, per particularum *quatenùs*, vel *in quantùm* sensum designat, in quem cadit censura. Sic anno 1664. contra Vernantium: *Hæ propositiones*, inquit, *quatenùs excludunt ab Ecclesia infallibilitatem activam, &c.* falsæ sunt, temerariæ, &c. Item & in censura lata contra Librum cui titulus: *Verax pacificus*, gallicè, *Le Pacifique veritable*, anno 1644. *Hæ propositiones, in quantùm infallibilitatem Ecclesiæ universalis in nullo alio statu, quàm in solo Concilio œcumenico congregatæ tribuunt... temerariæ sunt, Ecclesiæ injuriosæ, hæreticæ.*

III. Gravissimis momentis ac rationibus ducta est Ecclesia, ut propositiones æquivocas nullâ usurpatâ explicatione, seu distinctione sensuum, suâ censurâ generatim configeret: 1°. Quia nullus futurus esset altercationum finis: atque, ut inquietus est ac pervicax Hæreticorum animus, quâlibet datâ verborum explicationes, semper illi rixarentur, novasque explicationes ad priores explicandas in infinitum postularent: animo quippe pertinaci ac indocili nusquam defuêre prætextus ad excutiendum jugum obedientiæ; 2°.

Res fidei ac Religionis ad meram de verbis ac syllabis grammaticalem seu logicalem quæstionem tandem deliberentur, quod Ecclesiæ sponsæ Christi gravitatem ac majestatem prorsùs dedeceret; 3°. Ne Hæretici superbiùs jactitarent, suâ se pervicaciâ Ecclesiam ad explicationes coëgisse; atque illo prætextu ejus censuræ se subducerent. Nemo nescit quàm importunè, sed quàm in vanum Janseniani postulaverint, ut quinque Magistri sui Propositiones, quas obscuras & æquivocas esse contendebant, varios in sensus distinguerentur: non alio profectò consilio, quàm ut earum damnationem hâc arte declinarent; 4°. Ut discant Fideles supremam Ecclesiæ autoritatem venerari, & illi, statim ac pronuntiat, sine cunctatione, aut ullâ præviâ explicatione acquiescere; Libros quos illa damnat, damnare; quos probat, approbare; rati nihil ab ipsa nisi verum ac justum decerni posse; 5°. Denique, Ecclesia usu antiquo ac constanti æquivocas propositiones sine ulla explicatione damnare solet: si autem priùs quod adversarii volunt, illas exponeret, quàm damnaret, non ampliùs eas ut æquivocas perstringeret, sed ut ad sensum perversum determinatas.

Dices: Ecclesia non rarò propositiones æquivocas distinguit, antequam damnet. Ita Concilium V. generale, an: 553. Canone 6 varium sensum vocis, *Deiparæ*, unum orthodoxum, alterum hæreticum exponit: istum rejicit & damnat; illum vero probat & admittit. Idem observat, Can: 8 circa propositionem istam, *Una natura Verbi incarnata.*

Tom: 5. *Conc*: p 571 D.

Ibid: p 574.

Concilium Constantiense, sess: 8. anno 1415. varios etiam articuli 24. Wiclefi sensus secernit. En articulus, *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem. Prima pars*, ait Concilium, *est scandalosa, & præsumptuosè asserta, pro quanto sic generaliter & indistinctè loquitur: & secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere.*

T. 12. *Conc*: p. 46. D.

Pariter articuli 41. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*, plures sensus assignat: *Error est*, aït Synodus, *si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.*

Ibid: p. 57. C.

Quin & Innocentius X. in Censura quintæ propositionis Jansenii, eandem sensuum distinctionem usurpat. *Quintam* (Propositionem) *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Audis, (aïunt) *intellectam eo sensu?* Varium igitur sensum dictæ Propositionis distinguit Pontifex.

Recueil des Bulles pag. 81.

Denique Innocentius XII. in brevi ad Episcopos Belgii, an: 1696. die 24. Nov. declarat satis esse si Propositiones Jansenii damnentur *in sensu obvio*, quem nempe verba præ se ferunt. Ergo Propositiones illæ in seipsis absolutè damnantur, non relativè ad sensum Jansenii.

Ibid: p. 324.

Resp: Hoc unum inde concludi meritò posse, quod non negamus, Ecclesiam gravissimis de causis, varium in sua censura, propositionis æquivocæ sensum aliquando distinxisse, quando nempe pro sua prudentia æstimavit id fidelium bono utilitati expedire. Verum, quæcumque sit eâ in parte ejus agendi ratio, sive absolutè, quod sæpissimè observat, sive factâ sensûs distinctione quod raro, propositiones ambiguas condemnet, semper illa laudanda est, nusquam improbanda. Quinta Synodus in iis versabatur circumstantiis, in quibus necesse omnino erat aperire & falsum & Catholicum hujus vocis, *Deiparæ*, sensum. Nestoriani quippe & Catholici eandem pariter vocem usurpabant, at sensu longe diverso: Nestoriani, ut significarent unionem duntaxat moralem divinitatis cum humanitate in Christo; Catholici vero physicam & hypostaticam: unde isti Christum verè substantialiter Deum fatebantur; illi vero tantùm figuratè ac metaphorice. Necesse igitur fuit, ad præcavendum Nestorianorum fraudem, palam declarare quo sensu Beata Virgo *Deipara* dicenda esset: non quod divinitatem genuerit, sicut ad invidiam nonnulli opponebant; nec quod genuerit hominem (Christum) in quo divinitas moraliter duntaxat tanquam in Templo habitaret; sed quia Christum genuit vere ac substantialiter Deum. Necesse pariter fuit exponere, quo sensu una dici debeat natura Verbi incarnata, quâ de re etiam inter se disputabant Orthodoxi. Eutychiani unam dicebant na-

turam etiam post unionem seu incarnationem, humanam quippe à divina totam absorptam fuisse contendebant: Catholici vero unam duntaxat ante unionem & duas inconfusas & impermixtas post unionem; quem postremum sensum quinta Synodus, Can: 8. figit & approbat, alio, qui Hæreticorum erat, prorsus rejecto.

Par autem non est ratio articulorum 24. & 41. Wiclefi. Confundunt hic perperam propositionem complexam, cum æquivoca, de qua una hic agitur. Vigesimus quartus Wiclefi articulus ambiguus non est, sed complexus, duasque partes distinctas continet æqualiter quidem damnandas, sed dispari censuræ notâ. Concilium igitur, ne utramque partem confundat, eâdemque involvat censurâ, suam cuilibet parti propriam notam attribuit: primam, scandalosam, alteram vero erroneam appellat. Idem dicendum de articulo quadragesimo primo, qui obscurus non est nec ambiguus, sed ex omni parte, ac quolibet sensu erroneus.

Eadem quoque ratio est Censuræ Innocentii X. adversùs quintam Jansenii Propositionem, quæ complexa est, duasque veluti partes continet diversâ prorsus censurâ notandas: primam partem, quæ velut Semipelagianum dogma traducit eorum sententiam, qui asserunt Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse, *falsam, temerariam, scandalosam;* alteram vero partem, qua Jansenius docet, Christum pro salute duntaxat prædestinatorum, seu pro solis prædestinatis mortuum esse, *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem & hæreticam,* declarat & damnat. Sapienter omnino utramque illam Propositionis partem distinxit S. Pontifex, quia non eadem, sed diversa debetur unicuique censuræ nota.

Malâ prorsus fide Janseniani hic abutuntur Brevi Innocentii XII. ad Episcopos Belgii, anni 1696. quasi Pontifex censuisset satis, si Propositiones Jansenii in sensu obvio quem verba præ se ferunt, damnarentur, nullâ prorsus habitâ ratione sensûs à Jansenio intenti. Non ita est: in hoc enim ipso Brevi S. Pontifex declarat adhærere se prædecessorum suorum Innocentii X. Alexandri VII. Constitutionibus, easque confirmare: at certum est dictis Constitutionibus Propositiones quinque damnatas esse in sensu *à Jansenio intento*. Duo scilicet in dicto Brevi præstat Innocentius XII. 1º. Reprehendit nonnullos Belgii Episcopos, qui con-

tendebant, altero ejusdem Pontificis Brevi, dato anno 1694. *alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. necnon Formularium ab ipsomet pronuntiatum;* quique eo prætextu, majoris explicationis & interpretationis causâ, nonnulla verba dicto Formulario addiderant. Prohibet autem Pontifex, *ne quidquam vel addatur, vel dematur in aliqua ejus minimâ parte; sed in omnibus & singulis ejusdem partibus jubet ad amussim observari;* 2°. Interrogatus Pontifex utrùm velut Janseniani habendi forent, qui exterius Formulario cum juramento subscribunt quidem in sensu obvio verborum, verùm interiùs, & apud se non respiciunt ad sensum illius Formularii, id est, ad sensum Jansenii, sed alium sibi fingunt: reponit Pontifex Ecclesiam de internis non judicare, adeoque prætensos hujusmodi Jansenistas pœnis Ecclesiasticis non subjacere: *Quid si prætensi Jansenistæ,* aït S. Pontifex, *internè & absque eo quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnant quinque Propositiones quàm in sensu obvio, non habito respectu obvii sensûs dicti Formularii, suoque arbitrio effingant ejusmodi sensum obvium, Ecclesia non judicat de occultis, quæ soli Deo cordium scrutatori innotescunt. Sin verò iidem prætensi Jansenistæ voce aut Scriptis edant proprios sensus Apostolicarum Constitutionum, prædictique Brevis sensui dissentaneos, debent Episcopi de jure contra eos procedere.* Bis aut ter eo in Brevi Pontifex *prætensos* appellat Jensenistas; non quod, ut hic fabulantur defensores Jansenii, nullos veros esse agnoverit, sed quod nolit eos omnes ut veros Jansenistas haberi ac puniri, sicut non nonnulli obtendebant, qui exteriùs Formulario subscribunt in sensu obvio verborum, sed exteriùs ad formularii obvium sensum, hoc est, sensum Jansenii non attendunt, sed alium sibi effingunt ad arbitrium. Eâ ipsâ de causâ in Brevi ad eosdem Præsules Belgii, dato die 6. Feb: an: 1694. idem Pontifex prohibet quemquam Jansenismi suspectum haberi, ac, veluti convictus foret, puniri, nisi facto aut verbo aliquam ex quinque Jansenii Propositionibus docuerit aut tenuerit. Audiatur sapientissimus Pontifex. *Ad extinguenda Theologorum jam pridem inter se dissidia... injungimus, ne ullâ ratione quemquam vagâ istâ accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi priùs suspectum esse constiterit aliquam ex his Propositionibus docuisse aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætex-*

Recueil des Bulles pag: 325.

Ibid: p: 323.

Ibid: p. 330.

tu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, & concionibus habendis, vel aliquâ quacumque functione Eccleſiaſticâ permittatis, niſi ſervato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit. His poſtremis verbis innuit Pontifex, quem priùs *ſuſpectum* dixerat, vere convictum eſſe debere.

Atque hæc dicta ſint de gratia, verâ Religione & Eccleſia, in quibus exponendis, ſi quid nobis incautis minùs ſanum ac rectum excidiſſe deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus, & infallibili ejuſdem Eccleſiæ judicio ſubjectum.

F I N I S.